INSCRIPTIONVM ANTIQVARVM QVAE IN ETRVRIAE VRBIBVS EXSTANT

APPENDIX POSTREMA.

INSCRIPTIONVM ANTIQVARVM GRAECARVM ET ROMANARVM QVAE *IN ETRVRIAE VRBIBVS EXSTANT*

Pars Tertia

IN QVA APPENDIX POSTREMA

ADIECTIS TABVLIS L. LACONICO PISANO. SARCOPHAGIS ET VRNIS INSIGNIORIBVS ANAGLYPHO OPERE SCVLPTIS

QVAE IN FLORENTINIS MVSEIS CETERISQVE PER ETRVRIAM SPECTANTVR

CVM OBSERVATIONIBVS

ANTONI FRANCISCI GORI

Publici Historiarum Professoris.




Ex Ameth. Cimelii Andreinii

FLORENTIAE. ANNO. CIƆ. IƆ. CC. XLIII.

Typis Petri Caietani Vivianii. Sub Signo D. THOMAE AQVINATIS.

PRAESIDVM PERMISSV.

In usum Andreae Mazza Casinatis Parmensis.




VIRO NOBILISSIMO

IACOBO PHILIPPO D'ORVILLE

ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS

ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ.



QVi ingenii sui monimenta Magnorum Regum Principumve nomini ac maiestati inscribunt, recte quidem omnium consensu, & meo

quo-

quoque iudicio faciunt, maximumque decus & gloriam consecuntur: duplicem tamen cum honoris, tum voluptatis fructum hi capere mihi videntur, qui ea non splendore tantum nobilitatis; sed etiam sapientiae ac solidae doctrinae laude praecellentibus Viris dedicant consecrantque: partis quod hi laboribus praesidium & commendationem conferant sempiternam: & quod magnopere placet, illud facilius auctores sperare possint, quod ea docti illi Maecenates, ut acceperint, avide ac perlubenter legant: & si qui invidi & contumeliosi homines, litterariae reipublicae pestes, insurgant, clientes tueri impensius & sciant & possint. Quae quum sedulo animadverterem, laboribus hisce tandem functus, ad Te, D'ORVILLE PRAESTANTISSIME, tanquam ad arcem sapientiae, ac praesentissimum honoris et virtutis domicilium confugere volui, qui eximiam doctrinam eximia cum generis nobilitate coniungis: qui Maiorum tuorum praeclara decora in Te uno complecteris, mirumque in modum summis in Rempublicam tuis meritis ita auges atque amplificas, ut Amstelaedamenses Cives Te tanquam oraculum audiant, colant, admirentur: litterati vero homines Te suo-

rum ſtudiorum ducem & arbitrum optent, atque expoſcant. Quid de externis litteratiſſimis viris dicam, qui propter egregias animi tui dotes, propter ſummam probitatem ſingulari cum humanitate coniunctam, propter exquiſitam omnis vetuſtatis ſcientiam, ac veterum paene omnium cum Graecorum tum Latinorum Scriptorum, quos in priſtinum nitorem & decus reſtituis, & tuis omnigenae eruditionis divitiis nobilitas, Te ſummopere diligunt, ſuſpiciunt, commendant? Nemo eſt qui neſciat, (id enim edita Volumina cum a Te, tum a tuis Auditoribus eruditiſſimis perſpicue teſtantur) Te per annos circiter decem primaria profeſſione in illuſtri Amſtelaedamenſium Athenaeo praeclare & utiliter functum, quod ante Te egregii viri *Gerardus Ioannes Voſſius*, & *Caſpar Barlaeus* primi illuſtraverunt: & ad hoc munus ſuſcipiendum ſummo gloriae & meritorum pondere adceſſiſſe. Id etiam abunde ſatis teſtantur ſuſcepta a Te primum per Gallias & Brittanias, per noſtram Italiam, Siciliam & Germaniam Itinera, quibus non hunc tantum fructum, licet ampliſſimum, humanaeque ſocietati utiliſſimum, retuliſti, ut mores hominum

mul-

multorum atque urbium videris, ac ſcrutatus ſis; ſed & alium ſumma laude digniſſimum adſecutus es in publicum bonum, atque ad litterarum aeternum decus & ornamentum: nempe quod multa & vidiſti, et Tibi comparaſti ΚΕΙΜΗΛΙΑ, maximam quoque optimorum Codicum MSS. copiam congeſſiſti, quos communi doctorum hominum beneficio in tua lectiſſima Bibliotheca nunc ſervas, pluresque numero ſunt, quam ullus privatus in tua inclita patria hodie poſſideat, aut poſſidere cupiat. Hos inſignes Codices, ut alii conſulant, non ſolum benigne permittis; ſed ipſe etiam, quum beato Palladis otio nunc fruaris, collationes vel obſervationes tuas bonis veterum Scriptorum editionibus proferendis identidem amicis tuis ſuppeditas, uti nuper editae in Ioſephum, Libanium, Lucianum, Muſaeum, Lucanum, Caeſarem, Livium, Frontinum, Suetonium, in Poëtas minores, & plures alios, ſatis ſuperque teſtantur. In Muſeo vero tuo exſtant in commune bonum non pauci litterati lapides: exſtant numiſmata rariſſima, atque inter haec perrara atque illuſtris Siculorum numorum ſeries, quorum plures ſunt partim inediti, partim mendoſe ac perperam editi, quos

ae-

aereis Tabulis viginti incisis optata luce donatos inseres in praeclarissimo tuo SICVLO ITINERE, cui postremam nunc admoves manum, ut propediem in lucem proferas: quod Opus, longe omnibus optatissimum, auctum quoque proferes ac locupletatum aliis viginti Tabulis, quae *Siculas Antiquitates*, praeclara nimirum Siculi Regni aedificia & monumenta, ante oculos tuos accurate delineata, exhibent, admirabilis ingenii tui luce atque eruditione dignissima: quae omnia tuarum vigiliarum & incredibilis in litterarum studia amoris uberrimi fructus sunt; nam semper divitiis & privatae gloriae publicam utilitatem, & florentissimae patriae tuae decus aerumnis omnibus antetulisti. His adde egregia in Anthologiae Graecae illustrationem adminicula undique a Te conlata: eximias adde lucubrationes in Theocritum, Moschum & Bionem, quos diligentissime castigatos ad fidem triginta & amplius MSS. Codicum in publicum bonum paras, ut Sicula monumenta prodierint. Expectantur etiam a Te, D' ORVILLE DOCTISSIME, alia perillustria ingenii tui monimenta, Xenophontis nempe Ephesii & Charitonis Aphrodisii opera, lima tua perpolita, eruditissimisque

adnotationibus aucta et illustrata, quae procul dubio aliis iam a Te editis responde-bunt, nempe *Dissertationi de Deliacis Monumentis*, quae legitur in VII. Volumine Miscellaneorum: *Vanno Criticae*, quam invitus & provocatus acerbiore & in ingenium tuum pugnante stilo scribere coactus es in notissimum conviciatorem: doctissimis tuis *Observationibus* in veteres Scriptores, quibus decem Volumina *Miscellaneorum* referta sunt, iisdemque edendis Celeberrimo Petro Burmanno Seniori, dum adhuc in vivis erat, mutuam sociamque operam contulisti, & nunc continuationi harum deliciarum, alia methodo suscepta, praepositoque titulo *Novae Critices* libris hisce, quorum iam tria Volumina prodiere, his lucubrationibus, tanquam in navi opimis mercibus eruditae vetustatis onustae, ad litterariam ditandam rempublicam gnavus ac sedulus Gubernator praees: quae dubio procul erunt longe eruditissima, summoque plausu, ut reliqua iam a Te litterario orbi tradita, excipientur. Silentio mihi praeterire nefas lectissima pulcherrimaque PETRI D'ORVILLE fratris tui eruditissimi viri, mihique amicissimi, *Poëmata*, quae ut in lucem mitteres ipsa in eum tua pietas iussit: cu-

ius

ius immaturum interitum adhuc dolent, moerentque cum Pallade Musae omnes. Neque vero quum haec dixerim, quae apud omnes testata sunt, vereor singularis modestiae tuae querimonias, quum alia multa mihi de tuis virtutibus, deque a Te gestis rebus dicenda supersint: quae plane quum oporteat summa cum dignitate exponere, aliis ob ingenii mei tenuitatem praedicanda relinquo. Id unum silentio minime praetermittam, me omni iure inscribere Tibi debuisse Volumen hoc tertium Inscriptionum antiquarum, quae in Etruriae nostrae urbibus exstant, tum quia ad hunc laborem, quum apud nos Florentiae degeres, me vehementer excitasti, tuoque absens etiam favore, multisque beneficiis, & optimis insuper libris ad me missis, identidem recreasti. Quod enim quum heic esses suavissimae amicitiae tuae honore me donasti, ac spopondisti Te semper adfuturum meis studiis ac laboribus veluti propitium ac beneficum Genium, omnem meam spem supergressus & sancte implesti, & adhuc summa in me tua benevolentia implere non desinis. Inter haec, Te auspice ac favente, cum aliis Viris doctissimis, ac de litterarum gloria optime meritis, amicitia

iunctus sum: inter quos honoris gratia memorare longe iucundissimum mihi est *Petrum D'Orville*, fratrem tuum optimum, *Petrum Burmannum* Seniorem, Iuniorem quoque *Petrum Burmannum*, cui Cathedram tuam, e qua sponte abiisti, ut litterato otio Te totum dares, tradidisti: qui multa eximia in dies profert publico bono cum sua, tum sapientum hominum exquisitae eruditionis monumenta, meque ipsum amicissimis suis epistolis identidem beat, quibus, quae in lucem actutum mittenda parat illustria litterarum praesidia ac decora describit, & mutua poscit officia, quae bonis artibus augendis magno sint ornamento. Illud etiam abs Te, D'ORVILLE PRAECLARISSIME, sperare lubet, quod isthaec Antiquitatis eruditae monumenta, quae nunc primum meo labore & industria in lucem prodeunt, & levi prorsus digito a me elucidantur, aliquando tuis locupletata Observationibus, optima plane eruditionis fruge refertis, maiori luce aucta prodibunt; nam ad omnem vetustatis scientiam illustrandam atque amplificandam oppido factus es, summoque polles iudicio, summaque doctrina, quod *Deliacae Inscriptiones*, & alia monumenta in Miscellaneis a Te edita at-

que

que egregie illuſtrata apertiſſime teſtantur. Accipe igitur, VIR CELEBERRIME, parvam hanc ſincerae in Te benevolentiae meae, atque amicitiae teſſeram, meiſque ſtudiis nobiliſſimo tuo patrocinio favere perge: dumque rem litterariam feliciter geris, & viribus tuis, & meo nomini atque honori conſule: quod erit quo ad vixero, longe mihi gratiſſimum. Vale, ac diu incolumis vive, publico bono, eximium litterarum decus, praeſidium, & columen immortale.

DABAM FLORENTIAE. E MEO MVSEO
IV. KAL. SEXTIL. A. MDCCXLIII.




In Museo Mediceo

AEQVO HVMANOQVE

L E C T O R I

ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS.



QVid nam rei sit, quod litterati homines primos ingenii sui foetus, quos in lucem protulere, non ita fere diligant, ut succedaneos; si quis est, qui quaerat, ea potissimum ratio adferri poterit, quod eos rudi ac pingui Minerva procreatos censent: neque ea in his vident lineamenta, quae temporis decursu parentes suos auctos excultosque maiori eruditione, bene & cumulate referant; nam illud verissimum esse constat, quotidie discentibus multo maiora semper discenda superesse: adeo ut quae scripta sunt, exquisitiore doctrina conlustrari, atque ad meliorem frugem facile reduci posse conspiciant. Adcedunt aliarum quoque rationum momenta, quod hi prae-

ser-

ſertim, qui in Antiquitatis ſtudiis elucidandis ſedulam navant operam, quum illuſtriora ad manus habeant veterum theſaurorum monumenta, quae huius aetatis longe Vetuſtatis ſtudioſiſſimae lucem adſpicere geſtiunt, ea perlubenter adripiunt, oblitique quodammodo praeteritorum laborum, ad alias oppido maiores aerumnas alacriter ſubeundas animum intendunt, ne maiori bono conceptam de ſe ſpem fraudent, &, ut arbitrantur, uberius ac locupletius litterariae reipublicae votis, adlatis in medium novis frugibus, reſpondeant.

Id ipſum mihi quoque ita contigiſſe, etſi ingenue fateor; nolo tamen inconſtantiae, & malae fidei nota inuri: praeſertim quum alia, quae in lucem protuli ingenii mei, licet mediocris, monumenta, non ſponte, ac genio meo indulgens protulerim; ſed monitu iuſſuque doctiſſimorum hominum, qui meis ſtudiis & praeerant, & favebant: quibus pro tantis in me beneficiis, ut hoc quod volebant negarem, & pudor ipſe, & incredibilis in patriam amor meus ac pietas, blanda quadam vi probibebat. Sepulcrum Libertorum ac Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum, in via Appia detectum anno MDCCXXVI. *quia nullum Vetuſtatis monumentum huic ſimile, nec tam integrum, nec tam perfectum, ornatumque inſcriptionibus innumeris, & pulcherrimis ſculpturis ac monumentis inventum eſt, eximius antiquitatis antiſtes Petrus Andreas Andreinius Patricius Florentinus, tanti operis fama inlectus, quum delineandum curaſſet a Pictore eximio Hieronymo Equite Odam, curante etiam Cl. V. Franciſco Equite Victorio, ut meis Obſervationibus ſtatim ac detectum eſt ego illuſtrarem, & voluit & praecepit: quod opus ſequenti anno in lucem a me prolatum eſt. Idem etiam praeſtantiſſimus vir, quum Ioannis Baptiſtae Donii Patricii Florentini nepotes rogaſſet, ne in forulis ſinerent putreſcere, & tineis blatteiſque corrumpi Syntagma illud antiquarum Inſcriptionum, quod eorum avus clariſſimus im-*

immenso labore perfecerat: quumque alia ad Musicam cum novam tum veterem spectantia egregia eius opera mihi obtinuisset, quantocius proferenda anno MDCCXXXVIII. *esse decrevit. Haec inter Volumen alterum harumce Inscriptionum, quae in Etruriae Vrbibus exstant, protuli. Paullo post, quum Nobilissimi Florentini Equites Socii decem Voluminibus se congesturos promisissent insigniora omnia antiqua Monumenta, quae in Museo Mediceo ceterisque Florentinis Cimeliothecis spectantur, ad hoc illustre Opus illustrandum, suadente Amplissimo Senatore Philippo Bonarrotio, delectus sum, in quam plane curam ut sedulo totus incumberem, & lubenti animo huic pelago me committerem, aura regiae suae benignitatis & munificentiae me recreavit Ioannes Gasto Magnus Dux Etruriae, qui in Florentina Academia Historiarum Professoris munere ac stipendio me decoravit, donavitque. Primum Musei Florentini Volumen prodiit anno* MDCCXXXI. *reliqua deinceps; sextum hoc ipso anno* MDCCXLIII. *Sed quum Tabulas, quae Numismata maximi moduli continent, iam incisa aereis Tabulis, cum singulis archetypis conferre opus fuisset, dum haec duorum fere annorum spatio perficerentur atque emendarentur, necesse mihi fuit, ne interim frustra tempus tererem, complura Etrusca monumenta, Volaterris eodem fere tempore eruta, in lucem proferre, suadentibus & Genio meo, & amicis, quorum voluntati morem non gerere, nefas esse duxi.*

Iam igitur probe intelligis, LECTOR HVMANISSIME, *cur serius quam in votis erat, huic Operi postremam manum admoverim; non enim taedio adfectus; sed aliis curis plane non inutilibus mihi demandatis distractus, haec intermittere, non vero omnino deserere coactus sum. Sed quanto cum foenore tuo & litterariae Reipublicae id ipsum contigerit, ex eo existimare poteris, quod quum singulari Volumine antiquas omnes Inscriptiones, quae Florentiae, & in reliquis Etruriae Vrbibus exstant,*

complecti me posse primum credidissem, ampliato deinceps eodem opere, alia duo Volumina adiicere necesse fuit. Id enim mihi semper servandum proposui, aut nihil facere, aut quae fiunt, nullis curis praetermissis, absoluta reddere ac perficere.

Primum quum ad hanc Syllogen, ante me a nemine editam, animum adpuli, vix credidissem, editis iam duobus Voluminibus, in quibus ter circiter mille antiqui lapides patefacti sunt, alios adhuc non paucos superesse, quos tum ex aliorum Schedis, tum ex libris, adcedente & mea, & amicorum cura & favore, expiscari optimum factu mihi visum est.

Dum hoc Opus excuderetur, alia nunquam antea edita monumenta adcessere plane non contemnenda, vetusta nempe scripta Marmora praeclara admodum & utilia, ad Misenum effossa, quae, quum Neapoli degeret, sibi comparavit Vir praelaudatus Andreinius, quae post eius obitum ex eadem urbe Florentiam translata anno MDCCXXXVII. *eius heredes mihi vendiderunt. His aliisque monumentis quum meum Museum ornassem, in mentem venit Rei Navalis Romanorum Historiam amplificare, vel aliis ad opus huiusmodi valde praeclarum concinnandum absolvendumque subsidia huiusmodi praebere; quare trierium, quadrierium, quinquerium, & Liburnarum Elenchum heic proposui, & militum utriusque Classis cum Ravennatis, tum Misenensis officia nonnullis observationibus illustrare conatus sum.*

His ad ornandum locupletandumque Museum meum, praeter Etrusca, quae prolata a me sunt, & alia, quae proferentur monumenta, adcessit inscriptorum lapidum antiquorum integra supellex, quam in Villa sua ad Scamnicia *servabat Vir Nobilissimus meique amantissimus* ANGELVS COMES GALLIVS, *Patricius Florentinus, qui eam singulari liberalitatis, & benevolentiae exemplo mihi dono dedit: in qua quidem ea tantum tabula deest, profecto rara, duorum Consulum P. Sulpicii Quiri-*

rini & C. Valgii collegio illuſtris, de quibus infra ſermo: quae parva tabula marmorea, ut mox dicam, fato quodam in alienum Muſeum translata eſt.

Anno MDCCXXXIX. *quum Florentiae moraretur, & Florentina Muſea mecum luſtraret* CAROLVS FRIDERICVS *Anglus, Vir Nobiliſſimus, cui parem neminem vidi qui impenſius colat, diligentiuſque ſcrutetur eruditae Anquitatis arcana; quumque familiaribus colloquiis egregiam ac multiplicem eius eruditionem deguſtarem, adcidit ut quae in Itinere ſuo pulcherrima & memoratu digna obſervaverat, magniſque impenſis delineanda peritiſſime curaverat, dum exponeret, incidit ſermo de* Laconico Piſano, *pulcherrimo Auguſtei aevi aedificio, quod ad haec uſque tempora integrum non ſine ſtupore & voluptate cultorum venerandae Vetuſtatis Piſis viſitur: quod licet a viris doctiſſimis* Robortellio, Rhodio, Ceſſinio, Baccio, *&* Noriſio *luculenter deſcriptum & illuſtratum fuerit; numquam tamen litteratorum hominum oculos ſubiit tam adcurate tribus Tabulis delineatum, quemadmodum factum a me eſt, cui nonnullas meas Obſervationes, quae ad rem balneariam veterum illuſtrandam pertinent, adiicere, ſuadente eodem Viro eruditiſſimo, volupe mihi fuit; quare eius praeclariſſimo nomini idem opus inſcribendum eſſe cenſui.*

Dum haec agerentur, contigit, ut MARIVS GVARNACCIVS, *Patricius Volaterranus, Romanae Aulae decus, ac Praeſul doctiſſimus, veterum monumentorum admirator, & conquiſitor eximius, complura vetuſta marmora litteris ſcripta, Romae nuper effoſſa, in patrium Muſeum ſuum, Etruſcis quoque monumentis, quae propediem mea cura in lucem venient, refertiſſimum, transferenda curarit, quae in hoc meo Syntagmate locum habere voluit, ſingulaque a ſe deſcripta ad me miſit: cui Viro, eiuſque optimis fratribus Ioanni Equiti Guarnaccio, Volaterranae Eccleſiae Praepoſito meritiſſimo, & Petro Sacri Ordinis Hieroſolymitani Equiti ornatiſ-*

tiſſimo, quantum debeant mea ſtudia, alibi ut ſpero, erit opportunior ad dicendum locus. Alia vetuſta monumenta diligenter ſibi in dies conquirit idem Guarnaccius Praeſul Ampliſſimus, numiſmata, ſigilla Deorum, ſimulacra, & ſtatuas: inter quas marmoreus Hercules, & marmoreus Iupiter, qui aquilam oblata eſca paſcit, admirando opere a Grecis Statuariis praecellentiſſimis abſoluta.

Dolueram iure ac merito vetuſta marmora, quae Florentiae exſtant in Vrbanis Hortis Principum Corſiniorum ita congeſta ſub dio iacere, ut facile labefactari & perire poſſent; ſed elapſo anno, quum in iisdem Vrbanis ſuis Aedibus aeſtivos dies ageret Eminentiſſimus ac Reverendiſſimus Princeps S. R. E. Cardinalis, NEREVS CORSINIVS, *vetuſtorum operum admirator & aeſtimator egregius, poſcenti mihi ut ea omnia antiqua monumenta, iam a me in priore huius Operis Volumine edita, ab interitu vindicaret; curam mihi commiſit, ut ſingula ſub elegantiſſimo Xyſto in quatuor parietum metopis, ut propoſueram, diſponerem, quae eidem aedificio erudito ornamento & decori eſſent: quod accurate & eleganter factum eſt. Hac tunc occaſione aliquot lapides deperditos vel ſublatos fuiſſe comperimus; aliqui vero, qui antea me latuerant, in medium prodierunt: nonnulli quoque diſſipati ſimul coniuncti, & conſociati ſunt, quos ſuo loco inferius editos vide.*

Quod multa ſaxa litteris vetuſtiſſimis ſcripta anteactis ſaeculis perierint, nimia oſcitantia, ac foeda barbarorum hominum ignoratio in cauſa eſt: quae quidem tanta fuit, ut in ſubſtructionibus maiores noſtri priſca marmora vel litteris vel figuris inſculpta, quae minime intelligebant, iecerint, vel in fornaces abiecta, in calcem reduxerint: quod fatum maximo cum Vrbium, tum Romanae Hiſtoriae, ac priſcae eruditionis detrimento ſua quoque tempeſtate contigiſſe, diſertiſſimis verbis oſtendit Frater Ioannes Iucundus Veronenſis in duabus Epiſtolis, quas

quum

quum paullo ante cum amicissimis viris communicassem, nolui & hoc in Volumine praeterire, ut saltem Florentinos cives, qui nobis succedent, pudeat in pretio non habere vetustos lapides scriptos, e quibus veluti e fontibus omnigenae eruditionis thesaurus hauritur, maximisque adiumentis fulcitur atque firmatur omnis praeteritorum temporum Historia. Eversionem Bibliothecarum antiquarum cum Graecarum, tum Romanarum, quae Romae maxima copia exstabant, marmorum quoque antiquorum litteris consignatorum, statuarum aedificiorumque veterum exscidium a Romanis civibus factum (si civis, si denique homo adpellandus est is, qui tam detestabili scelere polluitur) deflet & acerrime detestatur Cencius Romanus in Epistola, quam scripsit Francisco de Fiana, praeceptori suo doctissimo, quae litterario orbi, ut alia plurima, egregia eruditionis fruge referta, innotuit immortalibus curis Amplissimi Principis S. R. E. Cardinalis, & Bibliothecarii Apostolici Doctissimi, ANGELI MARIAE QVIRINI, *qui eam integram dedit in luculentissima sua Diatriba Praeliminari ad Francisci Barbari Epistolas, pag. 8. quod opus litterariae Historiae compendium supra laudem omnem praecellentissimum, identidem adpello & praedico. Contra eversores veterum monumentorum egregium Commentarium scripsit & Petrus Angelius Bargaeus noster, vir omni aevo propter summam doctrinam memorandus. Optime profecto ac sapienter hi faciunt, qui quum vident praeclara haec Vetustatis monumenta vel negligi, vel everti, timentque in posterum penitus interire posse, ea in suas aedes transferunt, sensimque Museum exstruunt nobilissimum; quam quidem laudem nunc egregie occupat Vir Nobilissimus Caietanus Antinorius, Eques Ordinis D. Stephani, Regii Consilii & Regiminis Magni Ducis Etruriae feliciter regnantis a Secretis meritissimus, qui lapides omnes scriptos & anaglypha, quae in Hortis Nobb. Spigliatorum sub dio putrescebant, & in interitum in dies ruebant,*

bant, & alia in suburbanis Agris neglecta erudita marmora in suum Museum transtulit; & antiquitatis κειμήλια undique nunc conquirit, & diligenter e fati faucibus eripit.

Haec Monumenta maiores nostri usque ad saeculum fere decimum quinctum neglexerunt. Sed Musis omnibus in sinum summi illius viri COSMI, *qui decreto publico* Patriae Pater *merito adpellatus est, eiusque Nepotis Laurentii Medices magnifici viri feliciter convolantibus, & in iisdem altis liberaliter, & ad summum gloriae fastigium evectis, Antiquitas ipsa renasci feliciter, adolescere utiliter, & vires summa cum gloria capere visa est: ad quam illustrandam atque augendam doctissimi viri apud nos Poggius, Politianus, Leonardus Arretinus, Crinitus, Oricellarius, Leo Baptista Albertus, & ante hos summus Vates Franciscus Petrarcha, & alii non pauci, a Deo plane facti missique ad Antiquitatem restituendam, & in pristinum decus conlocandam videntur. Florentibus illis Mediceae Gentis Heroibus coli tunc primum coepta fuisse haec studia priscae eruditionis, expensa numismata, lapides, gemmas, ne quid dicam de manu conscriptis Codicibus, omnium eruditorum consensu testatum est, idque summa cum laude huius Vrbis testatur ac fatetur doctissimus Ezechiel Spanhemius* (1).

Primum illud maiorum nostrorum, qui litteras coluere, eximium decus silentio minime praetereundum est; nescio enim an aliae urbes plures Antiquitatis cultores numerare possint, qui saeculo XV. vetustos lapides scriptis suis aeternitati consecrarint. Refertae sunt fere omnes Florentinae Bibliothecae Codicibus manu conscriptis, qui luculenta exhibent antiquarum Inscriptionum Syntagmata. Hi exstant in Bibliotheca Laurentianae Basilicae: exstant in Bibliothecis Gaddia, Strozia, Riccardia, Rinuccinia, Guadagnia, Magliabechia,

(1) De Vsu & Praest. Numism. antiq. Differt. 1. pag. 32.

chia, atque in aliis non paucis: quorum Codicum historiam heic addere cupiebam; ſed curis aliis preſſus, alibi ut ſpero id perficiam, & egregiorum Florentinorum, qui in hanc urbem vetuſta monumenta ſuis impenſis, & quidem maximis advehenda curarunt, quique Muſea ſibi exſtruxerunt, eaque numiſmatis, gemmis, ſignis, ex aere ac marmore ſtatuis nobilitarunt, diligentius, nacta opportunitate, deſcribam, & facile Hiſtoriam Antiquariam enucleabo. Sed illud quod, ut video, a nemine nondum patefactum eſt, heic ſi declarem atque aperiam, opere pretium me facturum arbitror: aeternam enim laudem ille meretur, qui primus omnium fuit, cui in mentem venit in lucem proferre typis expreſſa marmora vetuſtis litteris conſignata. Hunc Antiquariorum omnium Choriphaeum, Florentinum hominem fuiſſe adfirmo, qui quanti ea faceret, edita ab eo de priſca Roma *volumina fidem perſpicue faciunt. Is eſt* FRANCISCVS ALBERTINIVS, *quem in Florentinorum Canonicorum Collegium cooptatum fuiſſe, e priſcis monumentis eruit Vir Celeberrimus, quem ego ipſum patriae Hiſtoriae Genium adpello, Salvinus Salvinius, Canonicus Florentinus, qui id ipſum, quod in eiusdem Albertinii Vita ipſe adnotavit, peramice mecum, ut ſolet, communicavit. Id enim conſtat auctoritate & teſtimonio eiusdem Albertinii, qui in ſuo Commentario Romae edito anno* MDIX. *(P. Negrius S. I. P. ſcribit anno* MDV., *quod videndum eſt) qui inſcribitur* de Mirabilibus novae & veteris urbis Romae, *quem Iulio II. Pontifici Maximo ſuperiore anno inſcripſerat, identidem citat Opuſculum alterum ſuum* De veteribus Epitaphiis Romanorum, *adfirmatque a ſe dedicatum fuiſſe Iulii II. Pont. Max. Nepoti Xyſto Vice Cancellario & S. R. E. Cardinali Titulo S. Petri ad Vincula. Vetera autem Epitaphia, quae ipſe in Opere ſuperius memorato adfert, ſunt ſeptuaginta & amplius, eademque ab Iacobo Mazochio Romano adferuntur in Volumine quod inſcripſit* Epigrammata antiqua Vrbis, *quod Hadriano VI. Pont. Max. nuncupa-*

vit

vit ediditque anno MDXXI. *Nullo tamen nititur fundamento, quod de ſe ſcribit Mazochius in Epiſtola dedicatoria ad Marium Maffeium Patricium Volaterranum, Epiſcopum Aquinatem, in qua ſatis magnifice de ſuo labore loquitur, atque inter ceteras ſuas laudes eam ponit, quod hanc edendorum Epigrammatum antiquorum curam* adgredi, nedum perficere nemo hactenus ſit auſus. *At ſubleſtae fidei vel plagii argui Mazochius poteſt ex eius teſtimonio; nam in fine Operis, quod Romae publicavit anno* MDX. *inſcripſitque:* De Roma priſca & nova varii Auctores*: inter quos principem locum tribuit Albertinio noſtro, ita ſcribit:* Impreſſum Romae per Iacobum Mazochium, Romanae Academiae Bibliopolam, qui infra paucos dies *Epitaphiorum Opuſculum* in lucem ponet: *& id ipſum iisdem verbis ſcribit in fine eiusdem Operis, quod iterum publicavit anno* MDXV. *quare nil mirum ſi Pocciantus noſter ſcripſerit Albertinum* edidiſſe etiam Epitaphiorum antiquorum Opuſculum.

Neque illud de ſe tam magnifice ac vere praedicare potuit ac debuit Mazochius, quod primus omnium hanc curam edendi vetuſta Epigrammata ſit adgreſſus; nam ante eum aliquot annis hanc gloriam ſibi docta Germania vindicabat, quae ad librum ſuum inter meos rariſſimum provocat cum hoc titulo: INSCRIPTIONES. VETVSTAE. ROMAN. & earum Fragmenta. in Auguſta Vindelicorum. & eius Dioeceſi. cura & diligencia CHVONRADI PEVTINGER. AVGVSTANI. Iuriſconſulti. antea impreſſae. nunc denuo reviſae caſtigatae. ſimul & auctae. M. D. XX. *In Praefatiuncula ad Lectorem Peutingerus Vir Praeſtantiſſimus monet, harum vetuſtarum Inſcriptionum fragmenta a ſe, atque ceteris doctis viris ſuperioribus annis edita iuſſu Maximiliani Principis, ac publicata in Auguſta Vindelicorum, demum recognita & aucta denuo adparere impreſſa a Ioanne Schoeffero Moguntino. In fine haec adnotantur:* Excuſa ſunt haec antiquitatum collectanea in aedi-

bus

bus Schoeffer Moguntiaci. anno Christi M. D. XX. Mense Augusto. *Syllogen illam antiquarum Inscriptionum (quae tamen numerum* XXXV. *non excedunt) cuius tempus generice indicavit Peutingerus in sua Praefatione, scribens* superioribus annis *editam, quum videre cuperem, investiganti mihi non occurrit. Ad Niceronium confugi, qui in Memoriis Gallico sermone scriptis Virorum Illustrium Tom.* XIII. *pag.* 336. *in Vita Peutingeri, prioris editionis tempus ita indicat*: Romanae Vetustatis fragmenta, in Augusta Vindelicorum, anno Christianae Salutis MDV. VIII. Kal. Octobr. Erchardus Augustensis impressit. *Posteriori Peutingeri editioni factae per Schoefferum, in meo Volumine adnectuntur* COLLECTANEA Antiquitatum in Vrbe atque Agro Moguntino repertarum anno Domini M.D.XXV. mense Septembri *In fine quoque Schoefferus adnotat e suis aedibus Moguntinis prodiisse haec Collectanea anno Christi* M. D. XXV. *mense Septembri. Ne igitur Italia, ac praesertim Florentia, cum Germania artium & litterarum propagatrice contendat de gloria primatus in edendis antiquis scriptis Marmoribus, dicamus utrumque regnum de hoc studio optime meritum & Germaniam iussu Maximiliani Principis Magnificentissimi, curante Erchardo, & Romam, auctore Albertinio Florentino, scriptorum lapidum divitias effudisse, & hanc Antiquitatis scientiam Italis primum, ac toto litterario orbe viris monumentorum veterum cultoribus aperuisse. Mazochio potius ut irascar necesse est, qui, quum Epitaphia vetera iam ante annum* MDV. *ab Albertinio collecta, quamprimum proditura promisisset anno* MDX. *ea distulit, & in sua Sylloge ea omnia ipsa Epigrammata pervulgavit, quae iam Albertinius ante annum* MDV. *ut in lucem quamprimum proferret, collegerat: quodque minime ferendum, eum iam fato functum in sua editione idem Mazochius Bibliopola Romanus*

nus, seu potius docti homines, qui Romanam Academiam constituebant, huius operis Auctores, nominarunt. Optandum est, ut aliquis vir doctus, exemplo praeclarissimi Viri D. Anselmi Bandurii, qui Bibliothecam Nummariam *confecit, in qua Auctores, qui de re Nummaria scripserunt, recenset; ita* Bibliothecam Lapidariam *proferat, qua nomina eorum qui antiquos lapides vel collegerunt vel illustrarunt, accurata serie proferantur: quod si aliquando mihi opportunum aderit tempus, id ipsum ut contingat curabo, & addam meae Historiae Antiquariae. Id enim neque a V. C. Ioanne Alberto Fabricio in sua* Bibliographia Antiquaria, *neque ab aliis praestantibus viris factum doleo.*

Neque etiam praeteriit Franciscus Albertinius in suis editis lucubrationibus praeclara, quae hanc Vrbem Florentiam maxime nobilitant aedificia cum sacra tum profana, vetusta quoque monumenta, & alia admiranda Antiquitatis opera, quae descripsit & laudavit. Elucubravit etiam & publici iuris fecit Romae anno MDX. *Opusculum, quod ita inscripsit:* Septem Mirabilia Orbis & Vrbis Romae & Florentinae Civitatis cum Epitaphiis *etc. quod Emanueli Lusitaniae & Algarbiorum Regi invictissimo dedicavit: in quo primus omnium peraccurate edidit, utpote nuper repertum, quod vidit ipse apud Montem Citatorium in Campo Martio, in aedibus Domini Dominici de Cecchinis Civis Romani, celebre illud epitaphium, quod alii postea publicarunt, & habet Gruterianus Thesaurus pag.* CCCXXXVII. *quod incipit:* M. AVRELIVS. DIOCLES. AGITATOR. FACTIONIS. RVSSATAE; *sed apud Gruterum in dextro latere mancum ostenditur marmor, & inscriptio male ita incipit* .... LEIVS. DIOCLES. *Hoc ipsum egregia eruditione antiquitatum Parens eximius Onuphrius Panvinius illustravit, utpote ad Circenses ludos illustrandos mirifice pertinens. Huius Dioclis mentio extat in Chronico Flavii Dextri, quod ad meum Codicem, olim suum,*

ad-

adnotavit V. C. Ioannes Baptista Donius. Hunc Francisci Albertinii librum mihi videndum obtulit praelaudatus V. C. Canonicus Salvinius.

Quantum igitur Albertinio Florentino debeat ab interitu & oblivione vindicata Vetustas, & Romana Historia, omnisque eruditio, perspicuum est, quum ei primum in mentem venerit, & quod mente concepit effecit, ut veteres Inscriptiones formis expressae per manus eruditorum hominum Italorum tunc primum irent. Exstat etiam alter perrarus eiusdem Albertinii liber, patrio sermone ita inscriptus: Memoriale di molte Statue et Picture, sono nella inclyta Ciptà di Florentia per mano di Sculptori et Pictori excellenti moderni et antiqui, tratto dalla propria Copia di Messer Francesco Albertini Prete Fiorentino, anno Dni 1510. *In fine haec leguntur:* Impresso per Ser Antonio Tubini nella inclyta Ciptà di Florentia questo di 2. Octobre MDX. al tempo dello Illustrissimo Pietro Soderini Gonfaloniere et primo Duce. *Opusculum hoc Albertinius inscripsit Bartholomaeo Lupio Sculptori Florentino. In hoc Opusculo idem Albertinius enumeravit ac descripsit non pauca Antiquitatis monumenta, quae Florentiae sua tempestate spectabantur, atque inter haec Polycleti statuam eius nomine inscriptam, quae ostendebatur in aedibus Ghibertorum: item Herculis aheneam statuam; sed Epitaphia antiqua nulla descripsit, quae, ut arbitror, vel paucissima tunc erant, vel in abditis locis obscurisque ignorata delitescebant. Describit etiam leonem e marmore porphyretico, de quo sermo a me institutus in Par. II. huius Operis pag. 105. quod opus plane mirandum, spectatum, & valde laudatum fuisse a viro magnificentissimo Laurentio Medice, adfirmat. Multa tamen monumenta, quae Albertinii tempestate Florentiae exstabant, ego ipse inveni, & in primo Volumine patefeci.*

Illud etiam notandum est, quod frequenter hae

vetusti aevi reliquiae sedes mutant pro hominum lubito, & ab una sede in alias transferuntur: quod his qui haec Collectanea legunt, notum perspectumque esse volo. Maximum profecto beneficium cum erudita Vetustas patria, tum Historia caperet & adiumentum, si earum Inscriptionum, quae exstant, locum ubi erutae sunt sciremus: quod in posterum Florentini Antiquitatis cultores, ut spero, ne haec ignorentur, diligenter adnotare studebunt: quandoquidem in dies eas investigant, & investigantes inveniunt, ut de his quae latitabant, contigit, quas cum amici homines mihi indicarint, eas videre atque exscribere longe mihi fuit iucundissimum: licet autem earum notitia, absoluto hoc Volumine, ad me seius quam par erat, pervenerit; eas tamen in ipso operis vestibulo adiicere peropportunum esse censui.

Marmoreae duae Vrnae perelegantes exstant in Villa Nob. Comitis Del Benino, non longe a regione, in Florentino Agro, quae Doccia *vulgo adpellatur. Eaedem elegantibus quoque parergis, & epigraphe ornantur, quae ita, se habent.*

C· MANNEIVS CORANVS ARCHIMIMVS	DIS MANIB C· NORBANI DEMETRI

Has in lucem protuli, inter Volaterranos lapides in Par. II. huius Operis pag. 171. num. 18. & pag. 172. num. 22. eas tamen ex indicatis locis in hanc Villam Florentini Agri translatas miror; causas tamen ignoro. Habemus in altera C. Manneii Archimimi nomen, qui Coranus fuit; ei nempe patria fuit Cora in finibus Volscorum, quam inter Colonias Latinas recenset Livius, eodem anno cum Pometia deductam: de qua luculenter

Clu-

Cluverius Ital. ant. Lib. III. Cap. VIII. C. Norbanus Demetrius ingenuus factus est fortasse a C. Norbano Flacco, qui, teste Dione, Legatus fuit M. Antonii bello Philippensi, quique non multo post Consulatu potitus est, anno V. C. DCCXVI. *& forte iterum anno* DCCXXX. *& triumphavit de Hispanis anno* DCCXIX. *vel potius a C. Norbano Flacco, qui Consul sub Tiberio, Drusi Caesaris Collega fuit anno V. C.* DCCLXVII. *ut notat Glandorpius.*

Pisis ad hoc tempus delituere in Aedibus Nobilium a Scorno duo marmorea Cineraria, quae sequuntur.

D · M · SCRIBONIAE · HEDONI
Q · TAMPIVS · HERMEROS
CONIVGI · KARISSIMAE · FEC ·
CON QVA · VIX · AN · XVIII · SIN
QVERELLA . CVIVS DESIDERIO
IVRATVS · SE · POST EA
VXORE · NON · HABITVRV

DIS · M ·
ZETHO · CORINTHVS
TATA · EIVS · ET NICE MAMMA
FEC · V · A · I · D · XVI ·

Hos lapides Angelus Maria Bandinius; sequentes vero Antonius Magrinius eruditae antiquitatis studiosi descripserunt.

In-

In Aedibus D. Petri del Voglia, Equitis Ord. S. Stephani.

D · M
POMPEIAE ACATAE
IONICENI · P · COR
NELIVS · FELIX
CONIVGI DVLCISSI
MAE· Q· V· AN· XXIII
M · IIII · D · XXIII

In iisdem Aedibus in perparva Vrna.

D · M
AVFIDIAE· VICTORIAE
CONIVGI · BENEMER·
FECIT
P · VETVRIVS
MARTIALIS
CVM · QVA · VIX·
ANNIS · XXV ·
MENSIBVS· X· DIEB· XV·
HORIS VII·
S · Q · V

Alteram ex his Aufidiae Victoriae *inscriptam, iam edideram in Part. I. pag. 41. n. 46. ex Fabretto, sed mancam; quae nunc pristinae integritati restituitur.*

Pisis, in Ecclesia Cornazani diruta, extra Portam Lucensem lapide IV. *in Vrnula, quae lustrali aquae deserviebat.*

D · M
VINCENTI · FRATRI
CORN · SOR ·
LIBERT · LIBERTAB · EIVS
ET M · FAB · DVC · FORTISS·
POSTERISQ · SVIS · P ·
H · MON · HER · N · S ·

DVC · FORTISS · *Heic menda non pauca cubare arbitror; adeoque epigraphen non accurate descriptam.*

Per-

Perlubet heic ſubiicere duas athleticas teſſeras, quarum primam inſcalptam cylindro e Sarda gemma, altitudinis fere unius unciae cum dimidio nuper mihi oſtendit V. C. Ianus Plancus Medicus Ariminenſis, in Senenſi Lyceo Anatomes Profeſſor; altera vero eburnea paucis ab hinc diebus ad manus meas pervenit.

F E L I X	S E R V I L I V S
A N T O N I	C L E M E S *ſic*
SP· K· IVN	S P K I A N
FVLVO · COS·	TI·CLAV·CN·PISON

Complures numerantur in Faſtis Conſules e Fulvia gente; quare difficile eſt certum tempus indicare; ſed quod heic ſcriptum ſit FVLVO, *pro* FVLVIO, *ſubſpectam reddit epigraphen; nondum etiam in teſſeris ſolitarium Conſulem adnotavi. Par vero Conſulum alterius teſſerae eburneae incidit in annum V.* C. DCCXLVI. *ſeptimo ante Aeram Chriſtianam anno, quo Conſules iterum fuere memorati Tiberius Claudius Nero, & Cn. Calpurnius Piſo.*

Haud etiam heic ſilentio praeteribo epitaphium, quod poſtrema linea mancum protuli in Parte I. pag. 450. *huius Operis, utpote ſub primis gradibus Altaris abſconditum in pavimento. Id mihi innotuit hoc ipſo tempore, quo ex Eccleſia Plebis S. Petri ad Ripulas in Agro Florentino, ubi olim effoſſum eſt, migravit in Muſeum Illuſtriſs. Viri Caietani Equitis Antinorii, quem ſupra laudavi. Ex eo diſcimus in Florentina Colonia claruiſſe* Tulliam *familiam, & in eam adſcitum Cnaeum*

Tul-

Tullium Aesum, professione Medicum, eumque non ingenuum, sed libertum fuisse. Epitaphium marmori insculptum ita se habet:

CN · TVLLIO
CN · L · AESO
MEDICO
IN · AGR · P · XIV · IN · FR · P · XIV

Ad CHRISTIANOS LAPIDES *a me editos in hoc Volumine a pag. 305. ad pag. 360. gradum facio. Supervacaneum duxi in hac Classe congerere & alios complures Christianos titulos, iam editos in singulis huius Operis Voluminibus, ne frustra tempus terere: quare singulorum loca in fine Indicis satius duxi recensere. Insigniores e vetustissimo Coemeterio Basilicae SS. Machabaeorum, nunc S. Felicitatis nuncupatae, in lucem prodiere, eruti anno* MDCCXXXVI. *quum eadem Ecclesia in elegantiorem formam egestis ruderibus exstrueretur. Inter hos lapides principem locum obtinet ille, qui editus est pag. 314. num. 4. Doctissimum virum Ioannem Hagenbuchium, Tigurinum Professorem Celeberrimum, consului, ut eas, quae se mihi obiecerant difficultates, ingenii & eruditionis suae luce discuteret. Fecit ille, ut solet, humanissime; eiusque observationes, quas miserat Idibus Novembris eiusdem anni, ibidem adtexui. Sed quum difficultatem ceteris maiorem non omnino sustulisset, quae occurrit in tertia linea eiusdem lapidis, nempe* Κω ΝΙΚΕΡΑΤΩ, *sequenti anno altera epistola scripsit* Κω *se malle accipere de patria puellae,* Κώρῃ vico Niceratum, *ut* Νικεράτων *sit genitivus pluralis incolarum. Sed evolventi mihi editos Christianos lapides, singularis ille penes*

nes Cl. Boldettum mihi occurrit, quem profero pag. 323. *quo auspice intellexi sigla illa* Κω *exprimere* ΚΩΜΗΣ, *scilicet* pago, *seu* vico; *non autem* Κώρῃ, *ut Hagenbuchius primum monuerat. Id quum amico optimo ac praestantissimo, mense, ni fallor, Novembri anni* MDCCXLII. *per litteras nunciassem, eodem tempore epistolam ad me scripsit, quam, quum loco suo adferre nequiverim, ne litteratos viros his curis doctissimis fraudem, operae pretium me facturum arbitratus sum si eam heic adferrem. Perpaucis itaque in principio omissis, quae mutua benevolentiae officia continent, haec amicus meus rei antiquariae consultissimus ad me scribit, quae tum hoc Epitaphium, tum alia Christiana, & antiquos ac recentiores Scriptores egregie illustrant, & emendant.*

Moras tuas, ut potui, tuli: meumque mihi dolorem, ut consolarer, quia quod legerem mihi non scribebas, egregia ingenii tua monimenta, quae omnibus scripta sunt, relegere otiosior fui solitus. Quae mihi dulcissimo literarum tuarum sermone, atque adeo iucundissimo amicitiae nostrae fructu tamdiu carenti, laetissima observationum surrexerit seges, ne pluribus quidem epistolis narrare possem; si, quae ad Donianum opus Tuum, nec non ad Etruriae Inscriptionum duo Volumina Tua mihi sese dederunt, ex charta in papyrum transferre deberem. Potius, quia Tuas Etruriae Inscriptiones ad umbilicum fere perductas, ultimumque earum Spicilegium in Tomo III. proxime Te exhibiturum scribis, constitui Tecum agere hac Epistola de saxo tuo Graeco, quod eodem Tomo prodibit. Κω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ quid esset, dubii atque incerti aliquamdiu fuimus. Κω Muratorium CCCCI. 4. *cui* transtulisse, quum viderem, ineptae interpretationis pertaesus, quod quam statuit ellipsin vocum duarum parenthetarum (*patria locus*), multoque etiam magis Ionicum interrogativum Κῷ pro Πῷ (unde Latinos dativum pronominis interro-

gativi & relativi *quoi* vel *cui* formaſſe eruditiſſimus Perizonius ad Sanctii Minervam Lib. III. Cap. XIV. not. 7. p. m. 487. ſeqq. docere nititur) genere maſculino, de puella pro ὧ adhibitum, concoquere non poteram: auſus ſum coniicere, Κω vocabulum legendum κώμης, notarique Mariam filiam Ioannis fuiſſe κώμης, oriundam *ex vico*, Ν ΚΕΡΑΤΩΝ. Quam coniecturam meam, anno MDCCXL. tecum, quod non neſcis, communicatam, poſtea anno MDCCXLI. quum Muratoriani Theſauri Tomi duo, ſecundus & tertius, Mediolano mihi una eſſent advecti, haud parum confirmatam vidi exemplis aliorum lapidum Graecorum, quos novus Muratorii Theſaurus mihi ſuppeditabat; in cuius Tomo tamen quarto demum monumenta inprimis Chriſtianorum, quantum arbitror, complexuro, forte prodibunt plura eandem rem confirmatura etiam magis: an Tomus ille IV. aut iam prodierit, aut proxime proditurus ſit, nildum comperi. Tom. II. pag. 1048. 2. ex Boldetto ΚΟΜΗ pro ΚΩΜΗ, notante ibi Muratorio ipſo pag. 1048. 3. ex Boldetto ΚΩΡΙΟΥ pag. 1049. 4. ex Margarino ΚΩΡΙΟΥ. ſcilicet ἀπὸ vel ἐκ praepoſitio omiſſa, regens genitivum κωρίου, κώμης etc. ut expreſſa praepoſitione pag. 1056. 2. ex Boldetto DE REGIONE. Quid? quod ipſe genitivus patriae ΚΩΜΗΣ a me inventus eſt in Donianis tuis, XX. 58. pag. 535. ex Meneſtrierio: ex quo ſaxo in Indicibus tuis nihil adtuliſti, niſi inter Chriſtianorum nomina virorum Κασσιάνος, peracute: verſionem quoque Latinam non dediſti, monſtrum lectionis ΤΟΛΜΑΡΟΥΚΩΜΗΣ triceps, i. e. ex tribus male coalitis vocibus ortum, adoriri non auſus. Neſciebas, optime GORI, iſtam epigraphen optime iam datam ab Luca Holſtenio, in Notis & Caſtigationibus in Stephanum Byzantinum opera Theodori Rykii Lugd. Bat. 1692. editis p. 7. b. med. ad haec Stephani verba: ἌΔΑΝΑ, Κίλισσα πόλις, οὐδετέρως.]

In-

Inſcriptio nuper reperta : ΕΝΘΑ . ΚΕΙΤΑΙ . ΕΜΙΔΑΒΟΥΣ . ΓΑΜΗΤΗ . ΚΑΣΣΙΑΝΟΥ . ΤΟΥ . ΜΑΡΙΟΥ . ΚΩΜΗΣ . ΑΔΑΝΩΝ . ΚΑΙ . Ο . ΥΟΣ . ΑΥΤΟΥ . ΠΕΤΡΟΣ. Nonne lectio Holſteniana Γαμητὴ Κασσιανοῦ, ΤΟΥ . ΜΑΡΙΟΥ . ΚΩΜΗΣ eſt πάσης ἀποδοχῆς ἀξία. *Vxor* [γαμητὴ enim non dubito idem eſſe, quod in Lexicis Graecis nonniſi γαμετὰ, & γαμετὴ, γυνὴ, per ἐψιλὸν ſcriptum occurrit] *Caſſiani*, QVI FVIT filius MARII, oriunda ex VICO ADANIS. ΚΩΜΗΣ ΑΔΑΝΩΝ non auſim, quod Holſtenius fecit, de Adanis Ciliciae interpretari. Haec enim ADANA fuerunt Ciliciae non κώμη, ſed πόλις, inter tres πόλεις eiusdem nominis Stephano Byzantino primo loco memorata. CIVITAS ADANA in Itinerario Hieroſolymitano pag. 580. ed. Weſſelingianae, cuius Index ſecundus falſum numerum oſtendit, *Adana civitas* 380. pro 580. In Notitiis Eccleſiae, ADANA ſunt urbs Epiſcopatu, hodieque vigente, inclyta, & ADANORVM Epiſcopos Conciliis ſubſcripſiſſe Carolus a S. Paulo in Geographia Sacra Patriarchatus Antiocheni, in Notiſque ad eam Holſtenius monuerunt pag. 289. edit. Amſtelaed. Ne de numis ΑΔΑΝΕΩΝ, urbis Ἀδάνων ſplendorem atteſtantibus dicam: quae omnia, qui in unum collegerit, Adana dignitate urbis non excidiſſe, neque κώμην evaſiſſe, haud difficulter concedet. Saxi ergo Doniani Κώμης Ἀδάνων ſitus extra Adanae, Κίλισσαν πόλιν, in vico ignobili verius inveſtigatur. Vbi vero in regione omni terrarum? Quid ſi tantae ignobilitatis vicus Adana haec fuerint, ut nemo Scriptor antiquus ad noſtra tempora ſervatus referre, nedum laudare dignatus ſit? Dum quis me doctior, Geographiaeque veteris ſtudioſior alicunde eruat, quod mihi latet, liceat hariolari, in Syria fuiſſe: cui coniecturae meae, ſi pondus ullum ineſſe exiſtimabis, GORI doctiſſime, eadem opera *Tibi* probavero, vocem Κώμης etiam ſigla Κ. olim notatam fuiſſe : id quod ad firmandam ſiglam ſaxi tui Κ͂ a me Κώμης le-

lectam plurimum conferre ultro agnoſces. Accipe rem omnem: nihil enim te celare poſſum, minime vero omnium hoc, quod Fabrettum tangat feriatque, apud quem Inſc. pag. 740. Cap. X. num. 502. haec epigraphe legitur Graeca, cum hac eiusdem verſione:

Veronae, apud Alexandrum Seratium Phyſicum.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΙ	*Hic ia-*
ΤΕ ΑΥΡΕϹѠ	*cet Aureſo-*
ΠΟϹ ΚΑΔΔΑ	*pus Cadda-*
ΝѠΝ ΤΗϹ ϹΥΡΙ	*non ex Syri-*
ΑϹ ΖΗϹΑϹ ΕΤΗΝ	*a vixit annis* L.
ΜΙΥΡΟΤΙѠΕΝ	*in Miurotia.*

Pro *Miurotia*, voluit, opinor, *Miurotio* Fabrettus: qui ſenex doctiſſimus mox Cap. eodem pag. 753. a. l. ſe iam iam octogenarium eſſe ſcribit. Num repueraſcebat, quum verſionem iſtam puerilem daret: cum qua ſane turpiter ſe dedit, quam qui maxime,

FABRETTVS cenſor, caſtigatorque minorum
Difficilis, querulus.

Aureſopus Caddanon Πρόσωπον eſt numquam mane videndum,

——————— *cuius pallentis hiatum*
In gremio matris formidat ruſticus infans

Miurotium autem minime ἄτοπον eſſe dixerim, quia ἄτοπον eſt: ad quod Οὔτιν Homericum

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes,

non umquam niſi in NVSQVAMIA appuliſſe; in id tamen ob exiguitatem vel nomine ſe prodentem [de-

ri-

rivatum enim esse ab μείκρον vel μύκρον, ad instar praeterea diminutivorum terminatum, aures Graecas non potuit fallere] ingressum numquam esse, verum est. Sed ne praeter consuetudinem nostram alienos errores triumphare videamur, praestat periculum facere, an saxum Fabretti opera nostra possit quodam modo nitescere.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Tento ita emaculare, in Latinumque convertere.

ΕΝΘΑΔΕ·ΚΙ	HEIC·IA
ΤΕ·ΑΥΡ·ΕСѠ	CET·AVRelius·aESO
ΠΟС·Κ·ΑΔΔΑ	PVS. civis. Vici. ADDA
ΝѠΝ·ΤΗС·СΥΡΙ	NORVM·SYRI
АС ΖΗСАС·ΕΤΗ·Ν	AE·QVI·VIXIT·ANNOS·L·
ΜΗΝ·ΟΚΤѠ·ΕΝ	MENSes·OCTO·IN
☧ ⚹	CHRisto.

E pro AE·ECѠΠΟC, ut KITE.

K. Sigla Κώμης. Sunt in Helvetia mea duo saxa: in altero est L·D·D·VICANORVM: in altero tantum L·D·D·V·

ΑΔΔΑΝѠΝ·geminato Δ ob ruditatem marmorarii & seculi: KEITE pro Κεῖται quoque dantis, & Ἔσώπος pro Αἴσωπος, eundem vicum habeo, qui in Doniano opere ΑΔΑΝΑ legitur uno Δ. scilicet Κώμη τῆς Συρίας.

EN praepositio Fabretto male postpositio heic visa. Commode, ni fallor, iunxi notissimas Christianitatis notas ad utrumque saxi latus incisas, sensu ad finem saxi trahendas, ne epigramma hoc μείκρον sit. Frequentissima Christianorum antiquorum formula IN DEO·IN CHRISTO·IN DoMiNo IESV·vel IN PACE. Vel unum sufficit adducere Graecum Doniani Syntagmatis tui. XX. 54. EN $\overline{\text{ΧΡΩ}}$. Hactenus de Κω quod te me-

mecum Κώμης interpretandum eſſe ſcribis credere, ob exempla, quae in Boldettianis Chriſtianis ſaxis inveneris, Κώμης habentibus. Etſi Boldettum non habeam; meam tamen τοῦ Κ^ω interpretationem ſatis vides a me exemplis, etiam Boldettianis apud Muratorium inveniendis, eſſe adſtructam diu ante, quam ad me ſcribere parares: quod idem & de ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ cognoſces, ſi legeris, atque adeo quum legeris, quae ex quadam Schedarum mearum anno ſuperiore iam ſcripta ſtatim in paginam ſequentem transferam, ubi breviſſime dixero, tuum recudendi Fabretti conſilium me nonnihil mirari. Quum enim Fabrettum de Columna Traiani mihi emi ante annos haud ita multos cuperem, niſi adiuncto Inſcriptionum opere vix a bibliopolis Romae vendi reſcripſiſti: an ergo intra tam breve tempus exemplarium, quae reſtabant, venditio novam iam poſtulat editionem? ſatiſne emtorum iri datum ſperas? Sunt & aliae cauſſae haud leves, quibus motus id conſilii dederim, ſi me audias, ut, omiſſo Fabretto, ineditarum potius Inſcriptionum Syntagmate, quo de literae tuae meminerunt, nec non Diptychorum editione, quam Te moliri haud ita pridem in literis ad nobiliſſimum OTTIVM ſignificaſti, Rempublicam literariam tibi obſtringas, devinciaſque. Haec pluribus hac epiſtola perſequi tum huius ipſius magnitudo prohibet, tum feſtinatio, ut ea adponam, quae de voce ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ dudum parata modo promiſi. Muratorium, qui Theodoreti locum ipſum non adduxerit, merito notas: eodem mihi nomine Scheda anni ſuperioris notatus eſt hunc in modum.

„ Quum ante menſes hos ſeptem ad doctiſſi-
„ mum amicum GORIVM de Κ^ω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ ſaxi Flo-
„ rentini a Muratorio Tom. I. primum publicati
„ ſcripſiſſem, Tomum Muratorii II. & III. ante
„ Mediolano accepi, quam Florentia reſponſum:

quod

„ quod dum expecto, Tomus Muratorii II. exempla mihi ſtitit, meam τοῦ Κω explicationem haud male ſtabilientia, a meque cum Doniano quodam in meo ad Muratorii Tomum I. Obſervationum volumine ad 401. 4. in unum collecta. Crevit inde animus, cupidoque inceſſit non quieſcendi niſi de ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ quoque liqueret. Inquietum me fortuna iuvit, expertuſque ſum menſe hoc Martio MDCCXLI. vere ceciniſſe Epicharmum: Ὅτι τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ Θεοί. NICERATVM *locus fortaſſe fuit vicus ingens, apud Apameam Syriae ſitus, qui a Theodoreto* NICERTE *appellatur*. Haec Muratorius loco dicto. Aliquot horarum bonarum otium in evolvendo Theodoreto fruſtra iam conſumſeram; quum tandem, dextro Apolline, inveni locum anxie quaeſitum, Tom. III. editionis Sirmondi Pariſiis a. 1642. pag. 785. D. Religioſae Hiſtoriae Capite III. ſeu in vita Marciani Aſcetae, ubi diſciplinae Marciani alumnus Agapetus traditur: Τὴν ἀγγελικὴν ταύτην [Μαρκιανοῦ] νομοθεσίαν εἰς τὴν Ἀπαμέων [γῆν ſcil. vel χώραν, ſolita Graecorum ἐλλείψει] μεταφυτεύσας. ΚΩΜΗ γάρ τίς ἐστι μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος, ΝΙΚΕΡΤΑΙ δὲ τὸ ὄνομα ταύτῃ. δύο τοίνυν φιλοσοφίας ἐν ταύτῃ φροντιστήρια κατεσκεύασε μέγιστα Κ.Τ.Λ. Ita non modo de Κω veriſſime me conieciſſe in Epiſtola ad GORIVM meum a. MDCCXXXXI. ſed etiam ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ genitivum pluralem eſſe, non hominum ſeu vicanorum, *Nicerates*, *um*, quod in eadem epiſtola ſuſpicabar; ſed omnino vici ipſius, *Niceratae*, *arum* manifeſto tenemus; unde porro ſequitur [niſi idem vici nomen ſtatuamus bifariam elatum Νικέραται, &, ad accelerandam pronuntiationem per ſyncopen τοῦ Α, Νικέρται] ex ſaxo Florentino Νικερατῶν exhibente, in Theodoreto pro Νικέρται legendum eſſe Νικέραται, reſtituto *a* librariorum culpa omiſſo. Quia Muratorius Theodoretum citans Κω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ di-

„ digne illuſtrare non valuit, NICERATVMque for-
„ te a Theodoreto NICERTEN appellari commenta-
„ tus eſt, eum Theodoreti locum ignoraſſe, & non-
„ niſi Lexici alicuius Geographici fide nixum eſſe,
„ vehementer coepi ſuſpicarier. Nec mora: poſt ve-
„ ſtigia Muratorii iens, ſtatim ad cubile non ferae,
„ ſed veri, aut ſi malis non veri, ſed falſi, id eſt
„ ad originem erroris perveni. Mich. Ant. BAV-
„ DRAND, Geographia ordine literarum diſpoſita,
„ Pariſiis 1681. Tom. II. pag. 22. b. NICERTE in-
„ quit, *pagus erat circa Apameam Syriae urbem ma-*
„ *ximus probeque habitatus, teſte Theodoreto.* Vnde
„ haec Baudrandus? Ni fallor, ex hiſce Abr. OR-
„ TELII, Theſauro Geographico, Antuerpiae 1587.
„ fol. DD. 3. b. col. a. NICERTE *vicus, maximus &*
„ *populoſiſſimus, circa Apameam: Theodoretus in Theo-*
„ *pilis.* Mendas duas elue in verbis ORTELII in
„ *Theophilis*, non *Theopilis*. Θεοφίλεις vocari ſuum σύγ-
„ γραμμα Theodoretus ipſe facile eſſet paſſus, cuius
„ vide paginam 763. A. ubi ipſe φιλόθεων ἱστορίαν ἢ ἀ-
„ σκητικὴν πολιτείαν, hunc librum ſuum vocare lectoris ar-
„ bitrio permittit; in quo τῶν φιλοθέων ἀνδρῶν τὴν πολιτείαν
„ συγγράφειν ἐπεχείρησεν, ut loquitur pag. 758. B. *Theo-*
„ *phili* ergo ORTELII ſunt *Philothei* ſeu Aſcetae Theo-
„ doreti. NICERTE per E Ortelius male, pro NI-
„ CERTAE per AE. Νικέρτας enim πληθυντικῶς, non Νι-
„ κέρτην ἑνικῶς extulit Theodoretus. Ortelii errorem hunc
„ ſequuntur Baudrandus & Muratorius, euntes qua
„ praeiverat Ortelius, non qua eundum erat „ Ha-
ctenus mea anni MDCCXXXXI. ſcheda. Plura pagi-
na haec quia non capit, deſino. Vale dulce litera-
rum decus, meumque. Tiguro Helvetiorum. ad diem
duodeviceſimum Kalendas Ianuarias anni MDCCXLIII.
qui annus proxime Tibi illuceat felix, procedat fe-
licior, exeat feliciſſimus, ut gaudeam.


Alteram quoque in hoc Volumine pag. 146. protu-
li

li eiusdem Viri Praeclarissimi Epistolam ad me scriptam Idibus Ianuariis, *anno* MDCCXL. *qua Galbianae Missioris omnium antiquissimae quadratarii errato medetur*; *nam militis patriam ita adnotavit* IPESIVS. *cuius loco* EPESIVS, *pro* EPHESIVS *intelligendum est*: & *ubi scriptum*: DIOMEDI ARTEMONIS F PHRYGIA VDIC. *accipiendum putat de Phrygia* LAODIC*ea ad Lycum*; *adeo ut quadratarius* LA *praetermiserit*, *quum incidendum esset* PHRIG LAVDIC. *notum enim* V *pro* O *frequenter commutari in antiquis Inscriptionibus*.

Illud superest ut Lectorem benevolum moneam, *titulos illos*, *quos profero num*. 34. 35. 36. 37. 38. 39. *in meo Museo non exstare*. *Quum enim ea*, *quae ibidem adtuli adnotarem*, *scripsit ad me V. C.* & *de antiquaria re optime meritus Franciscus Ficoronius*, *se propediem dono ad me eos missurum*; *sed paullo post idem Marmora sua omnia scripta* CLEMENTI XII. *Pontifici Maximo obtulit*, *qui*, *eo muneribus cumulato*, *in Museum Capitolinum*, *una cum editis ab eo eruditis Plumbis antiquis transferri iussit*.

Adfero etiam pag. 284. *Epigramma elegantissimum in laudem celeberrimi Musei Amplissimi Praesulis Leonis Strozae*, *cuius auctor mihi postea innotuit Vir Eruditissimus Emmanuel Martinius*, *Ecclesiae Aloensis Decanus*, *qui illud edidit epistola*, *quae Lib.* X. *exhibetur Tom. II. pag.* 126. VI. *Kal. Octobris*, MDCCXVII. *cuius Epistolarum Libri* XII. & *alia praeclara eius ingenii monimenta anno* MDCCXXXVIII. *Amstelaedami prodierunt*. *In quarto versu corrigas velim* LABORATI. *in quincto vero* LARVAS.

Dum haec scriberem, *humanissime invitatus a Nobilissimo Comite* & *Equite Guidone e Comitibus e Gherardesca*, *Patricio Florentino*, *ut Museum suum elegantiori ordine dispositum perlustrarem*, *forte fortuna*, *qui antea delituerat*, *se se mihi obtulit marmorei Cinerarii sequens titulus*, *numquam antea editus*, *quem hinc inde duo Genii encarpum sustinentes coronant*.



Mirifice laetatus sum, quum intelligerem & in vetusto lapide expressum nomen HABROCOMAE, *quod Habrocomas ille Ephesius praeferebat, quem Anthiae pulcherrimae virginis amore captum, quinque libris amatoriis, Attica suavitate respersis, describit Xenophon Ephesius, quos primum Londini, anno* MDCCXXVI. *publici iuris fecit, & Latino sermone donavit Vir doctissimus Antonius Cocchius Mugellanus; qui etiam nova luce, & Notis donatus luculentis, quamprimum, ut antea dixi, iterum lucem adspiciet, curante* IACOBO PHILIPPO D'ORVILLE *Viro Celeberrimo.*

Sed ad Christianos lapides, a quibus peropportuno diverticulo digressus sum, ut revertar, e Codice Rediano, de quo non pauca adnotavi in Parte II. huius Operis pag. 272. & sequentibus, quem constat scriptum fuisse anno MCCCCLXXIIII. *prae ceteris nondum editis inscriptionibus, quas maioribus Romanis litteris exaratas praefert, & quidem peraccurate, indicatis locis, hanc, quam exhibet, adferre lubet: quam quidem sua tempestate auctor ille Florentinus, ut scriptum legitur, Alexander Strozius,* apud Faesulas *exstare adfirmat.*

IN

IN C·
MESSI ROMVLI CORPVS
IN·PACE·QVIESCIT

Servat Christianus hic titulus sepulcralis primaevam illam, quam prisci Fideles, ab omnibus curis & saeculi fastu alieni, valde amarunt, atque usurparunt, simplicitatem. Formula illa IN C. *significat* IN CHRISTO, *de qua supra Eruditissimus Hagenbuchius; quam quidem formulam monogramma hoc* ☧ *non raro in iisdem Christianorum tumulis inscriptum, designat. Faesulanum hunc lapidem primus omnium pervulgavit Reinesius Class.* XX. *n.* CCCLIV. *qui accepit ex Schedis Langermanni; ex Reinesio iterum produxit Guillelmus Fleetvvod in Sylloge Inscriptionum antiquarum pag.* 446. *sed hi omnes locum minime indicarunt, ubi exstaret; quare ex aliis Codicibus MSS. eos hunc hausisse verisimile est; insignis tamen Codex Redianus* apud Faesulas *exstare perspicue pag.* 92. *testatur. Hoc ipso titulo, temporum in haec sacra Monumenta vel iniuria vel fato quodam saeviente deperdito, alter postea subrogatus videtur, quem protuli in Parte II. huius Operis pag.* 120. *qui quidem, ut ea deteriora tempora ferebant, prolixo elogio confarcinatus sequiori aevo; mox hominum ignorantia, vel fraude, data opera, ita paene deletus est ac mutilatus in reliquis post quinctum versibus, ut inter spuria Epitaphia amandandum esse viri docti hac tempestate merito censeant; adeoque standum vetustissimi huiusce lapidis auctoritati, de cuius genuina sinceritate nemo erit qui dubitet. Mecum tamen eruditae Vetustatis cultores dolebunt intercidisse, eo forsitan (si divinare licet) Faesularum exscidio a Florentinis igne ferroque facto, quo inter cetera maioris Ecclesiae pretiosa monumenta, quibus hostili rabie atque*

odio minime pepercerunt, ambonem illum plane antiquum atque insignem, sculpturis circumquaque & preciosis lapillis tesseliato opere ornatissimum, & quatuor insuper marmoreis columnis subfultum, Florentiam, ut ferunt, adsportarunt, & in Basilica S. Petri (*vulgo* Scheraggi) *in qua ad hoc tempus cernitur, conlocarunt. Duo tamen huius ambonis marmorea anaglypha exstant parietibus inserta in proximo Sodalitio.* De Praesepe Christi Salvatoris, *ex veterum Christianorum monumentis quum nuper dissererem, huius ambonis mentionem feci.*


His litterariae reipublicae bono in lucem prolatis in hoc postremo Volumine, adcedunt insigniora fere omnia, quae in Florentinis Museis cum Vrbanis tum Suburbanis, atque in reliquis Etruriae Vrbibus exstant anaglypha opera, & Sarcophagi, qui a me nonnullis Observationibus illustrantur. In fine Operis, prolatis INDICIBVS XVIII. *& Indice universali omnium, quae in hisce tribus Voluminibus notatu digna occurrunt, extrema huic labori manus a me imposita est, quo, Amice Lector*, VTERE FELIX. & VIVE MVLTIS ANNIS.





OBSERVATIONES
ANT. FRANCISCI GORI
IN MONVMENTA ANTIQVA
TABVLIS L. ADDITA HVIC OPERI

TABVLA I. *Modius ex aere veterum Romanorum.*



Bſervationes meas in Sarcophagos Vrnaſque marmoreas, & in alia eruditae Vetuſtatis Momenta, quae huic Operi adiicienda curavi, paucis expediam, ne docti Lectoris aures, ut nonnulli faciunt, in rebus cuique maxime obviis gravem atque obtundam; praeſertim quum hoc ipſo tempore ETRVSCA quoque MONVMENTA diurnum penſum ſuum a me poſtulent.

De

De MODIO VETERVM ROMANORVM, ut ad pag. 2. huius Voluminis dicebam, luculenta Dissertatione multa expendenda sunt. Primum proferenda Modii Romani sincera ac genuina figura, adscitis in subsidium rerum scitu pulcherrimarum antiquis numis & gemmis; itemque expensis vetustis marmoribus sive scriptis, sive anaglypho opere sculptis: in qua supelectile proferenda, illud primum maxime omnium curandum est, ut inedita praesertim monumenta e tenebris evocata, in hac ingeniorum, & saeculi luce, ad augendum priscae eruditionis thesaurum depromantur. Veniunt etiam in hunc censum, praeter aereos, modii lapidei, mox lignei, quorum schemata ex Antiquitatis uberrimo penu in medium proferenda erunt. Post haec agendum de Diis, quorum tutela sacer erat modius aliaeque mensurae, & pondera, quorum schemata in conspectu doctorum hominum ex ipsis archetypis accurate delineata exponenda sunt. Erit etiam agendi locus de Diis, qui frumento & frugibus apud veteres praesidebant, deque *Eunosto* sive *Proymilio* molendinorum tutelari Deo, cuius simulacrum ope singularis gemmae anularis, quae exstat inter mea Cimelia, & qua identidem ad epistolas obsignandas utor, eiusque imago cum symbolis nondum ab Antiquariis cognita in lucem prodibit. Mox de Capitolio sermo, in quo archetypae omnis generis mensurae servabantur, quarum ad exemplum mensurae, Caesarum Augustorum iussu, in regiones omnes Romani orbis mittebantur, curante Praefecto Vrbi. Inquirendum qui sit D. Simonius Iulianus Praefectus Vrbi, qui in hoc singulari modio recensetur, quove tempore floruerit: & quae fuerit Simonia familia. Inter haec loco valde opportuno exhibenda Praefectorum Vrbi Nomenclatura & plenior & emendatior ea, quam vir eruditissimus Felix Contelorius protulit, ope antiquorum marmorum, quae post eius egregias curas prodierunt.

Ad

Ad haec instituenda Dissertatio de Caesarum Augustorum frumentariis largitionibus, agendumque de Pueris & Puellis alimentariis ab iisdem institutis: item de liberalitatibus, quibus vetusta numismata, & marmora litteris consignata lucem adferent luculentissimam. Huc faciunt elegantissimi lapides sepulcrales a Fabretto Inscr. Domest. Cap. III. num. 617. 618. & 619. ceterisque antiquarum Inscriptionum Collectoribus pervulgari, in quibus huiusmodi Puerorum, qui triticum acceperunt, mentio habetur, qua in laude liberalitatis & Faustina & aliae Augustae feminae inclitae sunt. TRITICI PEREGRINI largitionem, inter cetera militaria dona, memorat Florentinum marmor a me editum, quod vide, si otium est, in Parte I. huius Operis pag. 449. num. 82.

Inter haec agendum quoque de Praefecto Annonae, deque navibus frumentariis ad frumentum in urbem convehendum in Alexandriam & Siciliam & Africam missis a Romanis, deque earum institutione ab Imperatoribus Augustis facta, qua occasione praestantissima numismata erunt illustranda atque expendenda: item de horreis Romanorum publicis ac privatis, deque Genio ac Diis iisdem praesidibus: post haec de Militibus frumentariis, & disquirendum ad quem nam, utrum ad Tribunum, aliumve militaris ordinis frumentaria distributio pertineret.

His expositis enucleatisque, ad rem veterum cibariam illustrandam progrediendum est: expenso pane eiusque qualitate & discrimine: expensis Sacris Cerealibus festisque in honorem Vestae Deae, quam Pistores colebant; panum distributionibus & largitionibus: qua de re cum marmor anaglyphico opere eruditissimum a Fabretto editum ad Tabulam Iliadis pag. 339. tum alia quammaxime conspicua ac nondum illustrata proferentur. De usu modii Coronis adcedet, & de modio, e quo nuces in nuptiis ve-

vererum ſpargebantur, cuius fit mentio in Gruteriano marmore pag. CCCCLXI. ſermo erit.

Hanc ſpartam, Deo dante & otium ac valetudinem, alacri animo ſuſcipiam. Si quis vero celerius haec praeſtabit, rem mihi & litteratorum hominum reipublicae faciet gratiſſimam; non enim dona, quae litterariae reipublicae offerre ac dedicare cupio, ut alios etiam offerant ac dedicent, invido animo iniurius prohibeo; ſed vehementer gaudeo laetorque, dum alios video liberali bonaque mente in amplificanda re litteraria ſedulam operam navare.

TAB. III. *Templi Praeneſtini in honorem Fortunae Primigeniae, Segmentum* LITHOSTROTI *a L. Cornelio Sulla dedicati, lapillis varii coloris Muſivo opere affabre picti.*

PAvimenta, e variis pretioſis lapillis mira arte diſpoſitis, apud Orientales in uſu fuiſſe, conſtat. De hoc, ut ita dicam, picturae miraculo, perſpicuum eſt in Libro Eſther Cap. I. v. 6. teſtimonium, quo locus, & ſplendidiſſimum Aſſueri regis convivium, paratum in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat, deſcribitur, quo divitias gloriae ſuae, & magnitudinem, ac potentiam, ut voluit, oſtendit: De eo haec ſacer Textus: *Et pendebant ex omni parte tentoria aërii coloris, & carbaſini ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei, & argentei ſuper pavimentum, ſmaragdino & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat.* De pavimentis, eorumque origine apud Graecos, qui primum habuere elaborata ar-

arte, picturae ratione, donec lithostrota expulere eam, diserte scribit Plinius Lib. XXXVI. Cap. XXV. Italos quoque hac gloria non caruisse, tradit ibidem Plinius. Neque hoc luxu caruisse antiquos Etruscos putandum est: siquidem pavimentum musivo opere elaboratum Hadriae effosum, ex Schedis Cl. Philippi a Turre, Hadriensis Episcopi, nuper nobis delineatum proposuit Tab. XII. vir eruditione & humanitate ornatissimus Octavius Bocchius, quum Observationes suas in antiquum Theatrum erutum Hadriae anno MDCLXII. adferret. Quo vero tempore Romae factitari coeperint pavimenta, quae primum, propter augustum decus & maiestatem, Deorum templa tantum decere severiores Romani censuerunt, idem Plinius ibidem docet. *Romae scalpturatum* (pavimentum) *in Iovis Capitolini aede, primum factum est post tertium Punicum bellum initum.* Deinde, quod exstaret tempestate sua, ita laudat Praenestinum Lithostroton. LITHOSTROTA *coeptavere iam sub* SYLLA *parvulis certe crustis: exstat hodieque quod in Fortunae delubro Praeneste fecit.* Integrum hoc Praenestini delubri pavimentum, egregie in mappa altitudinis ac latitudinis fere Romanorum quatuor pedum spectandum proposuit an. MDCCXXI. Emin. S. R. E. Cardinalis Franciscus Barberinus Iunior, Episcopus Praenestinus, cui interpretationem adiecit Anonymus Scriptor (forte creditur Cl. Sanromanus Gallus, ut mihi nunciatum est). Huius praestantis viri interpretatio omnium emblematum, quibus hoc Praenestinum Lithostroton ornatur, alteri praelata est, quam ediderat in suo Latio Celeber. Athanasius Kircherus e Soc. Iesu Par. IV. Cap. IV. Censet enim Anonymus Scriptor L. Syllam, victoriis elatum, interfecto Praeneste C. Mario, quo facto Felicem se edicto adpellavit, Alexandro Magno Macedonum Regi vel se comparasse, vel parem credi voluisse; adeoque in ea pavi-

menti ex musivo opere elegantissima pictura exhibendam curasse eiusdem Alexandri, qui victoriis & nominis sui fama totum orbem implevit, profectionem in Aegyptum, eiusque adventum ad consulendum Iovis Hammonis Oraculum. Sane Nilum exhiberi in hoc Praenestino Lithostroto, quod inter miracula eruditae Vetustatis aetate hac nostra adhuc exstantia connumerari potest, cum variis Aegyptii soli, eiusdemque fluminis animalibus, perspicuum est ipsum pavimentum intuentibus. Sed, quae ad rem nostram egregie faciunt, praestat adferre ex eleganti accurataque eiusdem Lithostroti descriptione, quam illustris Iosephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis, primus oculatissimus testis exhibuit anno MDCLV. editis libris duobus Praenestes antiquae. Siquidem Lib. I. Cap. IV. agens de Fortunae Praenestinae Templo, eius Lithostroton ita describit, quum nondum in Aedes Barberinorum Principum translatum fuisset. *In eo multa quidem perspicienda sunt, quae lapillorum interrasis miraculis, crustulisque intercisis, superstitiosa sedulitate, summoque otii dispendio, conficta adparent. Loco in ipso nonnisi accensis facibus, superaffusaque ad perspicuitatem aqua, & saepe iterata inspersione, pervidere depingereque licuit. Sunt hominum animaliumque complures imagines: Elephas, Rhinoceros, nomina litteris quibusdam peculiaribus exscripta: sunt & in aquis navigia, quae sigillatim summa cum diligentia depicta apud doctrina simul ac nobilitate praeclarum Equitem Cassianum de Puteo, Lynceum collegam nostrum, spectare poteris.* Haec vero, quae subiicio, idem Suaresius subdit Lib. II. Cap. XVIII. quo totius Operis Mantissam exhibet, & duas Tabulas musivi operis eiusdem pavimenti adfert pag. 289. *Hos inter* (thesauros) *sunt* XVIII. *Tabulae Praenestini Lithostroti, in quibus variae ferarum, & portentosorum animalium effigies, venationum, fluminum, phase-*

ſelorum, tentoriorum, aedium, piſcatorum, & militum, Iſidiſque ſimulacrorum graphice delineatae, & pictae figurae mirum quam adficiant, oblectentque oculos inſpicientium. Ex his forſitan opus integrum contexi, ſarcirique poſſet, ſicut in Palatio Principis iam coeptum eſt feliciſſime. Quum vero labor ſatis prolixus & arduum opus Suareſio viſum fuerit oculis omnia ſubiicere, ita ſingularum Tabularum, quas apud inclitum Caſſianum a Puteo delineatas viderat, hanc ſubiungit deſcriptionem.

In prima Tabula ſpectare datur tres feras e muſivo compoſitas, quibus inſcriptum ΥΑΜΟΝΟΠΑΡΔΑΛΙ, *forte* ΚΑΜΕΛΟΠΑΡΔΑΛΙ. *In ſecunda Cancros innantes fluvio, Simias, Hippopotamum, Venatores, & in his Mauros, qui vibrant ſagittas ex arcubus in Simiam, infra* ϹΦΙΝΓΙΑ. *In tertia Teſtudines innatantes fluvio, & feras, quae devorant piſces, inſcriptumque* ΕΝΥΔΡΙϹ. *In quarta aves, forte ibides inſidentes rupi, quas vorat ſerpens ſinuoſa torquens volumina: Simiam, & quadrupedem humana facie, ſed caudatam, ſubtuſque* ΜΟΝΟΚΕΝΤΑΥΡΑ: *tum duo animalia ſeſe lambentia, vel commordentia, additumque* ΟΩΑΝΤΕϹ. *Quinta exhibet phaſelum, qui remis agitur in flumine rupibus interſtincto, in quo milites, qui iacula coniiciunt in Hippopotamum, quibus illum inter vluas, ſeu papyros configunt. Sexta Hippopotamum telis confixum natantem, duoſque Crocodillos. In ſeptima* ΚΡΟΚΟΔΙΛΟΠΑΡΔΑΛΙϹ *innat flumini: hanc agitant Aethiopes clypeati, aedes, ſimulacra Iſidis, Aquilae ſignum Aſino impoſitum. In octava navis inflato velo tendit ad turrim rotundam, & ad duas quadratas in mare procurrentes, in quibus nidificant volucres: Sagittarius collineans in Hippopotamum. In nona Templum ad ripam fluvii, Obeliſci, puteus, palma, mulieres vero ſertis coronatae, homo tridentifer, forte Neptunus.*

In decima PINOKEPΩC, XOIPOΠIOK, *Templum cum duabus turribus, & casa, palmae. In undecima vir mulierque hinc discumbunt: inde alii sub tegete, quam inumbrat vitis, pampinis, & racemis onusta, ad ripam fluvii, per quem discurrit phaselus plenus floribus innascentibus: ex adverso tres, quorum alius canit fistula, porrigit alter cornu, seu cyathum, qui desinit in hoedi speciem, tertius indicem attollit. In* XII *legitur* KHIΥITEN ΛEAINA CAΥOΣ TCHXICNIE EΦAΛOC. *In* XIII. *navis visitur, quae remis agebatur, militibus plena, aliae velis vento inflatis, & funibus intertextis: phaselus in fluvio, domus, & casa cum rusticis, cymba, flores in fluvio. In* XIV. KPOKOTAC, *venatores*, ΥABCΥC *in rupe ad fluvium. In* XV. TIΓPIC KPOKOΔ:ΛOC ΣEPCAIOC CATTΥOK. *In* XV. *tentorium, & milites, atque templum, Dux propinans cum cornu, abacus, fluvius. In* XVII. *Sacerdotum processus sub templo, quatuor coronati gestant humeris fercula, cum tympanis, tibiisque alii. Anubis statua in base.* XVIII. *Vmbella.*

Igitur Tabula, quam exhibeo, ea ipsissima est, quam Suaresius num. XI. describit. Vides sub tegete in lectulo strato super podium sive pegma virum & mulierem velatis inferioribus corporis partibus, superioribus vero nudis, qui poculum vino plenum manibus praeferunt; hinc virum alterum, verso aliorsum corpore, poculum degustantem, quorum in medio stat femina citharae fides utriusque manus digitis percurrens. Praeterlabitur iuxta triclinium fluvius, e quo aquatici varii generis flores enati adsurgunt, quibus demessis onustum fere phaselum alio agit, remoque impellit vir cum subligaculis, reliquo corpore nudus. Horum florum fruticumque in aquis Nili innascentium magnus usus, fructus, atque utilitates variae adnotantur apud Aegyptios a Plinio Lib. V. Cap. IX. & VII. Cap. III. & ab aliis Scriptoribus celebrantur. Omisit

ſit igitur Suareſius deſcriptionem phaſeli onuſti floribus, ut videtur fluvio innatis, quem agit vir ſolis ſubligaculis amictus, reliquo corpore nudus, cuius caput ad tutelam notandum eſt parvo pileo tectum. Ceterum in reliquis Suareſiana deſcriptio Lithoſtroti Praeneſtini cum hac ipſa Tabula in omnibus mirifice convenit. Demum alterum pegma ad fluvii ripam conlocatum cernitur cum lecto, in quo pariter tres cernuntur, mulier, quae ſiniſtrae manus digito indicat, & virum dextra complectitur. Hic ſublata dextra manu poculum, quod deſinit in hedi caput, oſtentat. Cum his adſidet Tibicen, ſeu Monodiarius, omneſque Genio ſuo indulgent. Quam elegans ſit vitis & ramorum eius umbra, quam egregie picta folia, & paries ipſe, e quo ceſpites herbarum arbuſtorumque pendent, facile dictu vix eſt, nec ſingula, niſi oculis cernantur, perbelle ac vivide deſcribi poſſunt. Morem illum, regnante Aſſuero, apud Orientales in uſu, diſcumbendi nimirum in conviviis ſub umbra nemorum arborumque, ac praeſertim ut heic ad murmur labentium in flumine aquarum, non ſine voluptate ſpectamus: & quod mirum, illud cernere volupe eſt ſingula lapillis praetioſis variorum colorum, nempe iaſpidibus rubris, flavis, ſubflavis, viridibus, minus maiuſque ſaturis, undis fluminis ex achatibus, & chalcedoniis ſubcaeruleis, tanto artificio tamque ſagaci ſedulitate expreſſa, ut multis in locis vix penicilli coloribus ſuis artificium ſuperare poſſint.

Sed erit, qui ſcire cupiat, quo pacto ad me pervenerit haec inſignis Tabula, quae altitudine aequat pedes IV. Romanos, ac totidem fere ſua latitudine. Hanc in publica Florentina platea ad Baſilicam Metropolitanam venalem vidi mente Iulio huius anni MDCCXLIII. Vt vidi obſtupui, ſtatimque emi. Haec hiſce diebus emerſerat, ſub haſta vendi-

ditis mobilibus rebus, post mortem Nob. Viri Petri Ioannis de Claro. Audivi eum hunc Tabulam sibi comparasse, tunc quum vendita fuit Pinacotheca Celsissimi Principis ab Etruria Francisci Mariae Medicei, qui antea Romanae Ecclesiae Senatus Purperam renunciarat, ut connubio sibi iungeret Serenissimam Eleonoram e Guastalla, e Mantuae Principibus. Franciscum Mariam Principem dono accepisse reor a Principibus Barberinis, quum Romam, quod non semel fecit, adiisset: dignum sane tanto Principe, & splendidissimis largitoribus munus. Quaesivi per epistolam rogavique amicos Romae degentes, ut pavimentum ipsum Praenestinum adirent, & viderent num in eo desit hoc segmentum; sed, urgente Typographo, nondum mihi constat, desiderari tamen subspicor: vel ni desideretur, probabile est esse partem aliquam eorum, quae in Crypta quadam inter admiranda adhuc aetate sua remansisse scribit praelaudatus Suaresius Lib. I. Cap. XV. pag. 48. quam Cryptam ad inferiores cellas aedium Episcopi absconditam, observatam fuisse testatur.

TAB. IV. *Triclinium antiquum, nunquam antea editum, adfertur & illustratur.*

IN eximia pictura pavimenti e musivo opere adlata in superiore Tabula III. vidimus triclinia, adde etiam stibadia, voluptatis causa in amoenis locis constituta fuisse, praesertim in hortis, & prope fluvios ad murmur praeterlabentium aquarum, interdum etiam prope fontes aquarum salientium, ac sub vitibus, quae nemoris instar umbram conficerent. Adsimile Triclinium graphice describit Plinius Secundus Lib. V. Epistol. VI. qua villam suam

apud

apud Tuſcos, in qua & ſtibadium ita ob oculos pictum ponit. *In capite ſtibadium e candido marmore, vite protegitur: vitem quatuor columellae caryſtiae ſubeunt. E ſtibadio aqua velut expreſſa cubantium pondere ſiphunculis effluit: cavato lapide ſuſcipitur, gracili marmore continetur, atque ita occulte temperatur, ut impleat, nec redundet. Guſtatorium graviorque coenatio margini imponitur, levior navicularum & avium figuris innatans circumit: contra fons egerit aquam & recipit. Nam expulſa in altum in ſe cadit, iunctiſque hiatibus & abſorbetur & tollitur: e regione ſtibadii adverſum cubiculum tantum ſtibadio reddit ornatus, quantum accipit ab illo. Lectus heic & undique feneſtrae; & tamen lumen obſcurum umbra premente. Nam laetiſſima vitis per omne tectum in culmen nititur & aſcendit. Non ſecus ibi quam in nemore iaceas: imbrem tantum tanquam in nemore non ſentias.* Sed quid ad voluptates & vitae commoda non excogitarunt ac perfecerunt omni tempore mortales!

Explicato illuſtratoque veterum ſtibadio, ad alterum plane eximium ac perrarum monumentum in Tabula IV. adlatum, quod connexionem cum eo habet, gradum facio. Quod anaglyphum hoc antiquo opere in lapide cinerei coloris inſculptum, Florentiae nunc exſtet, tribuendum eſt Antonio Nicolinio, Patricio Florentino, e Marchionibus Pontis Sacci, viro tum ſummo genere, tum multiplici eruditione clariſſimo, qui illud e civitate Aquilana in Muſeum ſuum nuper tranſtulit. Cernimus in hoc duas menſas tripedes inſtructas ferculis; ſed harum altera humilior eſt; altera vero praealtior. Humiliori menſae in orbem adcumbunt ſedentes ſex viri, quorum duo dextras intendunt, aliquid de ferculo ſumendum indicantes: reliqui quatuor poculum vel manu gerunt indiſcriminatim ſive dextra ſive laeva manu, vel de menſa accipiunt.

Sin-

Singuli eodem vestium cultu amicti sunt, interiore nimirum tunica & pallio. Tunica manuleata brachia nuda relinquit. Etsi duo tantum viri in summo in sella sedentes conspiciantur; sedere tamen & reliquos ex habitu ipso corporis coniicere facile possumus. Neque heic pulvinos videas, ut in sequenti schemate; quibus iuxta Horatium Serm. Lib. II. Sat. IV.

Languidus in cubitum iam se conviva reponet.

Sulptor siquidem vel id neglexit, vel adsequi id quum non posset, segnitie, aut imperitia praetermisit.

Prope virum laevorsum sedentem, adstat puer, e servorum nempe anagnostarum numero, brevi veste indutus, qui dextra gestum aliquem facit; sinistra vero parvum volumen sive libellum tenet. Hunc adhibitum, reor, ut acroamate aliquo adcumbentes, ut mos erat, recrearet.

Prope hunc positum spectatur candelabrum, hinc inde praelucentibus duabus lampadibus, quae copiae cornua imitantur, quarum formam & in monumentis Etruscis, in quibus sculpti servi dominos praeeuntes cum adsimili lampade exhibentur. Ea quoque lampadum forma expressa cernitur in marmore sepulcrali posito in honorem Servi Lampadarii, quod marmor profert Fabrettus Inscr. Dom. Cap. IV. n. 309. pag. 307. Huic candelabro adiunctus est parvus abacus, sive brevior mensa repositoria, in qua duo vascula in medio conlocata conspiciuntur. Ea referre plane possunt vascula, quae pro apophoretis donari solebant a domino amicis, quos ad coenam invitaverat, vel, quod valde probabile est, unguentaria vascula referunt. In more siquidem positum apud veteres legimus, non caput tantum, sed & pedes discumbentium in coenis delinire. Floribus etiam, praesertim rosis, antiqui ho-

homines ſe coronabant, genio hilaritatis indulgentes. Horatius Carm. Lib. II. Ode III.

Huc vina & unguenta, & nimium breves
Flores amenae ferre iube roſae,
Dum res, & aetas, & Sororum
Fila trium patientur atra.

Et Ode XI. ibidem:

———— *& roſa*
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Potamus uncti.

Plautus in Moſtellaria Act. I. Sc. I. v. 41.

Non omnes poſſunt olere unguenta exotica,
Sicut tu oles: neque ſuperior accumbere.

Suſtinet ardentes lampades, & vaſa unguentaria Hermaeum ſimulacrum, puerum quemdam referens, baſi quinque graduum impoſitum. Candelabra veterum Lares & Cupidines referebant, ut iam ad Donianas Inſcriptiones adnotavimus. Huic ſimulacro lucem adfert Lucretius:

Si non aurea ſunt iuvenum ſimulacra per aedes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Sequitur poſt candelabrum iuvenis brevi veſte, ſervorum more, cinctus, qui manibus invicem ſuppoſitis, ſiniſtra aliquod inſtrumentum gerit, quod iniuria vetuſti temporis, extrito lapide, probe quid referat non dignoſcitur: cultellum tamen, veſtigia quae ſuperſunt, referre videntur. Is iuvenis facile

Structorem repraesentat bene peritum artis obsonia scindendi, quem egregie describit Iuvenalis Sat. XI. vers. 135. & Sat. V. vers. 120. hisce versibus:

Structorem interea (ne qua indignatio desit)
Saltantem spectas, & cheironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata Magistri
Omnia : nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

In altera huiusce anaglyphi parte, in qua tripes mensa praealtior, & ferculis etiam compluribus ac maioribus instructa cernitur, in lectis altioribus reclinati discumbunt sex viri, eodem vestium cultu amicti, qui omnes dextra manu pocula tenent, & cubito pulvillos tricliniares in duplices sinus revolutos premunt, iisdemque subfulciuntur. Lecti quadrati sunt, stragulis undique perbelle operti atque instrati. In medio coenationum statui solebant huiusmodi lecti tricliniares, & quidem altiores; nam ita placebant; & cum ratione, ut servi ministrantes undique vocati discurrere, circumire, & praesto esse epulantibus possent. Mensas cum in prandio tum in coena linteis haud operiri solitas, ex hoc quoque monumento discimus; etsi interdum veteres eas operuisse, forte per iocum, scribat Martialis, Lib. XIV. Apophor. CXXXIIX.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum.

Quam igitur peculiarem eruditionem praeseferat insigne hoc anaglyphum ab aliis discere cupio. Meo quidem iudicio aperit nobis unico conspectu, quod nondum ab aliis adnotatum video, quo modo veteres prandere, & quo modo, quove ritu coenare solerent. Primum igitur sagax sculptor nobis pran-

prandium veterum propoſuit, mox coenam; quae quum in multam noctem, in luxum, & in omnes voluptatum illecebras, ſubſequente aetate prolapſo hominum genio, qui a priſca mortalium frugalitate ac ſobrietate deflexit, produceretur, ea plane de cauſa, candelabrum praelucentibus lampadibus fere in medio, quod ad coenam pertineret, inſculpſit.

Ter aut quater in die ſolitos fuiſſe veteres cibum capere, aliqui volunt. Sed communior atque uſitatior veterum Romanorum conſuetudo prandium & coenam induxit. Ientaculum, primus nempe cibus, quo ieiunium ſolvitur, idem cum prandio veteres faciunt, ut obſervat Fulvius Vrſinus, adlata Feſti auctoritate: *Silatum antiqui pro eo, quod nunc ientaculum dicimus, adpellabant; quia ieiuni vinum ſibi conditum ante meridiem abſorbebant.* Poſtea ientaculum diſtingui a prandio coeptum, ita ut prius ientaculum ſumeretur, deinde prandium, quod & ipſum breviſſimum fuit. Prandii mentionem faciunt Scriptores permulti. Macrobius Lib. III. Cap. XVII. Hippocrates Lib. II. Galenus Lib. VI. de tuenda valetudine, de victus ratione, & Xenophon in Oeconomico. Veteres Romanos prandiſſe parce, coenas vero large adhibitis epulis iniiſſe, conſtat multorum veterum Scriptorum teſtimoniis, quae adferunt Ciacconius & Fulvius Vrſinus, ad quos lectores mitto. Pauca haec ſufficiant, plura alibi adlaturus, quum de Etruſcorum, Graecorum ac Romanorum tricliniis opportunius aderit pertractandi tempus.

TAB. V. *Votiva Manus dextera ex aere Mercurio ceterisque Diis Salutaribus sacra.*

TErtiam ex aere votivam Manum, duabus elapso iam fere integro saeculo editis, cura summorum antiquariae rei Interpretum Laurentii Pignorii, & Iacobi Philippi Tomasinii, animo lubens adiicio, quam nuper, me rogante ac plaudente, sibi conquisivit, atque in lectissimum Museum suum recondidit Vir genere, virtute, & antiquitatum praesertim patriarum studio Ornatissimus CAIETANVS ANTINORIVS, Patricius Florentinus, Ordinis Divi Stephani Eques, Serenissimo Magno Etruriae Duci, Supremoque eius Consilio a Secretis. Haec vero votiva Manus, ut mea fert opinio, maiori in pretio habenda est, quia Mercurii imaginem duobus postremis digitis impositam exhibet, & multa, quae adhuc latuere, docet, & peropportunam abdita quaedam Ethnicae superstitionis mysteria investigandi occasionem praebet. De Mercurii effigie minime dubitandum, quum eius capitis insigne, nempe petasus utrimque pinnis prominentibus, rudi licet sculptura, ornatus, eum Deum nobis ostendat. Sculptura huiusce votivi donarii adeo rudis est, ut non ex aere fuso perfecta & perpolita, sed scalpto expressa videatur; nam, non ut Manus iam editae, intus inanis & vacua; sed tota solida, & ipso aere plena est. Laurentius Pignorius eam, quam protulit Manum, quia intus vacuam, subspicatus est sceptro vel hastili praefixam, praelatam fuisse in pompa Magnae Deum Matris Idaeae, cui dedicatam fuisse censuit ex symbolis, quae eidem conveniunt. Sed hoc in dubium revocari posse ostendit altera Manus a Tomasinio adlata atque explicata; nam sola haec basi im-

imposita est, in qua scriptum CECROPIVS V. C. VOTVM S. nempe ex eiusdem Tomasinii sententia: *Cecropius voti compos votum solvit*. Hinc igitur perspicue liquet, Manus istas votivas esse, & Salutaribus Diis atque in humanum genus beneficis, propitiis, atque obsequentibus voto soluto dedicatas, atque addita basi inter donaria in eorum templis reconditas fuisse, in qua nomen illius aut hominis ut feminae, quae a Salutaribus Diis beneficia acceperat, adnotari solebat.

Consueverunt veteres, si bonam valetudinem, aut aliquod insigne beneficium a Diis accepissent, quae nonnisi susceptis votis postulare in more habuerunt, iisdem voti compotes ea dedicare, quae ipsis maxime accepta crederent, imagines nempe, candelabra, lucernas, pateras, tripodas, phialas, acerras, vascula odoraria, pulvinaria, thronos, fastigia, scamna, suppedanea, sedes, aliaque huius generis multa, quae Deorum numine ac maiestate digna, iisdemque grata esse putarunt. Ita Aesculapio torquem aureum ex dracunculis perfectum, pugillaria, enchiridium, & enabolium, Iunoni bullam, Veneri speculum, Apollini scarabeum, Mercurio caduceum, Herculi clavam, Isidi nautae vestimenta voto sacrārunt: quibus donariis, ut antea dicebam, inscriptas tabellas subiiciebant.

Ii vero, qui morbo adfecti somnia in templis Deorum susceperant (cuius moris testis est insigne illud marmor Pisis olim erutum, quod nunc ab interitu vindicatum e Spigliatorum Hortis Florentinis in Museo eiusdem Praeclarissimi Equitis Caietani Antinorii adservatur, HERCVLI SOMNIALI SACRVM, hoc est somniorum immissori) vota nuncupare solebant, Diisque dona promittere, si ex morbo convaluissent: voti compotes, adfectas aegritudine corporis partes dedicare, easque inter anathemata in delubris

su-

ſuſpendere , nempe aures , oculos , linguam , dentes , pectus , mammas , ventrem , manus , pedes , quarum imagines locupletiores homines ex pretioſa materia , auro, argento, ebore, atque etiam ex gemmis pretioſiſque lapillis, itemque e cryſtallo, vel communiter ex aere; tenuiores vero ex cera, ligno & argilla, ſive etiam ex farina conficiebant. Id cum gratiarum actionibus , aris accenſis , peracto ſacrificio, factum inſcripta monumenta inter Doniana Claſs. I. num. 84. 85. 86. & 87. teſtantur. Titulos his donariis votivis adiicendos curarunt, ut viventes & poſteri (adeo memores erant) benefici Numinis virtutem & oblatum opportunum auxilium probe intelligerent. Nihil enim Diis acceptius, iucundiuſque eſſe putarunt, quam perpetuam grati animi ob ſuſcepta beneficia ſignificationem . Hanc exigi ab ipſis Diis arbitrabantur, quorum ſimulacra priſca patrum religio expreſſerat expanſis manibus nunc vacuis, nunc donorum plenis, quaſi dona libenter ab hominibus accipere , & ultro iisdem dare viderentur.

De Diis Beneficis non eſt mihi diſſerendum; de Salutaribus vero, quos vitae incommodis, & corporum aegritudinibus opem ferre credebant , haud opus eſt ut in re tam perſpicua diutius morer. Inter hos vetuſtas principes eſſe docuit Aeſculapium, Hygiam , & Teleſphorum, quos Deos omnes ubique gentes deveneratae ſunt . Serapidi dextrum pedem, forſitan ab eo, qui podagra laboraverat, dedicatum cernimus in eximio monumento, quod adfert Fabrettus Inſcr. Domeſt. Cap. VI. num. XX. pag. 467. aures Minervae , puerperarum ventres Iunoni Lucinae, oculos Apollini, virilia Priapo, quae in eorum templis ſuſpendebant . Pedes in tutela Iſidis fuiſſe, teſtantur vetuſta marmora a Fabretto ibidem adlata.

Perrarum hoc monumentum docet Mercurio dedicatam fuiſſe dextram Manum, quum in ea eiuſdem

dem Dei effigies ſculpta ſit; in reliquis vero iam editis Manibus, praeter ſymbola, nil tale conſpicies. Notanda quidem in ſingulis Manibus dexteris eadem digitorum conformatio; nam erectos tantum praeferunt tres digitos, nempe pollicem, indicem, & medium, quos numericos, ad numerandum nimirum aptiores, & promtiores veteres cenſuere; anulari & minimo digito incurvatis ac demiſſis: quae omnia proculdubio non carent aliqua ſignificatione, quam ignoramus. Numa, Etruſcae diſciplinae peritus, Iani ſignum dedicavit digitis per notas ita figuratis, ut dextra manu trecentorum numerum, ſiniſtra ſexaginta & quinque ſignificaret: de quo ſimulacro Plinius Lib. XIV. Cap. VII. & Macrobius Saturn. Lib. I. Cap. XIII. Qua ratione digiti eum numerum ſignificare poſſint, & de ſolari Romanorum anno, conſule doctiſſimum Iulium Pontederam in Enarrat. Antiquitat. Latinarum Graecarumque Epiſt. XXXIV.

Oritur hinc ſubſpicandi locus, Manum dexteram fidei ſacram, rebuſque divinis operandis Pontificio iure deſtinatam addictamque, in hunc ipſum modum conformatam, ſalutarem & auſpicatiſſimum geſtum expreſſiſſe, ſive hac conformatione impetratae a Diis beneficentiae, opis, auxilii ac ſalutis indicium praeſetuliſſe. Tomaſinius Pignorii ſequitur opinionem, qui hunc Manus geſtum haud praeter rem factum opinatur; quia Diabolus Chriſtiani nominis oſor & hoſtis acerrimus iam tunc omnem operam mira calliditate impendit, ut elevaret eum geſtum, quem Chriſtiani Pontifices & Sacerdotes eſſent adhibituri, quum benedicentes ſacrum Crucis ſignum exprimerent; quod hac digitorum conformatione apud Latinos factum fuiſſe, paullo vero aliter apud Graecos, erudite oſtendit adlatis ſacris monumentis Ampliſſimus Senator Bonarrotius in Vaſa

Vi-

Vitrea Coemeteralia. Nec aliqua profecto occultae apud Ethnicos Religionis significatione vacat eorum digitorum unus post alium elatio; sed nec etiam numerus ternarius; nam, quia Deum impari numero delectari crediderunt, eo forsitan gestu collatum beneficium ad Deos referri oportere declararunt.

Ad observanda huiusce votivae Manus symbola nunc gradum facio, quorum plura singularia sunt, nec in aliis editis Manibus occurrunt; alia vero non pauca in singulis usitatiora & plane communia. Priora enumerabo, quae Mercurio unice convenire non est dubium. Hunc Deum *Terrestrem* & *Inferum*, de quo fusius disserui, quum Gemmas Deorum imaginibus inscalptas in Museo Florentino editas observarem, declarat testudo, quam ei sacravit fabulosa vetustas, quia sex mensibus sub terra ea latitat; sex vero super terram repit. Ita Mercurium nunc Deorum Interpretem, nunc mortalium negociis & curis implicitum, nunc ad Orcum defunctorum animas ducentem, easque ab Inferis evocantem finxere. Exstat apud Vignolium inter Inscriptiones selectas pag. 307. ara marmorea Dis Manibus sacra, in qua sculptus Mercurius & pone eum testudo, quae ei quoque tribuitur, quod lyram invenerit & Apollini dono dederit. Caduceus convenit Mercurio, utpote Nuncio, & Deorum Interpreti; aequati vero lances, quia eum ponderibus praesidem veteres fecere, de quo in Tom. II. Musei Etrusci non pauca adnotavi. Adest etiam radius, quo Mercurius Astronomiae inventor; vel, si potius videtur scriptorius stilus sive graphium, caelaturae scripturaeque & litterarum excogitator designatur. Tres ollulae absque operculo, ut opinor, hunc ipsum Deum divitiarum & thesaurorum custodem, pecuniis praepositum, & Mercatorum lucris praesens numen designant: cuius tutela in antiquis aliquot inscriptionibus indicatur.

Hinc

Hinc in Doniano marmore a me adlato Claſs. I. num. 168. legitur: MERCVRIO LVCRORVM. POTENTI ET CONSERVATORI. A Graecis Αγοραῖος, Εμπολαῖος dicitur. In Gruteriano lapide LI. 1. NEGOTIATOR: in Reineſiano Claſs. I. n. 80. NVNDINATOR adpellatur; quare iuxta varia munia, & negocia, quibus praeeſt, quibus divitiae, quaeſtus, & lucri parantur, ſubſpicor forſitan tres ollulas numis recondendis ſervandiſque deſtinatas, ei pro ſymbolo, raro quidem & ſingulari, quod nunc primum occurrit, tributas eſſe.

Frequentiora ſymbola, atque, ut ita dicam, communia, ſculpta cum in interna tum in externa parte harumce votivarum Manuum obſervanda ſuperſunt, quae eruditis obſervationibus illuſtrarunt praeſtantes viri Pignorius & Tomaſinius. Primum digniorem locum occupat pinea nux vertici pollicis impoſita. In ſymbolum hoc unice oculos ſuos hi doctiſſimi viri defigentes, quia pinum Magnae Deûm Matri Idaeae Cybeli ſacram, atque in eius eſſe tutela ex priſcis Scriptoribus, & ſculptis monumentis norunt, putavit alter eidem Deae, alter vero Iſidi votivas aheneas Manus haſce ſacratas fuiſſe. Sed in hac Antinoriani Muſei Manu, quum pinea nux, & reliqua fere omnia ſymbola, quae in reliquis duabus Manibus ſpectantur, occurrant, & alia plura tributa ſint Mercurio, cuius quoque protoma conſpicuo in loco poſita eſt: ex ſolo pineae nucis ſymbolo minime ſtatui poſſe liquet, alteram Manum Cybeli, alteram Iſidi dedicatam fuiſſe; nam quum hoc ſymbolum commune ſit ſingulis manibus atque huic ornatae imagine Mercurii, probabilius videtur hanc divinitatis notam ſive adtributum peculiare aliquid apud veteres deſignaſſe. Hoc ipſum ab aliis diſcere cupio: ſi vero coniecturis indulgere mihi fas eſt, ſubſpicor veteres eo indicare voluiſſe aurei aevi

faustissimum ac beatissimum tempus, quo homines nullis morbis adflictatos credebant; quare Saturno pineam nucem beatioris temporis indicem consecrarunt, uti monumenta alibi a me adlata tum apud Etruscos, tum apud Romanos testari videntur. Sacra est etiam pinea nux iis Numinibus, quae mortalium felicitati & tranquillitati praesunt, nempe Cereri, Fortunae, Telluri, & Bono Eventui, quam idcirco copiae suae cornu impositam gerunt.

Serpens quoque cristatus (ex eorum genere, de quibus Plinius Lib. VIII. Cap. XIII. consulendus, & Vir Clarissimus Lamius, qui de his fusius pertractavit) carpum Manus circumplectens, erecto circa pollicem capite, non indicat Liberi Patris Orgia, sive sacra Sabatia; sed quum Aesculapio, & Hygiae Servatoribus Diis, & valetudinis defensoribus potissimum tribuatur, eisque sacrum animal sit: facile crediderim indicare consecutam iuxta vota post morbum optimam valetudinem, & aegritudine iam propulsata, corporis habitudinem horum Tutelarium Deorum munere novis viribus auctam ac renovatam; quapropter pollici circumvolutus serpens in singulis Manibus spectatur. Ita etiam in Fabrettiano iam memorato monumento Serapidi sacro, dextro pedi, quem morbus interceperat, serpens circumvolutus observatur.

Supersunt reliqua symbola in hisce tribus Manibus expressa, quae nec Cybeli, nec Isidi, nec ipsi quoque Mercurio conveniunt. Nam thorax Martem, cantharus Bacchum, rana Nymphas, fontibus, stagnis ac paludibus praesides, designant; quae symbola in vola eiusdem manus num. I. sculpta spectantur. In extima eiusdem Manus parte num. II. ramus quercus Iovem (in cuius tutela ea arbor est) liticen & tibiae Minervam harum inventricem declarant: crupetia Pana Deum, ut videre etiam est in Donianis monumentis Tab. IV. n. III. pag. 21.

con-

conchylium Venerem, lacerta Apollinem Deum, qui idem ac Sol est; cornu vero, quo veteres Heroes pro poculo usi sunt, forsitan Herculem vini cupidissimum significant.

Quod igitur hanc votivam Manum censeam Mercurio sacram fuisse, monet ipsum Mercurii prominens caput, & complura symbola, quae eidem peculiari modo conveniunt. Reliqua, quum plurium Deorum propria symbola procul dubio sint, & in tribus hisce Manibus occurrant, in eam facile me adducunt sententiam, ut has *Manus Panteas* dicam, non uni tantum, sed omnibus fere Diis dedicatas: quod forsitan veteres fecerunt, quum implorato cunctorum Deorum auxilio, singulis, hoc voto soluto, sacroque in templis reposito anathemate, grates referre voluerunt; quapropter eadem de causa Panthea illa ex aere signa, quae ad nos pervenere, excogitarunt, in quibus multa Deorum symbola in unum sociata congesserunt, & soluto voto alicui Numini consecrarunt, quod nobis antiquae inscriptiones testantur. Igitur haec Manus Mercurio potissimum dedicata est, licet, praeter Mercurialia, alia Deorum paene singulorum symbola sculpta praeferat.

Illud nunc superest, ut gratias agam Nobilissimo Viro Equiti CAIETANO ANTINORIO, qui mihi tam insigne monumentum illustrandum obtulit: rogemque, ut pro singulari sua in me humanitate ac benevolentia pauca haec temporario calamo, & ruri quidem hoc Maio mense, ut aliquantulum vires corporis reficerem, exarata & adnotata, benigno animo accipiat, mihique alias occasiones praebeat ei morem gerendi; quum in dies magis magisque eximiis prisci aevi monimentis Etruscis, & Romanis, ac praesertim patriis Florentinae Coloniae, Museum suum locupletet: quare summopere gratulari etiam decet huic inclitae Vrbi, in qua & hodie tan-

to ſtudio coluntur priſci aevi monumenta, ut complures ampliſſimi Proceres carere optatis deliciis aedes ſuas ornatiſſimus putent, ſi antiquis ſignis, urnis, lapidibus, anaglyphis & gemmis explendeſcere non videant.

TAB. VI. ΑΝΑΘΗΜΑ *Aſſoriorum*, BVBONIS *marmorea Statua*.

ANtiquum Vatem inter cetera illuſtria Siculi regni monumenta connumerandum, ARCHATEM nomine, omnibus antea plane ignotum, nunc primum oſtendo, & in lucem profero, ut litteratorum hominum mihi gratiam & favorem conciliem. Vberem eruditionis ſegetem praeſeferre hoc plane curioſum Graecae Antiquitatis κειμήλιον, nemo eſt qui non videat. Hinc enim qui copioſius atque enucleatius illuſtrare illud voluerit, occaſionem peropportunam habebit diſſerendi de auguralibus ac divinatricibus Avibus, quorum voces, cantus, clangores, ululatus, geſtus, volatus, & alia huiuſmodi veteres Magi, & Harioli ad ſuas praeſtigias vendendas uſi ſunt, & futura praeſentire docuerunt. Adeo vero caecutierunt veteres Ethnici, ut prodigia quoque interdum ab his patrata ſcripſerint.

Aegyptii mortalium omnium vetuſtiſſimi multa animalia coluere propter eximia beneficia, quae in genus humanum contulere; nam ab his medicas herbas, & remedia ad ſanitatem corporis tuendam, ſervandamque, atque alia urbibus ad commercium utilia inventa fuiſſe, obſervarunt: quapropter, ut & aliae gentes benefica animalia omni honore adficerent, atque etiam colerent, exemplo ſuo, ut opinor, pellexerunt, & maxime omnium excitarunt.

In

In Isiaca Bembina Tabula animalibus hisce avibusque (inter quos non paucae imagines sculptae sunt, quae hanc ipsam a me adlatam Avem referunt) altaria dedicata spectantur , atque his coram homines genua flectunt, & adorationes faciunt; vel in cymba, uti maiora Aegyptii regni Numina Isis & Osiris, vehuntur. Graeci quoque in Deorum tutela complura animalia iisdemque convenire propter arcanas ac mysticas significationes crediderunt. Vrbes plurimae sunt, quae animalia & aves Diis sacras pro symbolis, quibus noscerentur ab exteris, in suis numis insculpsere, ut noctuam Athenae, aquilam Antiochenses &c.

Ast inter aves, alias auspicatas, alias inauspicatas esse veteres censuerunt: & has etiam loqui inter se, auditumque sermonem ab Auguribus tantum intelligi posse. Has oscines dixere Tusci ac Latini, auctore Festo: *Oscines aves Appius Claudius esse ait, quae ore canentes faciant auspicium, ut corvus, cornix, noctua: aut quae alis, ac volatu, ut buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius*. Interdum aliquae aves, quae quibusdam populis infaustae, & male ominatae fuere, aliis tanquam auspicatissimae habitae sunt. Vultures Romulo regnum, Mario victoriam, Augusto imperium praenuntiarunt. Captata auguria felicia ex cygnis, & sue suculis foeta, legimus, apud Virgilium. Noxia animalia eos homines qui ex urbibus, finitimisque regionibus propulsarunt, in numerum Divorum Heroumque fabulosa locavit vetustas. Sed de his satis, quae aliis dilucidanda relinquimus.

Igitur & avibus hisce de re publica optime meritis, statuas ad aeternam beneficiorum ab ipsis acceptorum memoriam ab antiquis positas fuisse, docet praeclarum hoc & singulare monumentum, quod olim Celsissimae Violanti Beatrici Vindelicorum & Etruriae Magnae Principi ac Senarum Gubernatrici, quum Romam lustraret, dono dedit doctissi-

si-

ſimus Praeſul Franciſcus Blanchinius: & poſt mortem eiusdem Principis, venditis aliquot Cimeliis, in meum Muſeum migravit. Poſtmodum vero ipſe Nobiliſſimo Comiti DE THOMS, rerum antiquarum aeſtimatori & conquiſitori laudatiſſimo, ut gratiam referrem, obtuli, quod mihi complura Muſei ſui locupletiſſimi Etruſca monumenta digna publica luce, quae proferam, egregie delineata dono dediſſet, quum Florentiam luſtraret.

Cernitur Bubo totus marmoreus marmoreae baſi inſiſtens, murem ſiniſtro pede comprimens. Caput, Augurum more, velatum & opertum habet quodam, ut videtur, panno, plumatili opere elaborato, relictis, ut in oſcillis, apertis oculorum & roſtri ſpatiis. Baſis in dextro latere Victoriam ſtantem, alis inſtructam exhibet, quae laeva palmam gerit; dextra vero coronam, ut arbitror, auream ſive argenteam oſtentat; nam circulo ſimillima eſt, foliis deſtituta. In altero baſis latere cernitur femina alis carens, quae eodem modo coronam adſimilem offert; ſiniſtra vero palmam tenet, quae facile Pax eſſe poteſt, perſimili typo ſculpta in numis, quod Victoriae ſit individua comes, & felicitatis auſpex. Antica eiusdem baſis facies, temporis iniuria, vitioque marmoris nonnullis in locis aliquantulum corrupta eſt; ſed non tam male, ut intelligi non poſſit id quod Graeca epigraphe declarat; nimirum:

⁝⁝ΡΧΑΤΗC·	*Hoc eſt.*	*a*RCHATES·
ΠƐΤΡΙΟC·ΗΟ		PETREVS·QVI·QVAE
ΜΑΝΤΙC·ΜΑΝ		VATES·VATICINA
ΤƐΟΑƐΤ·Δ·ΑC		TVS ANN·IV·AS
⁝⁝CΑΡΙΩΝ		S O R I I S

No-

Haud opus eſt, ut Lectorem heic morer, adferens Bubonis deſcriptionem, quam exhibent Rerum naturae Interpretes, praeſertim Aldovrandus, & Ruyſchius Tom. I. Theatr. Animal. Tit. VII. Cap. I. qui eorum varias ſpecies, colores, proprietates, & cibum luculenter exponunt. Bubonem deſcribit Plinius Hiſt. Nat. Lib. X. Cap. XII. tanquam avem funebrem, & maxime abominatam a Romanis publicis praecipue auſpiciis; verum privatorum domibus inſidentem plurimum tradit feralem non fuiſſe. Sed Aſſoriis beneficia contuliſſe, a quibus donari ſtatua marmorea meruit cum ſua effigie, docet inſcriptio in baſi exarata, & Deae, quae in lateribus baſis ſculptae ſunt.

Nomen Bubonis Vatis indicatur, dummodo A ſuppleta initio ſit, ARCHATES. Sequitur ΠΕΤΡΙΟϹ, nempe πετραῖος, *ſaxeus*, *petroſus*, *lapideus*; quod etiam Neptuni cognomentum. Ita adpellatus Bubo ab Aſſoriis, qui ei marmoream hanc ſtatuam, ſive ſimulacrum cum eius effigie dedicarunt; nam huiuſmodi animalia in ſummis aedium dirutarum parietibus, atque in petroſis praealtis cavernis lubentiſſime morantur. Idem Archates ambiguo ſexu vocatur H. O. honoris cauſa, ne Aſſorii beneficii memores, opinione divinitatis, in eius cultu, ac religionis ritu peccarent; ſed eum propitium haberent. Plura heic congeri poſſent de ſacra formula ſive *Deus*, *ſive Dea ſis*, quam veteres, Deos invocantes, de quorum nomine aut arcana natura ſibi non conſtabat, in ſacrorum praefatione praemittebant. Deſcribit Servius in Aeneid. Lib. II. verſ. 351. clypeum in Capitolio conſecratum, cui inſcriptum erat: GENIO VRBIS ROMAE SIVE MAS SIVE FEMINA. Vates etiam adpellatur, & vaticinia, tamquam ex oraculo, reddidiſſe annis quatuor ſcribitur. De avium auguriis & auſpiciis, ſi otium eſt, conſule Iulium Caeſarem Bulengerum Lib. III. Opuſculorum, qui de his fuſius.

Quod

Quod nam vero beneficium vaticiniis ſuis toto quadriennio praeſtiterit Aſſoriis Archates, non exprimitur; ſed magnum aliquod beneficium ab eius oraculo acceptum indicat fortaſſe mus, quem ipſe laevo pede calcat. Mures ſiquidem facto agmine in ſegetes irruentes, quandoque eas devaſtaſſe & ſpicas corroſiſſe apud Aegyptios, tradit Aelianus de Animal. Lib. VI. Cap. XLI. Hanc calamitatem ope huius avis devitaſſe Aſſorios, facile divinari, pro certo tamen adfirmare minime poſſumus. Aliud quidpiam ſimulacra tum Victoriae tum Pacis in baſi ſculpta, nempe vel hoſtium inſidias, vel eorum adventum praeſenſiſſe, quos eius oraculo praemoniti devicerint, indicare videntur. Alia doctiores viri me docebunt: mihi hoc ipſum monumentum vetuſtate & raritate eximium in lucem produxiſſe ſufficit.

Dorice ſcriptum eſt ACCAPIωN, pro ACCOPIωN. Aſsorium oppidum Siciliae in edito colle inter Ennam & Agyrium ſitum, hodie *Azaro* nuncupatum, priſcis temporibus celebre fuit, cuius populi *Aſſorini* apud Geographos dicti, a Cicerone in Verrina IV. *viri fortes & fideles* cum laude adpellantur. Apud Diodorum, qui eorumdem populorum bis meminit, corruptum eorum nomen priore in loco obſervat Cluverius Sicil. ant. Lib. II. Cap. VII. pag. 325. nempe Ἀσσωρῖνοι. Antiquiorem eorum adpellationem ſervare videtur hoc perrarum monumentum, quod alii accuratius & luculentius, ut ſpero, explicabunt.

Quia vero nonnulli litterati homines interdum de ſinceris ac genuinis monumentis dubitare ſolent, & de eorum fide ſubſpicari, & hi praeſertim, qui ea dum poſſunt videre ſuis oculis, non curant; illud monendum ſupereſt cum avem, tum ſubiectam ei baſim ex integro ſolidoque marmore conſtare; adeoque baſim non eſſe veterrimo ſigno ſubdititiam, & litteras antiquiſſimas eſſe, ac dubio procul genuinas.

SE-

SEPVLCRA ANTIQVA

Patria, ac propria FLORENTINAE COLONIAE, *emblematis anaglypho opere ſculpta, adferuntur & illuſtrantur.*



On uno in loco conqueſtus ſum de paucitate antiquorum monumentorum, quae hodie Florentiae ſuperſunt: praeſertim quum viderim tot inclitas cum Etruriae, tum Italiae urbes his ita abundare, ut eruditiſſimi cives, qui ea publici iuris fecere, ex antiquis hiſce ſculpturis, & inſcriptis marmoribus multa tuto pede inveſtigare ac ſcribere, & quae ad priſcam maiorum ſuorum religionem, & ad eorum inſtituta, mores & conſuetudines pertinent, utiliter ac ſane erudite oſtendere potuerint. Praeter perpaucas aras Nortiae Deae, Iovi, Silvano, & Herculi ſacras, quas Florentinae Coloniae homines Diis dedicarunt, nullas alias, ſumma adhibita cura & induſtria, inveni. Perpaucos ſepulcrales titulos, qui ad primos Florentiae colonos ſpectant, iam protuli in Parte I. huius Operis, qui antiquiſſimarum familiarum nomina & alia obſervatione digna nobis patefaciunt. Sed Coloniam hanc ſplendidiſſimam, Romanae magnificentiae aemulam, quae praeclara, non ſecus ac aliae victoris gentium populi Coloniae, iactavit aedificia, iisdemque ſuperbiit, & nomen ſuum ubique gentium illuſtri cum laude propagavit, templa nimirum Deorum, amphitheatrum, theatrum, balneas publicas, aquaeductus: quorum rudera ac veſtigia nonnullis in locis adhuc ſuperſunt, columnas, capitula, pavimenta muſivo opere elaborata, non multis ab hinc annis, & ſuperioribus

etiam inventa ſpectans, ſaepe numero adtonito ſimilis vix intelligere, ac mihi ſuadere potui, tam paucis hodie explendeſcere ſcriptis monumentis: mecumque cogitavi, id ſi adſererem, vix credi poſſe. Sed prae omnibus priſci aevi reliquiis, quae ſummas fuiſſe Florentinorum opes, ſummumque in gloria ſibi paranda, atque in muneribus edendis ſtudium, perſpicue oſtendunt, celeberrimum illud marmor memorandum eſt, a me editum in Parte I. pag. 316. num. 64. quod ad hoc tempus exſtat in aedibus Marchionum Ridolphiorum, quo intelligimus, Q. Caſcellium Labeonem Florentinum civem, tantis opibus abundaſſe, ut in perpetuum pollicitus ſit maximis ſuis ſumtibus honores quotannis habendos natali die Auguſti, eiuſque uxoris Liviae Auguſtae, & Tiberii Caeſaris, eo praeſertim die quo is Pontifex Maximus creatus eſt: quem honorem conſtat anno ab V. C. DCCLXXI. Chriſti vero XVIII. quum idem Tiberius Caeſar tertium, & Germanicus Caeſar iterum Conſules eſſent, a Florentinae Coloniae Duumviris Cn. Acceio Rufo Lutatio, & T. Petilio decretum fuiſſe. Non moror in recenſendis divinis honoribus, ara dedicata & victimis immolatis, coena Decurionibus, & populo data, thuris incenſi oblationibus, vini profuſionibus & libationibus, quibus ad veſcendum Genii Caeſarum invitarentur, ludis editis ſex dierum ſpatio, mulſi & cruſtulorum largitionibus, ſtatuarum dedicationibus & aliis, quae in eodem marmore recenſentur; quae omnia ut iuſtum volumen offeram doctis viris, iamdiu valde me ſolicitant, ac vehementer impellunt.

Cauſam vero cur tot monumenta priſcorum Florentiae Colonorum ad noſtram aetatem non pervenerint; ſed miſerrimo quodam fato interierint, non ſemel adtuli, nec ſine animi angore adſignavi: nempe Florentinorum civilia & externa bella, diſſidia, in-

incendia, direptiones, &, quod his peius est, summa maiorum nostrorum incuria, ne dicam barbaries & ignorantia, qui has antiquitatis delicias neglexerunt, ipsique vel in calcem verterunt, vel in aedificiorum fundamentis, Borghinio teste, iecerunt. Fuerunt etiam quidam, (quorum nominibus mihi probe notis invitus parco) qui turpis lucri cupiditate aestuantes non pauca marmora, elegantissimis anaglyphis operibus insculpta, exteris Gallis, Britannis, ac Germanis vendiderunt, ac patriam suam his eruditionis, laudis & gloriae praesidiis turpissime spoliarunt. In parietinis Xysti apud Aediles Metropolitanae Ecclesiae Florentinae non pauca marmora veterum Florentinorum ex insignioribus inserta erant, quorum hodie lacunae, quae supersunt, sublata fuisse testantur. Inter marmora haec, & illud censebatur, quod profero in sequenti Tabula VII. quod inde iam remotum fuisse constat; spectabatur tamen, teste doctissimo Vincentio Borghinio, qui anno MDLXXV. delineandum curavit, e cuius schedis Cl. Senator Philippus Bonarrotius accepit, ex ipsis ego, qui nunc primum in lucem profero. Ex hoc quoque insigni monumento plura notatu digna colligimus, quae, ut superius aiebam, summum civium Florentinorum splendorem in ludis edendis, atque in largitionibus, sportulis, aliisque donis plebi & populo omnibusque ordinibus dandis, luculenter testantur.

TAB. VII. *Q. Petronii Melioris Consulis Municipalis largitiones, & munera edita.*

QVum in hoc insigni ac perraro marmore, cuius anaglyphum figuris & inscriptione ornatum aperte ostendit frontem fuisse sepulcri, Q. Petronius Melior, ad quem pertinuit, dicatur COS· MV·

hoc est CONSVL MVNICIPII, sive MVNICIPALIS; post viros doctissimos Scaligerum in Lect. Auson. Lib. II. Cap. XXIII. Valerium Chimentellium Cap. V. de honore Bisellii, Henr. Norisium in Cenotaphia Pisana Dissert. I. Cap. III. pag. 42. & Gisb. Cuperum in Monum. ant. pag. 223. haud opus est ut in re tam erudite ac luculenter illustrata, de Consulibus Municipalibus agam. Qui in suggestu sedet, forte is est Q. Petronius Melior, apud Florentinos Consul Municipalis, a quo editos fuisse Circenses ludos indicat quadriga & proposita singularibus equis currentibus praemia, quae in superiore segmento sculpta spectantur. Multa opportune heic addere possem, si integrum esset marmor. Vir ille qui ante Consulem genua flectit, orat ut munera pro dignitate municipii splendide ac magnifice edat: alter vero stans tesseram hospitalem ei offert, vel frumentariam ab eo se accepisse testatur. Hoc loci lubet commemorare meo Museo nuper adcessisse tesseram illam athleticam sive gladiatoriam Servilii Clementis, in Praefatione a me descriptam pag. XXXI. quam mihi egregius elegantiorum Musarum, & Philologicae eruditionis cultor Ioannes Paulus Vmbrosius Florentinus, humanissime nuper mihi dono dedit.

TAB. VIII. Num. I. *Herculis labores sculpti in marmoreo Sarcophago.*

QVod non solum barbari, sed etiam ipsi Florentini cives praeclara maiorum nostrorum monumenta evertint, ac pessum dederint, ne antiqua exempla congeram, docet & recens paucis ab hinc annis editum documentum. Anno MDCCXXVI. quum in Hypogaeo Coemeterio Ecclesiae S. Pancratii vi-

vidissem, & delineandum curassem hunc Sarcophagum elegantissimum, in quo praecipuos Herculis labores egregio opificio sculptos observavi: paullo post exscisum a male feriatis hominibus (quorum nominibus invitus parco) & in minuta fragmenta redactum amici nunciarunt. Eam inter ceteras memorant potissimum fuisse causam, ut carerent incommodo aperiendi Coemeterium, ut his qui frequenter, me monente, videre cupiebant, facerent satis.

Sarcophagum hunc haud peregrinum esse, nec aliunde advectum, sed pertinuisse ad aliquem dignitate conspicuum virum, quum Florentinorum Colonia floreret, & in ea praeclarae artes ad Graphicen spectantes mirifice vigerent, nemo, ut opinor, dubitabit, qui novit cum Ecclesiae, tum Coemeterii Basilicae S. Pancratii antiquitatem, quae inter primas censetur, uti monumenta Ecclesiae Florentinae testantur.

Quinque igitur praecipuae Herculis aerumnae ab antiquis Mythologiae Scriptoribus, ac praesertim Poëtis adeo celebratae, ut his recensendis, ne nimius sim, supersedeam, in hoc Sepulcro, sine tamen ordine, exhibentur, nempe Leonis Nemeaei suffocatio, Hydrae Lernaeae nex, apri Erymanthii interitus, cervae Arcadicae prostratio, Stymphalidum occisio, & ex insula Martis expulsio. In mediana Sarcophagi aedicula prope Herculis pedes ex urna se exerit iuvenis, qui dextram manum, ritu opem implorantium, ad eum extendit. Credunt aliqui hunc referre Pholum, Herculis amicum, quem post obitum, Heroum more, sub monte tumulavit: quae res omni columna ac mausoleo gloriosior ei contigit, teste Diodoro Lib. v. Cap. II., quare ab eo mons ille nomen accepit. Sed mihi vero videtur similius, hanc sculpturam referre Hylam,* Theodamantis filium, quem Hercules amavit, eum-

que

*Fallitur sane hic vir doctissimus, ac mirum non vidisse in ipso a se laudato Diodoro Eurystheum Regem hic exhiberi, a quo demandatus Herculi labor, ut aprum Erymanthium vivum sibi sisteret: quem cum humeris ejus, ait Diodorus, apportari vidit Eurystheus, ita expavit, ut in aeneum se dolium absconderet.

que in Mysia flumine submersum, ad quod ad hauriendam aquam miserat, amissum lacrymis prosecutus est. Hunc typum sagax sculptor adiecit, ut in hoc Sarcophago defunctum designaret, eique datam a Diis divinitatem praemoneret; quare & Genios quatuor, & Tritones buccinantes in utroque sepulcri angulo sculpsit: quorum simulacra, ut docet Macrobius, in fastigiis sacrarum aedium conlocare veteres Romani consueverunt. Non pauca sunt veterum sepulcra historiis ornata, quae Herculis labores praeferunt: nam, quod hic Deus Orcum adierit, & animas multorum victo Cerbero eduxerit, & ad vitam revocaverit: ea propter lubentissime Romani in sepulcris eius gesta insculpserunt, & tamquam propitium defunctis crediderunt; quod ex aliis monumentis mox adferendis clarius liquebit.

Num. II. Sequitur in eadem Tabula frons marmorei Christiani sepulcri, quod unicum e multis, quibus usi sunt veteres Florentini Christiani, ostendere possumus. Dextrum eius emblema triplicem Ionae historiam exhibet, nempe eius in mare proiectionem; & notandum a sculptore expressum esse Prophetam ligatis manibus: & inde eum sub umbraculo quiescentem potius cucurbitae, quam hederae: de qua quaestione consulendus Vir doctissimus Ioannes Bottarius, Vaticanae Bibliothecae Praefectus in Picturas ac Sculpturas veterum sacrorum Coemeteriorum ad Tabulas XXXVII. pag. 151. & 152. & XLII. pag. 186. & 187. In sinistro Sarcophagi emblemate Ionae ex ore ceti in aridum littus eiectio expressa est. In angulis tamquam parerga additae sunt protomae virorum ornatae chlamyde & pileo Phrygio, quae inter lusus sculptorum recensenda sunt; his enim in locis personatos homines & oscilla addebant Ethnici, ut vehicula animarum, de quibus mox sermo, denotarent. Primaevos Christianos interdum mul-

ta,

ta, quae apud Ethnicos frequenter occurrebant in eorum ſepulcris, in ſuis admiſcuiſſe, iam alii docti viri obſervarunt. In medio a recentiore artifice ſculptum eſt Temperaniae nobiliſſimae gentis ſtemma, cuius heredes fuere Bondelmontii Patricii Florentini. Compertum eſt veterum ſepulcra in uſum Familiarum ſequiore aevo tranſiiſſe; quare in ipſis inſignia maiorum ſuorum ſculpenda curarunt.

TAB. VIIII. *Sarcophagus marmoreus, in quo ſculpta* CORONARIA.

IN ſepulcralibus titulis, etſi raro, memorantur tamen CORONARII & feminae CORONARIAE. Hos protuli in Parte III. pag. 95. & Parte II. pag. 455. quos vide. Nunc imaginem *Coronariae* feminae exhibeo ſculptam in Sarcophago marmoreo, qui exſtat in Florentino Baptiſterio & Baſilica S. Ioannis, in quo conditi cineres Ioannis Epiſcopi Florentini, qui obiit anno MCCXXX. cuius patria Velletrum fuit, quod indicat in candido marmore ſcriptus hic titulus:

✠ PATRIA VELLETRVM SANCTI FVIT ILLA IOhANNIS
QVI IACET HIC PRESVL CVI SIT PAX OMNIBVS ANNIS

Hic Sarcophagus unus ex illis plurimis cenſetur, qui extra Baptiſterium in gradibus eius repoſitus erat; nam conſtat, olim plures gradus adſcenſum praebuiſſe in hanc Baſilicam, qui hodie ſub humo, ea non ſemel adgeſta, deliteſcunt. Hi Sarcophagi conſilio egregii Arnulphi Architecti Florentini e medio ſublati ſunt, qui cenſuit Baſilicae huius magnificentiae, & proceritati multum de-

detrimenti adferre. Quod vero circa Baſilicam hanc S. Ioannis plurima ſepulcra nobiliſſimarum Florentinarum Familiarum conlocata fuerint, teſtatur Ioannes Boccaccius in Fab. IX. Diei VI. quorum maior pars, ut ex his quae ſuperfuere colligimus, antiquis Ethnicis anaglyphis ſculpta erant.

Coronariae feminae imago in medio Sarcophagi ſculpta eſt, cui ad dignitatem & decus augendum vela ſuſpenſa ſunt: quo honore arae Deorum Manium inſigniebantur, atque in his caeruleae vittae ſuſpendebantur. Dexteram manum apertam tenet, more Dearum, quo geſtu earum ſimulacra frequenter ſculpta ſunt: laeva manu calathum floribus refertum, qui hodie deſunt, gerit; maiorem vero calathum roſis cumulatum ante ſe habet. In ſepulcris paſſim memorantur roſarum profuſiones, & ſparſiones, quae in honorem defunctorum fiebant, &, ut fierent, pecuniae cum annuo reditu adſignabantur. Hinc inde canis domeſticus, & avicula cernuntur, quae eidem feminae in deliciis fuere.

Encarpi floribus oppleti defunctis donabantur, hiſque eorum arae, & ſepulcra coronabantur. Ignoratum eſt ad hoc tempus, quomodo εἰρεσιώνη, nempe *encarpus* floribus omnis generis veſtiretur & conficeretur. Id oſtendit anaglyphum hoc, etſi rudiuſculae ſculpturae ſit. Flocci lanei arboribus ſuſpendebantur, hiſque Coronariae feminae ſedentes flores adnectebant conligabantque; quam artem conficiendi encarpos docet femina in dextro Sarcophagi latere ſculpta, quae caniſtro inſidens, ante abacum roſis onuſtum, ſuſpenſos floccos adprehendit. Ad eam interim quatuor calathos refertos floribus quidam ſervus advehit, taeniam gerens laeva manu. Ad pedes Coronariae ſculptus eſt lepuſculus aliquid adrodens. In laeva Sarcophagi parte mulier in ſede quieſcens Genium adcedentem, & victas ſeu taenias ſo-

lu-

lutas, quae e lana confectae videntur, adferentem excipit, & ipse sinistra manu solutas corollas tenens, quae e tenui preciosaque lana fieri solebant. Harum frequens mentio apud Pindarum, praesertim in Ode V. Olymp. Ὑψηλᾶν ἀρετᾶν, καὶ στεφάνων ἄωτον γλυκὺν τῶν Οὐλυμπίᾳ. Ad pedes Genii proiectus calathus cernitur; ad pedes vero feminae iacet canis domesticus, qui Diis Laribus sacer erat. Hinc inde floribus & fructibus luxuriant arbores; nam encarpi & coronae non solum rosis & floribus, sed pomis etiam cuiuscumque generis ornari solebant. De his Apuleius Metamorph. Lib. III. *Individuo nexu corona totis floribus, totisque constructa pomis adhaerebat.* Nil his frequentius in aris, & arculis cinerariis defunctorum; quibus conficiendis, cum viri, tum feminae praeerant & officinas habebant, in quibus eas parabant & vendebant. Demum in utroque angulo mortem & funus designantes sculpti sunt duo Genii, facibus in terram inversis innixi, qui mos in exequiis mortuorum servabatur. Aristophanes in Thesmophor. mulierem inducit, quae defuncto viro, alimenta familiae suae parasse se adfirmat, nectendi myrteas coronas arte:

Ἐμοὶ γὰρ ἀνὴρ ἀπέθανεν γ' ἐν Κύπρῳ
Παιδάρια πέντε καταλιπών· ἃ 'γὼ μόλις
Στεφανηπλοκοῦσ' ἔβοσκον ἐν τοῖς μυρρίναις.

Mihi enim vir mortuus est in Cypro,
Puerulis quinque relictis; quos ego vix
Coronario quaestu pavi in myrteis nectendis.

Cleobolus Comoediam inscripsit Στεφανοπώλιδες, hoc est *Venditrices coronarum*, cuius meminit Athenaeus Lib. XIII. Cap. X. Sed de feminis hisce, quae coronas floribus innectebant, plura habes apud Pollucem Lib. VII. Cap. XXXIII. Dioscoridem Lib. IV. Cap. LXI. & Suidam in Στεφανόπολις voce. Adposite de his Plu-

 tar-

tarchus in Polit. mihi pag. 802. & de Auſcultat. pag. 41. qui locus Latine ſic redditus eſt. *Proinde oportet, copia & varietate dictionis remota, ipſum perſequi fructum, imitarique non eas, quae ſerta plectunt* Στεφανηπλόκους *mulierculas, ſed apes. Illae enim florida & odorata ſectantur folia, conſuunt atque pertexunt: opus iucundum quidem illud; ſed in diem dumtaxat duraturum, atque infrugiferum.* Meminit Plinius Lib. XXXV. Cap. XI. Glycerae Coronariae, quam Pauſias pictor deperivit: *Amavit in iuventa Glyceram municipem ſuam inventricem coronarum*, (Salmaſius in Exercit. Plinian. corruptum locum emendat, legitque *vitricem coronarum*, Στεφανοπλόκον) *certando imitatione eius ad numeroſiſſimam florum varietatem, perduxit artem illam.* Subiicit poſtmodum Plinius collatos Glycerae honores a Pauſia: *Poſtremo pinxit illam ſedentem cum corona: quare e nobiliſſimis eius tabula appellata eſt* Stephanoplocos, *ab aliis* Stephanopolis; *quoniam Glycera venditando coronas ſuſtentaverat paupertatem.* Rationem reddit Salmaſius, quod *vitricem coronarum* repoſuerit, adlato hoc antiquo verſiculo:

Ibant Malaci viere Veneri corollam.

De arte uſuque harum coronarum, haec Iul. Firmicus Lib. IV. Cap. XV. *Faciet hoſpites propinarios, tabernarios, myropolas, eos qui coronas ex florum varietate compoſitas feſtis ac ſacris diebus diſtribuere conſueverunt, & quae cum ad laetitiam, vel delectationem ſunt neceſſaria.* Erat igitur apud veteres immenſus paene uſus coronarum, quae ad Deos coronandos, in ſacris quoque eorum, in nuptiis, in conviviis, & in funeribus abhibebantur, quarum opifices non ſolum viri, ſed & etiam feminae erant, ut vetuſta inſcripta marmora, & anaglypha teſtantur. In Etruſcis Vaſculis frequenter occurrit Deorum coronatio & pompa, adlatis floreis corollis.

TAB.

TAB. X. *Coniuges ſculpti in marmoreo Sarcophago, quorum comites ad Infera regna Caſtor & Pollux.*

NVptiis apud veteres nil ſanctius nil auguſtius fuit; neque eas alicui celebrare fas fuit ſine praevio nuptiali ſacrificio, de quo haec Varro Lib. II. de R. R. *A ſuillo genere pecoris immolandi, initium primum ſumtum videtur: cuius veſtigia, quod initiis Cereris porci immolabantur, & quod initiis pacis, foedus quum feriretur, porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui Reges & ſublimes viri in Etruria in coniunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus primum porcam immolant, priſci quoque Latini, & etiam Graeci in Italia idem factitaſſe videntur.* Quoniam igitur nuptiae fidei, concordiae & foederis coniugalis ſymbolum ſunt, & eorum qui nuptias iniere, felicitatem, quae e concordia, & animorum conſenſu oritur, deſignant; idcirco frequenter in ſepulcris non ſolum Romanorum, ſed Etruſcorum, & Graecorum quoque ſculptae obſervantur.

Primum igitur in hoc marmoreo Sarcophago elegantiſſimo, qui unus ex his eſt, qui ad priſcos homines Coloniae Florentinae pertinuit, ſpectanda eſt architectonica ſymmetria, loculamenta quinque, ſeu aediculae, quarum tres concha in medio ornantur; quod ornamenti genus in Diptychis quoque eburneis Tabulis, quas Vaticanae Bibliothecae dono dedit Ampliſſimus longeque Doctiſſimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus, Sanctae Romanae Eccleſiae Bibliothecarius meritiſſimus, conſpicitur. Occurrunt in his quoque, ut in hoc monumento, columnae vitineis ſtriis ornatae. In hypobaſi encarpi & roſae ſculptae ſunt, quibus defunctorum ſepulcra, in pa-

 ren-

rentalibus, & in inferiis ornabantur. Neque inobservatum dimittam operculum huius sepulcri, antiquo opere dubio procul sculptum, quod loricatum est, & in angulis acrostolia praefert, licet iniuria temporum haud parum labefacta sint. Sepulcri, in hanc speciem forsitan confecti, fit mentio in marmore inter Oxoniensia XXXII. pag. mihi 305. ΚΑΙ ΕΘΗΚΕΝ ΣΟΡΟΝ ΠΡΟΚΟΝΝΕΣΣΙΑΝ. *& posuit sepulcrum loricatum.*

Viri in manum cum uxoribus convenientes in sepulcris aperto capite, & a sinistris semper sculpti occurrunt etiam in urnis Etruscis; feminae vero a dextris velato capite. Sed ex hoc marmore (quod & in numis, qui nuptias Caesarum cum Augustis feminis exhibent, observare licet) colligimus viros nuptias celebrasse togis amictos; nam eorumdem coniugum imagines in aliis duobus loculis cernuntur, & vir militari amictu & chlamyde ornatus spectatur. In reliquis duobus aediculis expressae sunt Castoris & Pollucis imagines, qui equos ducunt, & ipsi galeis & militaribus armis (quod rarius observare licet) insignes. Ad eorum pedes virili specie flumina sculpta sunt: quorum alterum copiae cornu eversum tenet; nam & inversae faces funus, ut vidimus, indicant; & forsitan Acherontem unum, alterum Lethem repraesentant. Castores vero, quos etiam in angulis Christiani sepulcri superius editi Tab. VIII. sculptos vidimus, humanae vitae & mortis vicissitudines in sepulcris repraesentare censentur. Pertinuit post Ethnicos hoc sepulcrum ad gentem de Abbatibus Florentinam, in Magnatum classe nobilissimam.

TAB. XI. *Emblema marmorei Sarcophagi,* MERCVRIVS *e ianua Sepulcri egrediens, defuncti animam ad Elyſios adſportaturus.*

LAudare ſatis pro meritis non poſſum Florentini Sculptoris & Architecti eximium ingenium, qui ſepulcrum hoc caelavit, & perraro emblemate, multiſque, pro defunctorum dignitate ac ſplendore, ornamentis condecoravit. Mercurium expreſſit egredientem e ianua, pulchra plane atque pereleganti, quae ſepulcrum ipſum cum apud Graecos, tum apud Etruſcos deſignat, uti eorum urnae a me editae teſtantur. Defunctis praeerat Mercurius, quem eorum animas ab Orco evocare, & ad Elyſiorum beata loca ducere, nemo eſt priſcae eruditionis ſtudioſus qui neſciat; quare veterum Scriptorum complura loca, brevitati, non eruditionis luxui conſulens, praetermitto. Perſpicuum igitur eſt qua ratione veteres ex priſcis ipſis Ethnicae religionis arcanis in hoc emblemate expreſſis, Mercurium, tamquam animam defuncti ab Orco evocantem, & ad Elyſiorum arva adſportaturum inſculpſerint. Fanorum aediumque privatarum fores (quod & Terentius & alii Comici teſtantur) extrorſum pandebantur. Id ob oculos ponit hoc monumentum, & alterum, quod nunc menti meae occurrit, adlatum a Cl. Vignolio inter Inſcriptiones Selectas pag. 218. quibus exemplis liquet etiam perſpicue, quae eſſent ianuarum atque eorum forium ornamenta. De his, ſi otium eſt, conſulendus Gaſpar Sagittarius, qui de ianuis veterum ſcripſit ſatis copioſe. Iuxta ianuas conſueverunt veteres Iani, aliorumque praeſidum, praeſtitumque Deorum ſigna, & Hermaea ſimula-

cra

cra adponere: noſter vero Sculptor, ut Defunctis, quorum corpora in hoc ſepulcro condenda erant, adularetur, Victoriolas globo inſiſtentes, & militaria ſpolia ſeu tropaea in haſtis ſuſpenſa adtollentes, & in faſtigio ianuae Genios coronas Defunctis offerentes, ſculpta aquila expanſis alis in eius tympano, in ornamentum adiecit. Hinc inde in aediculis ornatiſſimis imagines uxoris & viri expreſſit. Quoniam vero Defunctos, ſi pie vixiſſent, teſte Platone in Phaedone, Ethnici divinitatem conſequi, & comites Deos ad iter Elyſium habere credebant, adeoque apotheoſi eos donabant; idcirco feminam Iunoni ſpecie quadam perſimilem ſculptor expreſſit, & ſacrum florem, pavonemque calatho inſiſtentem ei adtribuit, & aediculam ſuſpenſis velis ſive aulaeis ornavit. Virum quoque Conſulari vel Duumvirali munere ac dignitate in Florentina Colonia illuſtrem, togatum effinxit, a dextris adpoſito ſcrinio, cum voluminibus ſuperpoſitis; a ſiniſtris vero parvuli filii praetextati imaginem adiecit. Angulos faſtigii aedicularum ornavit leonibus, & arietibus. Arietes & verveces in parentalibus victimae defunctorum erant. Sed leaenas quoque in lateribus ſepulcri alatas ſculpſit, ut malignum & fatalem Solis influxum, lethique velocitatem denotaret. Nil enim capitibus leonum ſculptis in ſepulcris frequentius occurrit: quibus ornamentis non ſolum Graecos, teſte Pauſania, verum etiam Etruſcos pro ſepulcralibus ſymbolis, de quibus diſſerui in Cap. XVI. Tom. III. Muſei Etruſci, uſos eſſe adparet. Sepulcrum hoc vetuſtiſſimum, quod in gradibus Baſilicae & Baptiſterii Florentini olim extaſſe tradunt, inde tranſlatum eſt, fixumque in parietibus exterioribus Canonicae Metropolitanae Florentinae, ad Familias nobiliſſimas inter primas huius Vrbis Figiovanniorum, & Ferrantinorum pertinuit. Proxime huic exſtat ſepulcrum

ad-

adlatum superius in Tab. IX. & alterum in medio marmoreum spectatur, quod exhibet fatalem Meleagri venationem, qui una cum aliis Heroibus aprum Calydonium interimit. Emblema hoc, utpote temporum iniuria valde labefactatum, praetermisi.

TAB. XII. *Genii Defunctorum comites & ductores ad Elysios expressi in marmoreo Sarcophago.*

EA fuit vetustissimorum Philosophorum ac Poëtarum sententia, (facile dixerim Platone & Pythagora antiquiorem) animos hominum caelestes & immortales esse: corpus vero, quo tanquam vinculo colligantur, esse eorumdem tanquam vehiculum & quasi currum. Sed, morte huiusmodi vinculum disrumpente, opinati sunt prisci mortales Ethnici animas in locum suum redire; corporis vero inanem quamdam imaginem, vel umbram superesse, quae pro hominum meritis vel Inferos adeat, ut suppliciis scelera luat, vel ad Elysios deducatur a Diis & Geniis comitibus, ubi perpetua felicitate fruatur. Huiusmodi opiniones confirmant plurimorum Sarcophagorum emblemata, & praesertim hoc patrium, sculptum fere in primordiis ipsis Florentinae Coloniae, quod exstat insertum in pariete exteriori Ecclesiae & Plebis antiquissimae ad Septimum. Spectantur Genii tres encarpos sustinentes, inter quos vela sculpta sunt, quae cymbas referunt, in quibus Defunctorum oscilla reposita sunt, vittis seu velo, divinitatis indiciis, coronata ac cincta. His animarum vehicula earumque umbrarum ad Elysios transitum designarunt. Quatuor haec oscilla referri etiam possunt ad quatuor anni Tempestates, per quas ve-

veteres rerum humanarum vices in ſepulcris declarare conſueverunt; idque innuit perſona Caſtoris in uno ex angulis adparens, quum in altero, deſit, fracto operculo; in quo tamen ſculptam fuiſſe non eſt dubium. In eodem operculo Nymphae & Genii marini delphinis vecti, & vela ſuper caput auris expanſa tenentes, ſpectantur: quo ſymbolo ſaepenumero uſi ſunt in ſepulcris antiqui, ut ſignificarent, omnia in aquae principium redire, iuxta Thaletis placita, ſeu potius ut notarent Elyſiorum ſitum, quem fabulae in extremo Oceano ſtatuebant. Monſtrum, ſive horrifica perſona, ſculpta in uno ex lateribus ſepulcri, referri poteſt ad denotandam maligni Fati vim, quam defunctus morte interceptus expertus fuerat. De his Ethnicorum opinionibus luculenter diſſerit Ampliſſimus Senator Bonarrotius in Numiſmata maximae magnitudinis Muſei Carpinei pag. 43. & ſequentibus, quem, ſi plura & meliora cupit, adeat eruditus Lector.

TAB. XIII. *Feminae defunctae imago, Veneris ſpecie, a Genio atque a Diis marinis divinis honoribus conſecrata. Medea Abſyrtum fratrem ad ſepulturam deferens.*

QVamvis fracta ſit frons marmorei Sarcophagi, quam adfero in hac Tabula XIII. tamen digna eſt ut in lucem proferatur. Ea exſtat Florentiae in aedibus Nobiliſſimorum Martelliorum, in via, quae ab ipſis nomen accepit, parieti compluvii inſerta. Servavit, ut opinor, anaglyphum hoc elegantiſſimum, inter patria Florentinorum Colonorum recenſendum, ſolertia Donati eximii Sculptoris (vul-

go

go *Donatello)* qui inter primos Florentinos Statuarios numeratur, qui ſaeculo XV. floruerunt, qui antiqua praeſtantium artificum opera imitari atque aemulari ſtuduit. Huius viri mirum ingenium in effingendis ad normam antiquorum operibus ſuis, evincunt marmorei illi clypei, ſive orbicularia anaglypha, quibus ornatur atrium Marchionum Riccardiorum, olim Mediceorum antiquorum Procerum, ac Principum, in quibus Diomedem cum Palladio & Vlyſſem, & alia, quae ut priſci Caelatores in gemmis inſcalpſere, felici caelo iſte effinxit. Hunc igitur Statuarium fama ſuorum operum celebrem, Martellii educarunt, & in ſuis aedibus omnia commoda, ut ad hanc gloriam perveniret, praebuerunt; quare crediderim ab eo ſervatum fuiſſe in eorum aedibus anaglyphum hoc operis praeſtantia nobiliſſimum: quas etiam famoſo illo Divi Ioannis Praecurſoris ſimulacro marmoreo locupletavit, quod hodie non ſine voluptate ac ſtupore in iisdem ſpectatur.

Honores divinos poſt obitum matronae delatos oſtendit haec ſculptura, quam Veneris ſpecie conſecratam indicat concha Veneri ſacra, in qua Genius eius imaginem adtollit, hinc inde eam tenentibus & adtollentibus utriuſque ſexus marinis Deis. Sed illud notandum, quod anaglyphum hoc confarcinatum eſt ex duobus ſepulcrorum emblematis. In altero, quod a pendenti encarpo coronatur, expreſſa eſt Medea vecta curru, quem alati ac barbati dracones ociſſime currentes vehunt. Defert in humeris Abſyrti fratris ſui cadaver, dextraque tenet crumenam, ob theſauros in fuga a patre ſublatos. Quae adferri poſſunt ex priſcis Mythologis, praeſertim ex Hygino Fab. XXIII. & XXVI. atque ex Poëtis Tragicis ad illuſtrandum hoc profecto perrarum emblema, quod obvia ac pervulgata ſint, lubens praetereo.

MARMOREA ANTIQVA ANAGLYPHA ET SARCOPHAGI

ADLATI IN SEQVENTIBVS VIII. TABVLIS

IN MVSEO REGIO

MAGNI DVCIS ETRVRIAE

EXSTANT.

TAB. XIIII. *Dii Deaeque Oceani, emblema marmorei Sarcophagi in honorem* ALLEDIAE MARCIAE.

ELegantiſſimo huic Sarcophago raritatis pretium addit inſcriptio in ſuperiore eius labro exarata, unicâ lineâ, quae ita ſe habet:

ALLEDIAE · MARCIAE · FILIAE · DVLCISSIMAE
QVAE VIXIT ANN....... MENSIBVS IIII. DIEB.
XIIII · ALLEDIVS TROFIMIANVS ET AELIA MARINA
PARENTES BENEMERENTI FECERVNT.

Fabrettus hanc ipſam epigraphen ex Schedis Vaticanis protulit Cap. IX. num. 28. & habet QVE VIXI ANN. II. Sed bimulae infanti vix credibile videtur, Sarcophagum, in quo totum corpus condi ſolebat, adſignatum fuiſſe. Hunc ipſum nonnullis cum mendis pervulgavit explicavitque Laurentius Begerus in ſuo Spicilegio. Honoris cauſa Dii Deaeque marinae ſculptae ſunt, tamquam comites Allediae, ut eam per Oceanum ad Elyſiorum beata loca deducant.

Sub

Sub imagine forsitan Amphitrites, quae velum supra caput suum auris expansum habet, eadem Alledia expressa est. Triton cernitur cum buccina equum marinum, Glaucus vero taurum, & alii duo, quorum alter forsitan Nereus arietem, alter vero Palaemon pantheram adducunt, & in dorso ferunt Marinas Deas. Quid symbolis hisce designarint veteres, docet Plato de Legibus, qui scribit his adumbrasse animae & corporis coniunctionem. Aquam esse rerum principium docuerunt Aegyptii, & haec fuit Thaletis & aliorum Philosophorum sententia: quin etiam quia putarunt maris aqua omnia purgari ac lustrari; idcirco nil frequentius in sepulcris occurrit his marinis monstris, quibus Defunctorum animae ad Elysios per mare devehuntur. De hisce emblematis sepulcrorum non pauca in meo Museo Etrusco adnotavi.

TAB. XV. *Genii Aurigae, Circenses ludos celebrantes, emblema marmorei Sarcophagi.*

PVtarunt veteres hominibus post mortem eadem manere studia & curas, quibus viventes addicti maxime fuerant; sive, ut ad illum Virgilii locum Aeneid. Lib. VI. vers. 444.

——————— *Curae non ipsa in morte relinquunt:*

explicat Servius, homines apud Elysios amare, & habere peractorum studiorum, curarum criminumque imaginem. Clarius mentem suam Virgilius paullo post aperit vers. 651.

Stant terrae defixae hastae, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quae gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

 Quum

Quum autem inter praecipuas curas & voluptates hominum, celebritas ludorum haberetur; idcirco ſagax Sculptor in hoc elegantiſſimo Sarcophago Circenſes exhibuit, & pro Aurigis Genios bigas agitantes, & alios Genios curſores, quorum unus, qui iam ad metam pervenit, victoriae indicem, palmarum faſciculum laetus oſtendit. Genius ille, qui e curru deiectus in terram corruit, & alter Genius qui ſemianimis iacet, rotis currentium bigarum adtritus, quem prope parata eſt urna cineraria, aperto ore, ipum Defunctum, cuius cineres in eodem ſepulcro ſervabantur, deſignant, totumque emblema ludorum perbrevem laetitiam cum luctu coniunctam, mortalis vitae brevitatem & pericula teſtatur. Vas alterum perelegans proiectum, illud forſitan eſt, quo aurigae, antequam certamini ſe exponerent, vinum abſynthio conditum bibebant, ut omnem metum depellerent, & alacrius certarent. Memorat Spartianus commentum illud Aelii Veri, qui curſoribus ſuis, exemplo Cupidinum, alas frequenter adpoſuit, equoſque ventorum nomine ſaepe vocitavit, Boream, Aquilonem. Sponius antiquum adfert epigramma in Miſcellaneis pag. 65. quod mirifice hoc emblema illuſtrat. Spectantur etiam menſae, in quibus ova primum locum tenebant, de quibus Caſſiodorus Lib. III. Variar. ad Fauſtum, & Livius Lib. XLI. *Et carceres Circo fecit, & ova & metas curriculis numerandis.*

TAB. XVI. Num. I. *Militarium armorum dedicatio a Geniis facta, emblema marmorei Sarcophagi.*

VIro militari convenit hoc ſepulcrum, in quo Genii in honorem Defuncti ſculpti ſunt militaria arma adtollentes, &, ut opinor, eam armorum referen-

tes

tes dedicationem, quae in templis Deorum ſieri ſolebat. Nemo eſt enim qui ignoret Heroum arma in aedibus ſuſpenſa, & clypeos cum imagine illuſtrium virorum dedicatos. Clypeum intra lauream coronam, e qua lemniſci pendent, ſuſpendunt duo Genii, ut videre eſt etiam in Caeſarum numis: alii duo erigunt haſtam, alii thoracem. Huc ſpectat deſcriptio funebris pompae in funere Pallantis apud Virgilium Aeneid. Lib. XI. Haec omnia adlata eruditionis ſpecioſa fruge illuſtrare poſſem; verum, ſi id facerem, novi nihil adferrem; quare aliis haec illuſtranda relinquo.

TAB XVII. Num. II. *Parentum domeſticus luctus in acerbo filii funere, emblema Sarcophagi marmorei.*

CVbicularis lecti apud veteres Romanos formam hinc diſcimus, in quo morte oppreſſus puer nudus exhibetur. Adpoſita eſt ei, & ſuppedaneo impoſita, patina eſcaria; quia ferales epulae defunctis offerebantur, iisdemque veſci eorum umbrae credebantur. Defunctum puerum lugent parentes, qui ſedentes ſculpti ſunt, quemadmodum ad ſepulcrum Hectoris in Iliaca Tabula apud Fabrettum pag. 378. videre eſt. Stantes vero plorant defunctum puerum fratres, & Genii duo Somnum & Mortem referentes, qui iuxta funerum ritum, inverſis facibus innituntur. Ita quoque in funere virorum, qui militari gloria, & magiſtratuum honoribus praefulſerunt, arma, faſces & alia inſignia ad terram verſa ferebantur. Mirum in exprimendo luctu Sculptorum ingenium ſaepe etiam in antiquis Etruſcorum ſculpturis demiratus ſum. Plura, quae in hoc emblema adferre poſſem, elucubravit Kirckmannus de Funeribus antiquorum Lib. II. Cap. VII. XI. & XII. quem ſi otium eſt,

vi-

vide. Opinati ſunt veteres mori coactos eos, quibus Proſerpina crines abſcidiſſet; quare de Didone ſibi mortem conſciſcente, haec Virgilius Aeneid. Lib. XIV. verſ. 696.

Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore,
Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Putarunt etiam forma atque aetate praeſtantes cum pueros, tum puellas a Diis Nymphiſque amoris gratia rapi, & ad Elyſia arva duci eorum umbras; animas vero ſederibus inſeri ſolitas: quam opinionem, compluribus adlatis antiquis epigrammatis, confirmat Fabrettus ad Inſcriptiones domeſticas Cap. III. pag. 188. 194. & Cap. X. pag. 702.

TAB. XVIII. APOLLO *cum Muſis & Poëta, ſeu viro Poëtices cultore, emblema Sarcophagi marmorei.*

CONſortio Apollinis cum Muſis nil frequentius in antiquis ſculpturis; nam ipſis praeeſt, eorumque Μουσαγέτης paſſim apud veteres Poëtas & Scriptores laudatur. Inter naturae ludentis in diſcoloribus lapidibus miracula memoratur gemma Pyrrhi illius, qui adverſus Romanos bellum geſſit. Nam (Plinio auctore Lib. XXXVII. Cap. II.) *habuiſſe traditur Achaten, in qua novem Muſae, & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturae ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſigna.* In hoc Sarcophago, ut & in altero, qui exſtat in Coemeterio Piſano, non novem,

ſed

ſed octo tantum Muſae ſculptae ſunt, quarum inſignia edax tempus paene in omnibus delevit. Sed loco nonae Muſae ſculptus cernitur vir pallio & tunica amictus, qui facile ſculptus eſt, ut referat Defunctum Poëſi addictum, vel etiam Poëtam fuiſſe. Is prope aram ſacro igne calentem adſtat, & Apollinem reſpicit. Hic quoque Poëta ſtat in medio duarum Muſarum, quarum una perſonam comicam ſiniſtra manu; altera vero tragicam, & dextera clavam geſtat; quamquam haec adtributa, temporis iniuria, corrupta valde ſint. Hinc colligimus ſepulcrum hoc condendo corpori alicuius Poëtae ſeu Comici, ſeu Tragici, vel potius egregii Muſarum cultoris, exſtructum fuiſſe. Occurrunt non raro in ſepulcris ſculpti Poëtae & Philoſophi utraque manu volumen tenentes, cum voluminibus ad pedes in theca reconditis, quorum ſepulcrorum ornamenta ſunt perſonae ſcaenicae. Horum exempla non pauca exſtant in Sarcophagis Piſani Coemeterii num. IV. VII. XI. & XII. apud Ioſephum Martinium, qui has inſignes ſculpturas mutilas, & foedatas data opera produxit. Pervulgatum erat priſcis fabulis, fidium cantu non paucos ab inferis eductos fuiſſe, & muſices ope vitales luminis auras multos iterum frui potuiſſe: quapropter in ſepulcris (ut videre etiam eſt apud Sponium in Miſcellaneis eruditae Antiquitatis) tam frequenter Muſas inſculptas crediderim; ſed hae merae ingenii coniecturae doctiorum hominum aequum iudicium ſubeant. Frequenter etiam in ſepulcris tum Etruſcorum, tum Romanorum, imagines Defunctorum & idola expreſſa ſpectantur, quae monſtroſis animalibus marinis delata ad Elyſiorum, ut credebant, beata loca, muſicis inſtrumentis, tibiis, citharisque canunt, & carmina etiam modulantur. Quemadmodum enim varia fuere hominum dum viverent ſtudia; ea poſt mortem, defunctorum animas in Ely-

ſiis

ſiis colere ac ſervare crediderunt. Illud etiam, ut eruditi homines expendant, proponendum ſupereſt; num haec imago palliati & barbati hominis, ſtantis in ipſo Apollinis & Muſarum choro prope aram ignitam, referre poſſit Linum Poëtam praeſtantiſſimum, qui in monte Helicone prope lucum Muſarum ſtatuam obtinuit, cui quotannis, antequam Muſis ſacra fierent, parentabant, teſte Pauſania, Lib. IX. qui ita ſcribit: *Eſt illi proxima Lini ſtatua in parvo ſaxo, ad inſtar ſpeluncae excavato: huic parentant quotannis antequam Muſis ſacra faciant.* Petitur hinc probabilis coniectura cur in Muſarum choro expreſſo in ſepulcris, eius ſtatua ſculpta ſit; ſed priori coniecturae lubentius adquieſco.

TAB. XVIIII. *Bacchi, domitis Indis, triumphus, emblema marmorei Sarcophagi.*

PRaeſtantium Sculptorum antiquorum opera iniuria temporum labefactata & corrupta, non ſine moleſtia ſpectari poſsunt ab his qui eruditae Vetuſtatis ſtudia diligunt & impenſe colunt. Si integrum ad nos pervenisſet hoc ſepulcri marmorei anaglyphum nil pulcrius, nil elegantius cerni poſset. Quod vero tam foede tum hoc, tum alia ſepulcrorum emblemata peſſumdata ſint, adſcribendum ſuperbiae & luxui maiorum noſtrorum, qui ea pro vaſculis ad aquas e fontibus manantes colligendas in Hortis uſi ſunt; quae ſero nimis in Muſea conſilio doctorum hominum migrarunt. Haec adnotare volui, ne cui mirum ſit, me interdum has antiqui operis ſculpturas mutilas, & deformatas adferre.

Exhibetur in hoc ſepulcro Bacchi triumphus devictis profligatiſque Indis, quorum Reges manibus

post

post terga revinctis, eius pompam praecedunt. Bacchi comites sunt Musae & Hercules, & Bacchae, quae musicis instrumentis perstrepunt. Baccho in curru stanti adstat Victoria expansis alis; currum vero Centauri mas & femina vehunt. Sed hic typus, quum inferius in duobus anaglyphis occurrat, alia nonnulla, quae heic sculpturae vitio adnotare non possumus, mox observabimus.

TAB. XX. IVLII CAESARIS *nex nunciata, eiusque vestis in Capitolio coniuratis ostensa, marmorei antiqui anaglyphi emblema.*

DVo exstant in regio Magni Ducis Etruriae Museo antiqua anaglypha marmorea, quae raritate, & monumentis ad illustranda commentaria de IVLII CAESARIS nece, quae hactenus in universo Antiquitatis penu desiderata sunt, plane singularibus, pretio suo rariora cimelia vincunt. Haec iam multis ab hinc annis quum delineanda aerique incidenda curassem, ad non paucos amicos misi; novissime vero Parisios transmissa sunt, & puto iam a docto viro, qui rerum ab Iulio Caesare gestarum Historiam parabat, edita fuisse.

In priore igitur anaglypho adlato in Tab. XX. duobus viris sedentibus duo infimae sortis homines, ut eorum vestis declarat, togam Iulii Caesaris sanguine respersam ostendunt; adstantibus ad latus sedentium duobus adparitoribus. Sed quo modo Iulius Caesar vulneribus percussus sit in Senatu, qui edictus fuerat Eidibus Martiis in Pompeii Curia, in quam Marcus Antonius Consul, & Magister Equitum Lepidus convenerant cum eodem Iulio Caesare, audiendum ex Suetonio in eius vi-

ta c. 82. *Adsidentem conspirati specie officii circumstiterunt : illicoque Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propius adcessit : renuentique, & gestu in aliud tempus differenti, ab utroque humero* TOGAM *adprehendit : deinde clamantem*, ista quidem vis est, *alter e Cassiis adversum vulnerat paullum infra iugulum. Caesar Cassii brachium adreptum graphio traiecit : conatusque prosilire, alio vulnere tardatus est. Vtque animadvertit undique strictis pugionibus peti*, TOGA *caput obvolvit : simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus & viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito.* Plutarchus signum adoriundi Caesarem coniuratis datum fuisse memorat, togam eius ambabus manibus detractam a collo, quod fecit Tullius Cimber. Sculptor in hoc anaglypho expressit indicium caedis nempe togam Caesaris ab eo detractam; non autem quod is post mortem eam ostenderit sanguine respersam. Nam, Caesare interfecto, Senatus confestim e Curia fugiens, urbem tumultu & ingenti terrore implevit. Coniurati vero ex Curia Capitolium petiere, auctore Plutarcho, & populum ad libertatem vocarunt; quare his potius, non vero Senatui seu Consulibus, ostensam togam eius necis indicem crediderim. Coniurationis autem principes constat veterum Scriptorum numorumque auctoritate fuisse D. Brutum, C. Cassium, & P. Servilium, & facile hi duo in marmore sculpti sunt.

TAB.

TAB. XXI. IVLIO CAESARE *interemto, recitatum eius teſtamentum repraeſentat marmoreum antiquum anaglyphum.*

ALterum marmoreum antiquum anaglyphum exhibet delationem, ac recitationem teſtamenti Caeſaris: de qua haec laudatus Suetonius c. 83. *Poſtulante ergo L. Piſone ſocero, teſtamentum eius aperitur: recitatur in Antonii domo, quod Eidibus Septembribus proximis in Labicano ſuo fecerat, demandaveratque Virgini Veſtali maximae. Q. Tubero tradit, heredem ab eo ſcribi ſolitum ex conſulatu ipſius primo, uſque ad initium civilis belli, Cn. Pompeium: idque militibus pro concione recitatum. Sed noviſſimo teſtamento tres inſtituit heredes ſororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante reliquo: in ima cera C. Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit: pluresque percuſſorum in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominavit: D. Brutum etiam in ſecundis heredibus. Populo hortos circa Tiberim publice, & viritim trecentos ſeſtertios, legavit.* Ex his colligimus Caeſaris teſtamentum, quod duo Senatus adparitores adferunt, alio comitante, fuiſſe in tabulis pugillaribus cera oblitis ſcriptum, quas referre videtur hoc ſchema. Sed ornamenta illa ſuſpenſa, ac pendentia e tigillo, nempe ſtolae, & pulvinaria, indicant in aliqua ſacra aede, ſive in eius parte aliqua teſtamentum lectum fuiſſe. In biſellio ſedent Virgo Veſtalis Maxima dextrorſum; ſiniſtrorum vero, ni fallor, ipſe M. Antonius Conſul, prope quem adſtat eius ſervus: & hinc clarius elucet quae fuerint tum adparitorum, tum ſervorum veſtes. Poſt biſellium adſtat prope Veſtalem Maximam, cuius crines ſoluti ſunt, femina quaedam collectis in tricas

crinibus, quam eius ancillam esse subspicor. Monumenta haec perinsigna antiqui operis alii accuratius expendent: hunc autem dumtaxat meorum laborum fructum ac laudem, qui ineditas has vetustatis delicias profero, mihi contingere opto, & si consequar gratulabor.

TAB. XXII. *Marmoreum anaglyphum, in quo Imperatoris Caesaris sacrum in honorem Deae Romae, exhibetur.*

PRopius spectanti mihi anaglyphum hoc pereximium, in imagine Imperatoris Caesaris, qui reducta in caput chlamyde, velatus & laureatus sacrificat ad aram sacro igne accensam, conversus ad Romam, quae sedens hastam tenet, denudata, ut in aliis antiquis monumentis, atque etiam in numis observatum est, dextra pectoris mamilla, sublucet quammaxime effigies Commodi Imperatoris. Neque improbabilis est haec coniectura: nam cum Scriptoribus antiquis concordant numismata, quae Commodum exhibent velato capite sacra facientem Herculi, quum Vrbem Romam novam *Coloniam Commodianam* esset facturus. In numis etiam idem Commodus expressus cernitur, quasi alter Hercules, habitu deducentis coloniam, agens boves, & aratrum in ea designanda ducens: quae nova deductio contigit, ut ad numismata maxima Medicei Musei observabam Tab. XLVII. num. I. pag. 189. Tribunicia eius Potestate decima octava, Consulatu septimo, nimirum anno ab Vrbe condita DCCCCXLV. Christi CXCII. Hanc probavit pronus in adulationem Senatus, uti Lampridius memorat: *Et eo quidem tempore, quo ad Senatum retulit de* COMMODIANA

NA *facienda* ROMA, *non solum Senatus hoc lubenter accepit per irrisionem (quantum intelligitur) sed etiam se ipsum* Commodianum *vocavit*, Commodum Herculem, *& Deum adpellans.* Sus foeta auspicata victima, ut mactetur, adducitur: adstant laureis coronis redimiti militares viri, quorum duo sacrificalia vascula alter simpuvium, alter vero thurariam acerram gestant. Altera Dea, quae ex adverso spectatur insidens clypeo, in quo Gorgonis caput insculptum, forte Virtus est, quae eodem aut simili habitu, imagini Romae iungi solet, de quibus alibi disserui in Observationibus ad Numismata maxima Cimeliarchii Medicei.

SARCOPHAGI ANTIQVI

ADLATI IN SEQVENTIBVS TABVLIS XI.

FLORENTIAE EXSTANT

SIVE IN MVSEIS SIVE IN AEDIBVS SIVE IN HORTIS.

TAB. XXIII. *Adonidis, invita ac moerente Venere, fatalis profectio ad apri venationem.*

QVum observarem eburneas insignes Tabulas, sive Diptycha Amplissimi Doctissimique Cardinalis Bibliothecarii Angeli Mariae Quirini, quae Vaticanae Bibliothecae dono dedit, & familiari ad eum epistola declararem, quid de his sculpturis sentirem, profecto nil tale cogitans, quod ea pervulgari deberet, ut exemplis confirmarem in altera ex his Tabulis sculptum esse cum Venere Adonidem, adeoque eorum nuptias caelatas esse, ad hunc Sarcophagum, qui exstat Florentiae in Hortis Palatii Ma-

Magni Ducis Etruriae prope aedem & Coenobium Divi Marci, intendi digitum, & ad alterum, quem mox producam. Frequenter haec fabula occurrit, atque emblema est sepulcrorum, quibus usi sunt Romani ac maiores nostri Ethnicae superstitioni addicti. In Diptychis tabulis Quirinianis Venus & Adonis stant: Dea cultu vestium sponsa exhibetur, cui Cupido accensa face, & in eam versa, adblanditur: in sepulcris vero Venus sedens (nam sedentes mortuis parentabant veteres) exprimitur, non ridens, sed moerore tabescens, & circa eam ludit Cupido, vel, ut in alia Sarcophagi sculptura, duo. Luget etiam Adonis a Venere discedens, cohibitus ab invitis Parcis, quarum una prope eum sculpta est, quasi suadens ne eat. His thematibus antiqui humanae vitae vicissitudines ostendere voluerunt; quare non raro Genii in sepulcris anni quatuor Tempestates referentes sculpti observantur, de quibus ea omnia quae adnotari poterant, prae ceteris Vir Celeberrimus ac Doctissimus amicus meus Praesul Ioannes Bottarius Florentinus, Vaticanae Bibliothecae Praefectus in Sculpturas & Picturas veterum Coemeteriorum Christianorum enucleatius expendit. Mortis symbolum hiemem esse veteres putarunt. Qua vero de causa, & e quibus Theologiae fontibus veteres Romani eruerint huiusmodi Veneris & Adonidis fabulam ad vim mortis & fati necessitatem declarandam, ex Macrobio, ut scripseram, colligendum est, quo auspice perspicue hoc emblema illustratur, explicaturque. Haec igitur scribit Saturnal. Lib. I. Cap. XXI. ADONIN *quoque Solem esse non dubitabitur, inspecta religione Assyriorum, apud quos* VENERIS *Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phoenices tenent; nam Phisici terrae superius hemisphaerium, cuius partem incolimus, Veneris adpellatione coluerunt: inferius vero hemisphaerium terrae Proserpinam vocaverunt:*

er-

ergo apud Assyrios sive Phoenicas lugens inducitur Dea: quod Sol annuo gressu per duodecim Signorum ordinem pergens, partem quoque hemisphaeri inferioris ingreditur; quia de duodecim Signis Zodiaci sex superiora, sex inferiora censentur: & quum est in inferioribus & ideo dies breviores facit, lugere creditur Dea, tamquam sole RAPTV MORTIS *temporalis amisso, a Proserpina retento; quam Numen terrae inferioris circuli & antipodum diximus: rursumque Adonin redditum Veneri credi volunt, quum Sol, evictis sex Signis inferioris ordinis, incipit nostri circuli lustrare hemisphaerium cum incremento luminis & dierum. Ab apro autem tradunt interemtum Adonin, hiemis imaginem in hoc animali fingentes; quod aper hispidus & asper gaudet locis humidis & lutosis pruinaque contectis, proprieque hiemali fructu pascitur glande. Ergo hiems veluti vulnus est Solis, quae & lucem eius minuit & calorem; quod utrumque animantibus adcidit* MORTE. Nil hac explicatione Macrobiana apertius, nil ad emblemata haec Sepulcrorum elucidanda adcommodatius inveniri potest. Alia mox adferam, quae adnotari possunt. Interim dum haec monumenta auctoritate veterum Scriptorum explicamus, audacem illam, ac minime aequam censuram a nonnullis illatam censendam esse arbitramur, qui, quum ipsi coecutiant, scribere non dubitarunt, Antiquarios ambigua & dubia pro certis strenue venditare.

Huc pertinet elegans antiquum epitaphium, quod nuper inventum summa ad me cum humanitate misit Celsissimus ac Reverendissimus Princeps D. Ioseph Maria ex Comitibus THVN, Serenissimae Invictissimaeque THERESIAE Reginae Hungariae & Bohemiae ad Pontificem Maximum Ablegatus. Nam in eo Terrae, quae sinu suo Defunctorum cineres suscipit & amplectitur, & puellae defunctae mores, aetas, indoles & laudes continentur;

& id

& illud quod ſuperius adnotabam elucet, pueros puellaſque aetate florentes creditas a Diis rapi, urgente ac ſaeviente Fati neceſſitate. Ita igitur ſe habet:

INVIDA · SORS · FATI · RAPVISTI · VTILEM
SANCTAM · PVELLAM · BIS · QVINOS · ANNOS
NEC · PATRIS · AC · MATRIS · ES · MISERATA · PRECES
ACCEPTA · ET · CARA · SVEIS · MORTVA · HIC · SITA · SVM
CINIS · SVM · CINIS · TERRA · EST · TERRA · DEA · EST ·
ERGO · EGO · MORTVA · NON · SVM

TAB. XXIV. *Meleager ab apro Calydonio occiſus: item Militaris viri ſacrificium, emblemata duo marmorei Sarcophagi.*

SArcophagus iſte marmoreus mole ac magnitudine ſua omnium maximus, qui olim apud Valorios, mox apud Ioannem Gualbertum Guicciardinum, Patricii generis viros, exſtabat, poſt huius mortem migravit in Muſeum Excellentiſſimi Marchionis Caroli Renuccinii. Cenſent Antiquarii noſtri inter patria Florentinorum Colonorum monumenta numerandum eſſe; quod arguunt ex eius magnitudine ac mole; non enim credibile eis videtur, aliunde eſſe advectum. Sculptura pulcherrima eſt; licet rudis adpareat ex oſcitantia Calchographi; cui, quum in carcere aliquantulum obſcura detineretur, aeri incidendum dedi, ne fame periret.

Latera eiuſdem Sarcophagi ſculpturis ornata ſunt, quae cum duobus emblematis, queis frons ornatur, conveniunt. Nam in dextero latere vir togatus,

tus, volumen dextera gerens, ad ſacrificandum procedit, ſequente popa ſeu victimario, qui taurum, Iovi forſitan in Capitolio mactandum, adducit, & ſecuriculam gerit. Taurus, inſigne Iovis & indicium eius nominis *Delta* Graecum, inter cornua gerit, eoque ſymbolo ornatur. In anteriore Sarcophagi facie ſacrum peragitur, caeſo tauro, ſupra quem vir militari cultu conſpicuus, nudo capite, pateram effundit, adſtantibus aliquot viris, & feminis velato capite.

In ſiniſtro Sarcophagi latere Meleager expreſſus eſt, fugientem aprum Calydonium inſequens. Nota fabula eſt ex antiquis Mythologis. In anteriore laeva fronte eiusdem Sarcophagi Meleager repraeſentatur ſemianimis, iacens, letali vulnere adpetitus ab apro, quem quidem ipſe demum occidit. Meleagrum, pro patriorum agrorum incolumitate & civium ſalute ſtrenue pugnantem complures Heroes comitati ſunt, quos Hyginus Fab. CLXXIII. enumerat. Inter hos fuere Caſtores, qui equis inſidentes, ut in hoc emblemate videre eſt, pugnant; reliqui vero Heroes ſaxa in immanem belluam iaculant. Vir ille, qui adcedit, forſitan eſt Meleagri parens, inevitabile filii ſui Meleagri fatum lamentationibus proſequens. Ferale hoc ſepulcrorum emblema primum Etruſci in ſuis Vrnis exhibuerunt, ut Mortis & Fati malignam vim, imperium, & ineluctabile arbitrium deſignarent, ut in Diſſertatione III. Tom. III. Muſei Etruſci oſtendi.

Tab. XXV. & XXVI. *Proserpina rapta a Plutone, emblema duorum e marmore Sarcophagorum.*

FRequens est Sepulcrorum emblema Pluto rapiens Proserpinam, quam curru quadriiugo vectam ad infera regna perducit. Eo etiam usi sunt non solum antiqui Romani, verum etiam ante eos Etrusci, a quibus probabile videtur eos accepisse. Bonarrotius in Numismata maxima Musei Carpinei pag. 58. adhibitum hoc emblema censet, ut ornaret Sepulcra eorum, qui aut Sacerdotes erant, aut initiati sacris Eleusiniis; sive, ut his thematis tempestatum, & humanae vitae vicissitudines designarent. Occurrit etiam haec Fabula caelata in gemmis, & in numis: quam, quum Antiquarii praeclarissimi Spanhemius, Vaillantius, Seguinus, Begerus, Bonarrotius, aliique, ac praesertim Hieronymus Aleander iunior in explicatione Tabulae Heliacae, luculentis observationibus egregie illustrarint, haud opus est ut aliorum eruditam gazam huc adveham, inutili prorsus labore. Nonnulla & ego ad Numismata maxima regii Musei Medicei, quae hunc ipsum typum exhibent, & ad Musei Etrusci monumenta Tom. II. pag. 108. adnotavi. Narrant veteres Mythologi, atque inter hos Hyginus Tab. CXLVI. Proserpinam tunc raptam a Plutone, quum in monte Aetna, qui est in Sicilia, flores cum Venere & Diana & Minerva legeret. Genias alatas in utroque huius Sepulcri angulo, quod in aedibus Nobilium Michelottiorum adservatur, effinxit solers Sculptor, quae flores ac fructus in sinu vestis collectos offerunt, quasi Proserpinae socias, vel potius comites animae Defuncti, cuius corpus in hoc elegan-

gantiſſimi operis Sarçophago ſervabatur. In dextro latere ſculpſit prope Orci limen Mercurium deducentem ad inferos Defuncti umbram, quam veſtibus circumvolutam expreſſit: in ſiniſtro vero Herculem, qui eam ab inferis evocat; quare eius caput veſte obnuptum detegere ſe ſimulat.

Sed ut ad anteriorem Sepulcri faciem revertar, Ceres primum occurrit ſtans in curru, quem trahunt immanes dracones, quos in altero Sarcophago alatos cernimus; de quibus eximius Bonarrotius loco ſuperius memorato erudite diſſeruit. Ceres igne micantem lampadem laeva gerit; quia noctu amiſſam filiam Proſerpinam inveſtigavit. Sub curru ſubque ſinuatis in ſpiras draconibus reclinatus iacet Genius, quo loca, per quae Ceres tranſiit, declarantur. Circa aram ſacro igne ſuccenſam, valde tamen humilem, qualis in defunctorum honorem erigi ſolebat, adſtant tres feminae, quae Proſerpinae ſunt comites, ſeu potius Parcas referunt; quarum altera doloris indicia edit, elato brachio dextro; altera vero cohibere nititur Minervam currentem, & ſequentem Plutonis raptoris currum. Per aëra volitat nuptiarum conciliator & praeſes Genius, ſeu verius Cupido; qua de re conſulendus Claudianus, qui de raptu Proſerpinae multa adfert, quae ad illuſtrandum hoc emblema valde opportuna ſunt, quae brevitati conſulens, praetereo. Iacet ſub equis ociſſime currentibus femina toto corpore veſte contecta, copiae cornu ſiniſtra gerens, elata dextra opem expoſcens, quae Tellurem deſignat. Praeit Sponſorum currum Mercurius, animarum quaeſtor, & ad infera regna ductor, qui & iter iisdem monſtrat.

In altero Sarcophago marmoreo operis elegantia pereximio Tab. XXVI., qui in aedibus Nobilium Oricellariorum ad Carrariae pontem adſervatur, Cereris Genia currum moderatur: facem vero accenſam non

 ipſa

ipſa Ceres, ſed Genii, dracones alatos praecedentes, gerunt. Duae feminae Proſerpinae comites, quae cum ea flores legebant, opitulante Genio, qui vaſculum floribus implet, terrore perculſae, moerenteſque ob amiſſam ſociam ſculptae ſunt. Alii Genii ante & poſt currum Plutonis nuptae eidem Proſerpinae famulantur. Sed illud notatu dignum, quod currus Plutonis opprimit oſcillum ſive larvam, quae Defuncti imago eſt. Non ſolum heic Mercurius, verum & Minerva currum praecedunt, &, ut probabile videtur, eadem Dea obviam occurrens, iter ſe impedire ſimulat. Circa pedes Mercurii ſculptus Cerberus, ac non longe femina, quae forſitan flumen Lethes exprimit. Per aëra ſuſpenſus ſedet Iupiter, in hoc marmore iniuria temporis corruptus; quia ut ſcribit Hyginus: *Poſtea Ceres ab Iove impetravit, ut dimidia parte anni apud ſe, dimidia apud Plutonem eſſet:* quae mythica hiſtoria antiquis Ethnicis aptiſſima viſa eſt, ut non ſolum humanae vitae alternas vices, quas frumentum terrae mandatum ſubit, in Cerere ac Proſerpina deſignarent; verum etiam ut umbrarum defunctorum tranſitum ad Orcum, & animarum ad ſidera deductionem exprimerent, & imperitum vulgus his ſymbolis animarum immortalitatem intelligeret.

TAB. XXVII. XXVIII. XXIX. *Bacchus curru vectus, comitante ſuo famulitio, emblema antiquorum Sepulcrorum.*

EA fuit antiquorum, ſtulta quidem ac ſuperſtitionis plena, opinio, ſacris Deorum myſteriis Magnae Deûm Matris, Cereris & Liberi Patris initiatos homines, qui dum viverent his ſacris ſe a culpis expiarunt, poſt mortem fore optatae beatitu-

tudinis compotes, & a cruciatibus ac ſuppliciis in Orco ſubeundis eſſe omnino immunes; de qua opinione in Tomo II. mei Muſei Etruſci, atque etiam in Tomo III. complura adtuli documenta. Frequenter igitur in Sepulcris Bacchi Orgia exhibentur. Quin etiam Bacchum Inferos adiiſſe, & complures Defunctorum animas evocaſſe, & in priſtinam vitam adduxiſſe traditum eſt: quod apud antiquos Scriptores, praecipue vero apud Diodorum Siculum, me legere aliquando memini.

Huius evocationis exemplum exhibet marmoreus Sarcophagus, qui exſtat in meo Muſeo, quem adfero in Tab. XXVII. Sculpturae huiuſce non valde exquiſitae, elegantis tamen, opificium aetatem Antoninorum redolere videtur. In dextra parte cernitur curru vectus a Centauris Bacchus, velato corpore hinnuleis exuviis; capite vero ornato pampinis uviſque, ſiniſtra cantharum gerens, qui ſecum in curru ſtantem ducit hominem barbatum, & palliatum, qui dextra vannum pectori admotam gerere videtur. Hunc referre arbitror ipſum Defunctum Bacchi ſacris purgatum luſtratumque, eiuſque ope ac praeſidio ab Inferis evocatum; nam Orci oſtium in marmore hac de cauſa ſculptum cernitur, eumque, eodem Deo auſpice, non ſolum beatitudinem, ſed divinitatem quoque, ut Ethnici opinabantur, iam conſecutum. Iuxta currum plaudit Baccha, quae Liberi Patris cultorem reſpiciens, crupetiis perſtrepit. Centauri duo currum trahunt, quorum unus a dextris lyrae fidibus canit, ac ſub ſe laſcivum Satyrum iacentem habet; alter vero clypeum utraque manu tenet, & adtollit, in quo Defuncti protoma primis tantum rudibus lineamentis inchoata eſt, non vero perfecta. Id eam opinionem me confirmat, quod antiqui Sepulcra ſibi viventes pararent, emerentque in officinis Sculptorum, & poſtremo ef-

figiem

figiem ſuam alia aetate, quae morti magis obnoxia credebatur, inſculpendam mandaſſe. Sub clypeo cum Defuncti imagine ſculptae ſunt tres perſonae hianti ore, hominis tres aetates referentes: quarum ea, quae in medio eſt, valde elegans, hederis pampiniſque redimita cernitur: altera laevorſum ſculpta Faunum; altera vero Silenum repraeſentat.

In laeva Sarcophagi fronte Bacchus toto corpore nudus, chlamyde tantum poſt humeros defluente, Ampelum, quem valde dilexit, ſtans in curru, dextraque cantharum gerens, amplectitur, ac ſecum ducit. Currum duo pariter diverſae aetatis Centauri trahunt, quorum unus, ut ſe iam bene potum oſtendat, vinum e poculo, nempe e cornu in amphoram infundit; nam ex amphoris in cyathos & in pocula vinum infundì ſolebat; heic autem e contra. Sub hoc, laſcivientis aetatis ſymbolo, Satyri perſona ore immaniter hianti expreſſa eſt. Bacchi pompam comitatur Baccha, quae toto corpore nuda tibiis canit.

In marmoreo anaglypho, quod frontem Sarcophagi fuiſſe apparet, adlato in Tab. XXVIII. ex Muſeo Cerretanio, habemus non ita obvium arcumae, ſive arcimae exemplum, genus nempe plauſtri modici, quo ſolus homo geſtari poterat, auctore Feſto. In hac iacet Bacchus ebrius, qui muliebri ſpecie repraeſentatur, qui capiti ſuo dextram manum admovet, uti laborantes gravedine, ac morbo adfecti homines facere ſolent; quapropter eum ſuſtinet femina e ſuo choro ac famulitio, quae altera manu micantem facem ſuſtinet. Arcuma ad optatum locum delata, ut conſitit, inumbratur pampinis, & uvarum racemis, quia Bacchi ΣΚΙΑΝΘΙου, cuius cognomen pervulgatum eſt a me Par. I. pag. 3. ea plane omnium maxime dulcis voluptas eſt frui vitis, quae ei ſacra eſt, frigida umbra: & fortaſſis ea femina, quae prope eum adſtat, flabellum agitabat, quod

ad-

adfirmare non possumus, fracta, iniuria temporis, in hoc eleganti marmore eius manu. Ab arcuma, sive arcima, licet nomine adfinis, differebat arcera, de qua Gellius ex Phavorino Noct. Attic. Lib. XX. Cap. I. Erat enim plostrum undique tectum & munitum, quasi arca, qua nimis aegri, & senes portari solebant. Sculptor Bacchum quasi iacentem in arcuma sculpsit; quia apud rusticos hoc vehiculi genus in festis in honorem Cereris, Saturni, & Liberi Patris adhiberi solebat, de quo Pyrrhus Ligorius & Ioannes Schefferus Cap. XIV. in Diatriba de Vehiculis antiquorum. Arcumam tandem trahunt pantherae, animalia Baccho sacra; haec vero agitat eiusdem Bacchi Genius, qui interim fidibus canens Bacchum demulcet, & forsitan somnum ei conciliat. Iam alibi non semel adnotavi singulis Diis Genios famulos adsignasse veteres. Vehiculum, & pompam Dionysiacam praeit Satyrus subsultans, qui thyrsum in humeris suspensum gerit; eumque sequitur altera Baccha pectore tenus nuda, facem elatam gerens.

Sequuntur in eadem Tabula XVIII. num. II. & III. alia duo monumenta, nempe Vrna Cineraria Etruscis litteris inscripta, quae inter monumenta symbolica a me numeratur; nam in medio ostium pro emblemate sculptum habet, quod sepulcrum ipsum, vel Ditis aut Orci ianuam designat. In sacris quoque Litteris Mortis, & Inferni portas descriptas legimus. Adcedit ex aere alterum Etruscum monumentum prope Lucinianum effossum, cuius usus adhuc incompertus est; quare a me eo consilio adfertur, ut doctorum hominum opiniones explorem, inter quos aliqui inter militaria antiquorum Etruscorum arma recensendum esse existimant; alii vero inter sacra, quibus animalium viscera circumvoluta ab Haruspicibus melius & accuratius ex-

spi-

ſpici poſſent. In extrema parte tubus capax haſtae eſt, in quo infigi poſset. De hoc interim nihil ſtatuo, donec meliora alii proferant.

Nunc me Cerretanium Muſeum ad alia properantem aliquantulum moratur, ut egregios viros, qui illud marmoreis ſignis, antiquis inſcriptionibus, urnis cinerariis, anaglyphis, monumentiſque antiquorum Aegyptiorum inſtruxerunt, merita laude proſequar. Primus huiuſce Muſei conditor fuit V. C. Ioannes Baptiſta Cerretanius, Eques D. Stephani, Iuriſconſultus, Senator, & Patricius Florentinus, qui quum Vetuſtatis eruditionem & elegantiores Muſas coleret, omnes priſci aevi elegantias, quibus Muſeum refertum eſt, & Cimeliothecam antiquis gemmis inſcalptis ſibi comparavit inſtruxitque. Praeterea is primus omnium Florentiae eximium Gazophylacium ſibi paravit refertum Florenis aureis Reipublicae Florentinae omnibuſque monetis ab eius initio, quo pecuniam tum auream tum argenteam cum ſuis inſignibus per Monetarios nobiles viros cudit: praeterea pulcherrimam hanc & perutilem collectionem ad Principes uſque omnes Mediceae Auguſtae Domus perduxit. Neque intra hos cancellos conſtitit eius erudita cura, ſed & omnium Italiae atque Europae tum Rerumpublicarum, tum Regum Principumque monetas ex auro & argento diligenti ſtudio, ac magnis ſumtibus ſibi undique conquiſivit. Rariſſimas etiam Summorum Pontificum monetas ex auro & argento, quotquot invenire potuit praecipua ſerie collegit.

Antiquitates haſce omnes huc illuc vagantes, poſtmodum coadunavit, & in nobiliore domus conclavi exſtructa aula ordine diſpoſuit Auguſtinus Maria Cerretanius Canonicus Florentinus, Senatoris Ioannis Baptiſtae germanus frater, qui & ipſe haec ſtudia plurimi faciebat. Ipſe igitur, normam, & exemplar praebente Alexandro Galilaeio, nobili ac cele-

le-

lebri Architecto Florentino, Musei aulam plasticis operibus, picturis omnibusque ornamentis a se exstructam eleganter nobilitavit. Praeterea marmorea signa, anaglypha, protomas, inscripta monumenta perpulcro ordine in eo conlocavit. Monetas praesertim rariores omnium fere Europae Principum ad haec usque tempora continuata serie mira solertia ac labore auxit, perduxit. Fornicem Musei egregiis picturis ornandum curavit ab eximio Pictore Florentino Vincentio Meuccio, in quo, praeter insignem Historiam, quam continet, illustres etiam sanctitate ac pietate Viros, qui e nobilissima Cerretaniorum gente prodiere, pingendos curavit. Idem paucis ante quam e vita migraret diebus, me rogavit, ut de hoc opere mentionem facerem, & se mihi dono daturum promisit eburneam Tabulam anaglypho sacro sculptam, quam nuper neglectam in Villa sua Luciniana invenerat. Eam mihi mox dono dedit, & memoriam hanc humanissimam mei in eum officii & benevolentiae testem, probavit Vir Nobilissimus Philippus Cerretanius eius germanus frater, Senator Amplissimus, qui eiusdem optimi fratris sui fato functi supremam voluntatem in omnibus accurate implevit. Is quoque non parvo labore Monetas omnes accurato ordine in suis Cimeliis disposuit, quum, me ad eam perlustrandam adcito, valde perturbatas invenisset. Eruditam hanc curam post Ioannem Baptistam Cerretanium Senatorem, & Augustinum Mariam Canonicum, alii Florentini hoc exemplo excitati, magnis impendiis ad Patriae decus & Historiae lucem augendam in se transtulerunt: inter quos hodie supra ceteros emicant ac praecellunt Marchio & Eques Vincentius Riccardius, Senator Florentinus, Ioannes de Podio Baldovinettus Patricius Florentinus, & Ignatius Vrsinus. Inscriptionem memoratis picturis adpositam adferre haud supersedebo, quae ita se habet:

 ALE-

ALEXANDRO III. P. M. EX SENENSIBVS DYNASTIS
OPPIDORVM CERRETI ET BANDINELLI
CONCORDIAE ET PACIS CVM FRIDERICO I. IMP.
DIE XXIV. IVLII. A. D. MCLXXVII. FOEDVS INEVNTI
AGNATO SVO HOC VINCENTII MEVCCII OPVS
AVGVSTINVS M. CERRETANIVS CANON. FLOR.
PINGENDVM CVRAVIT A. D. MDCCXLIII.

Alterum marmoreum anaglyphum, quod olim apud heredes V. C. Ioannis Nardii Medici Florentini exſtabat, nunc in Muſeo Morelliorum Patriciorum Florentinorum ſpectatur, quod in Tab. XXIX. profero, fractum eſt, adeoque minime integrum, in medio & in utroque angulo mutilum: quod vero ſculpturae ſupereſt multa nondum ab eruditis obſervata complectitur. Bacchus muliebri veſtium cultu, pendente a ſiniſtris nebride, duplici corona inſignis, nimirum diademate & laurea, quae capitis ornamenta primus omnium invenit, curru vehitur ab una tantum panthera, cui inſidet eius Genius. Fracta eſt vitio marmoris ſiniſtra eius manus, qua, ut vidimus in aliis ſculpturis, cantharum geſtare ſolet. Poſt eum adparent ex eius comitatu Bacchae, quarum altera dextrorſum prope eum graditur tropaeum, cui barbarica veſtis impoſita haſtae, gerens. Praecedunt Satyri, quorum alter, quod eſt notandum, ſubligacula induit. Media inter eos graditur Baccha, tibiis canens. In altero fragmento Barbari duo, ni fallor, Orientis Reges, quos Bacchus debellavit, feris inſident, manibus captivorum more poſt terga revinctis, & quidem alter inſidet camelo; alter vero elephanto loricato, cuius caput laurea corona, ſeu potius myrtea coronatum eſt, e collo vero eiusdem pendet tintinnabulum. De ele-

elephantis loricatis nonnulla adnotavi ad Numismata maxima regii Medicei Cimeliarchii. Hi sculpturae characteres indicant opus huiusmodi respicere sequiora post Caesares Antoninos tempora. Cum choro Baccharum, quarum altera Phallophora esse videtur, cuius imagines ex antiquis marmoribus adfert Sponius, & de his differit Pignorius in Mensam Isiacam, graditur vir pallio amictuque Philosophico indutus, quem probabile est referre Defuncti imaginem, & honoris, conlataeque divinitatis causa inter Bacchi famulos adlectum in solemni eius pompa, quam Oriente victoriis emenso egit. Praeit Hercules dextra gerens clavam, prope eius pedes adstante leone Nemeaeo, quem cohibet eiusdem Herculis Genius. Herculem praecedunt Musae, quarum una tantum superfuit in hoc marmore, quod frontem Sarcophagi exornasse minime dubium est. Resectum arietis caput quoque cernitur humi iacens, ut fortassis indicet sacrificium, quod veteres *propter viam* dixerunt; nam ab his fieri solebat in honorem Herculis aut Sanci, qui scilicet idem est Deus, teste Festo, ab his qui peregre proficiscebantur; adeoque pro reditu suo Bacchum huiusmodi sacrum instituisse forsitan sculptor declarare voluit; ni dicamus esse caput capri, adeoque, quod hoc animal vitibus noxium, peculiaris sit Bacchi victima in eius honorem immolata. Porro Bacchum in antiquis sculpturis vultu cultuque muliebri vectum in triumphali curru, adnotavit etiam Hieronymus Aleander in Heliacam Tabulam, de quo erudite differit. Musae eius chori duces, conveniunt cum hoc Deo, quem Poëtae Musarum doctorem faciunt, & *Melpomenem* Athenienses adpellarunt, auctore Pausania.

TAB. XXX. *Genii Bacchi Orgia celebrantes, emblema marmorei Sarcophagi.*

GEnios ſingulis Diis famulos veteres tribuiſſe, nemo eſt qui neſciat. His ea arma & ſymbola adſignarunt, quae Deorum, quibus ſerviunt propria ſunt. Ea etiam frequenter agunt, quae ipſis Diis grata ſunt, ludos nempe, feſta, caerimonias, ſacra. Mercuriales Genios exhibui in parergis additis in ornamentum operis mei Monumenti ſive Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae. Genios Vulcanales nobis proponit Sarcophagus in Aedibus Nobilium Baronum del Nero Patriciorum Florentinorum, quem protuli in Parte I. huius Operis pag. XIII. & alibi. In hoc enim Genii in officina arma cudunt, & abſolutum eleganti opificio clypeum cum Genii imagine adtollunt & dedicant. Adcedit etiam anaglyphum marmoreum cum adſimili emblemate, quod in ſequenti Tabula XXXI. n. 1. nunc primum mea cura in lucem prodit.

Bacchi Genios nunc primum propono, ſculptos in Sarcophago marmoreo elegantiſſimo, qui in Aedibus Marchionum Riccardiorum adſervatur. Hi domini ſui Bacchi Orgia celebrant, vel potius Bacchicam pompam agunt. Primum occurrit Genius, qui caprum gratam Baccho victimam, vitibus noxiam, ad aram, adprehenſis cornibus, adducit, ut immolet. Poſt hunc cernitur Genius Canephorus, ea ſacra ferens, quae Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. I. deſcribit. Alter Genius ardentem facem in humeris ſiniſtra geſtat; manu vero laeva myſticam ciſtam. Ad pedes eius lepuſculus uvarum cupidiſſimus ſculptus eſt. Praeit Genius capite lanea tenui corona redimito, qui tibiis canit. In

me-

medio Sarcophagi ſtat Genius chlamydatus, qui lyram pulſat, & canere videtur. Hic principem tenet locum, & forſitan ſculptoris conſilium fuit in eo Defuncti effigiem referre; nam perfectus opificio non eſt vultus, ſed rudibus tantum lineamentis inchoatus.

In laeva Sarcophagi parte, angulum verſus, Genius haurit vinum ex epichyſi, vinario nempe vaſculo, de quo Plautus in Rudente Act. V. Sc. II. verſ. 12. quod tripodi impoſitum eſt. Hinc diſcimus quo modo in conviviis ac coenis veteres vinum e maioribus vaſculis, ſive amphoris vinariis haurire ſolerent, & ſcypho in his, quae lati oris erant, immiſſo, in cyathos illud infundere. De veterum epichyſi plura Scaliger ad Varronem. Haec igitur vaſcula, uti etiam amphorae, quia apodes, & futiles erant, huiuſmodi fulcris, ſive tripodibus imponebantur, ut ſuſtentarentur. Genium multo vino madentem coronatum, & ſolutam corollam e tenui lana praeferentem dextra manu, ſiniſtra vero faci inverſae incumbentem, ad cuius pedes quieſcit panthera, ſuſtinet & labentem erigit alter Genius, cuius facem necis indicem ſe nolle videre ſimulat puerulus in genu prolapſus. Ebrium Genium reſpicit alter Genius, parvum cantharum, ſive ſcyphum geſtans. Claudit agmen Genius alter, qui crupetia utraque manu quatit; & hinc quae muſica inſtrumenta in Orgiis principem locum habuerint, perſpicue colligimus.

TAB.

TAB. XXXI. I. *Genii Artifices operum*. II. *Sepulcrum ornatum imagine Defuncti & leonibus animalia sibi prosternentibus*.

QVemadmodum Artificum tituli sepulcrales interdum sculpta exhibent varia fabrilia instrumenta, quae ad eos pertinent, & ostendunt Defunctos, qui in ipsis laudantur, artes illas exercuisse; ita etiam Sepulcrorum emblemata non raro Genios Artifices repraesentant, qui docent in his eorum cineres conditos fuisse. Huius generis est anaglyphum hoc elegantissimum e marmore, quod frontem ornat ianuae in Aedibus Excellentissimi Ducis Salviati, ut aiunt, *al Corso*. Primum spectantur Genii, qui militaria arma in officina sua ex aere fabricant: alii vero thorace & galea absolutis, clypeum iam perfectum supra lapidum struem statuunt eriguntque, in quo sculpta est Pallas, quae unum ex Gigantibus prostratum hasta transfodit. Medium spatium occupant Genii qui encarpo coronant aediculam, in qua repositum est Fauni simulacrum. Sculpti quoque duo Genii cernuntur, qui ardentem facem, vitae mortalis indicem, iam collabentem erigere conantur, cuius imminens fatum & inversionem in humum, ut in funeribus fieri solebat, luget alter Genius, moerore tabescens, & in genua collapsus.

In eadem Tab. XXXI. num. II. adiectus est praegrandis Sarcophagus e marmore, qui exstat in aedibus Valoriorum, nunc Ioannis Antinorii Viri Nobilissimi. In medio inter strias in clypeo sculpta est Defuncti imago, eique subiectum cernitur emblema aratoris coloni. Hinc inde immanes leones mansua animalia prosternentes, ac sibi subiicientes, tam-

quam

quam Mortis atque eius vis & potentiae ſymbola ſculpti obſervantur.

TAB. XXXII. *Genii Bacchi, & Genii quatuor anni Tempeſtatum, emblema marmorei Sarcophagi.*

TEmporum viciſſitudines, adeoque urgentem ubique mortem deſignant Genii quatuor ſculpti in utroque latere huius Sarcophagi operoſiſſimae ſculpturae, qui exſtat in Muſeo D. D. Baronum Del Nero. In dextro Genius chlamydatus, qui dextra uvarum racemum, laeva pedum tenet, Aeſtatem deſignat; alter Genius eius ſocius calathum pomis refertum & arcum gerens, Autumunum praefigurat: in laevo autem latere Genius, qui prope pinum adſtat, anſerculum ſiniſtra oſtentans, Hiemem refert; alter vero, qui ſequitur Genius, Ver ſuis ſymbolis exprimit. Pluribus adnotandis ſuperſedeo, quum de his luculentis obſervationibus nuper diſſeruerit in Sacrorum Sarcophagorum ſculpturas Praeſul Praeclariſſimus Ioannes Bottarius, ad Tab. XLVIII.

Defuncti togati imaginem in clypeo, ſive medio orbiculo ſculptam ſuſtinent, & manu adtollunt Genii duo, qui altera manu calathos pomis refertos oſtendunt. Hinc inde alii quatuor Genii eorum comites ſpectantur; quos inter alii parvuli Genii eorum alumni ludunt inter ſe, vel panteris inequitantes Vinalia & Vertumnalia feſta concelebrant, & corollas paratas gerunt. Perſimili ingenio memorat Plinius Lib. XXXVI. Cap. V. Arceſilaum, quem magnificat Varro, feciſſe leaenam marmoream, aligeroſque cum ea ludentes Cupidines, quorum alii religatam tenerent, alii calcearent ſoccis, omnes

ex

ex uno lapide. His emblematis veteres Elyſiorum beatitatem deſignarunt, quod in his Defunctorum inſontes animae omnibus deliciis ac voluptatibus fruerentur, quas Tibullus Lib. I. Eleg. III. Homerus Odyſſeae Lib. IV. Virgilius Aeneid. Lib. VI. & alii Poëtae deſcribunt. De his etiam Plato in Gorgia conſulendus.

TAB. XXXIII. *Pierides in picas converſae, emblema marmorei Sarcophagi.*

SIngularis plane eſt typus huius Sarcophagi elegantiſſimi, qui in memorato Muſeo Nobilium Baronum Del Nero adſervatur. Nota fabula eſt ex priſcis Mythographis, atque ex Ovidio Metamorph. Lib. V. Fab. V. cuius verſus, ne longior ſim, praetereo. Pierus, qui Macedoniam poſſedit, ex Evippe uxore novem ſuſtulit filias: quarum pulchritudine & vocalitate mater ſuperba, Muſas in certamen provocare eſt auſa; eas vero Nympharum iudicio victas, Muſae indignatae, vocalitate erepta, in raucas picas convertére, divulſiſque pinnullis ex earum alis, capiti ſuo victoriae inſigne monumentum pro corona impoſuerunt. Sed Sculptori huius emblematis peritiſſimo viſum eſt non Nymphas, ſed Iovem ipſum, & eius coniugem Iunonem, & filiam Palladem certaminis iudices adfuiſſe; quapropter certamen in conſpectu eorum commiſſum expreſſit. Quae in medio ſtat Muſarum princeps Calliope, forſitan eſt, altera vero lyram plectro percutiens Clio, ſive Thalia. Pierides harum cantum adtributis ſibi iisdem muſicis inſtrumentis ſuperare contendunt; ſed fruſtra, aliis iam victis, aliis flagellis caeſis, ac proſtratis. Vela ſuſpenſa ad dignitatem potius & honorem Defuncti ſpectare crediderim.

SAR-

SARCOPHAGI ANTIQVI

ADLATI IN SEQVENTIBVS TAB. VIII.

IN SVBVRBANO AGRO FLORENTINO EXSTANT

IN REGIIS MAGNI DVCIS ETRVRIAE

ET PRIVATORVM PROCERVM VILLIS.

TAB. XXXIV. *Imperatoris pro parta victoria sacrum: devicti Barbari ad eius genua supplices: coniugalis amoris documenta, luctus in funere, & ludi gladiatorii, emblemata Sarcophagi marmorei.*

SArcophagum hunc peculiaribus emblematis insignissimum, Imperatoris Caesaris dignum ossibus, quae in eo condita fuisse subspicor, e faucibus temporis erui, quum in dies aliqua in parte corrumpatur, quod in Hortis regiae Villae ad Podium Caianum ad aquam e fonte manantem suscipiendam, iniuria quidem, fuerit destinatum. Effigies Imperatoris referre videtur Septimium Severum, ad quem captivi supplices confugiunt vel Parthi, vel Adiabeni. Post ipsum Imperatorem sculpta Victoria est, quae clypeum columellae impositum sustinet. Sequitur pro parta victoria sacrificium ab eodem Imperatore factum: postmodum adparet coniugalis amoris emblema: in dextro latere Gladiatorum, ni fallor, ludus, in funere nobilissimorum Romanorum editus: in sinistro vero luctus in obitu Defuncti celebratur, adstantibus Praeficis, quae omnia doctiores viri accuratius explicabunt, &, qui maiori otio

fruuntur, singula ad antiquitatis eruditionem spectantia luculentius dilucidabunt: mihi vero sat est haec praeclara monumenta ab oblivione, & interitu vindicare.

TAB. XXXV. Num. I. *Bacchi educatio, pompa, & Orgia.* II. *Martis & Veneris & Geniarum imagines, emblemata veterum Sepulcrorum.*

BAcchi sacra Orgia & gesta non alia de causa, ut alibi innuimus, in Sepulcris sculpenda veteres Theologi docuerunt, nisi ut ostenderent animarum a corporis vinculis solutarum in Elysiis arvis, ut stulte putabant, voluptates, quod & Lucianus non obscure declarat. Quia vero Liberum Patrem a Rhea expiatum, matrem suam, & alios ab inferis revocasse tradebant; ea propter parentalia post eius festum celebrare consueverunt.

Habes in hoc marmoreo Sarcophago, quem temporum iniuria, seu potius hominum negligentia magnopere labefactavit; (nam in eadem regia ad Caianum rus Villa sub dio expositus est, & manantem e fronte aquam suscipit) defuncti hominis Libero Patri devoti (uti coniecturis quibusdam subspicor) apotheosin, qui, una cum eius famulitio & choro, pallio involutus, tecto capite, eum sequitur capro vectum, hinc inde Satyris & Bacchis plaudentibus cum musicis instrumentis, vel pocula vino plena ferentibus. Spectatur hinc Faunus, qui puerum Bacchum ad Nymphas defert, ut ab ipso educetur; ut hinc vini eiusque potationis tria tempora distinguantur, principium, medium, finis, in quo quidem homines primum sobrii & mentis compotes

tes

tes, mox debacchationem & lasciviam consectantur. Hinc inde sculpta sunt Gorgonum crinita & anguibus circumvoluta capita, quibus veteres tamquam amuleta Sepulcris adiecerunt, ut quietis cinerum defunctorum violatores terrerent, vel etiam ut mortis imperium, & malignam eius vim designarent. Quam antiqua sit haec consuetudo adponendi Gorgonum, sive Tempestatum, & Procellarum capita in sepulcris, ex quo mos inolevit ea emblematis insculpere, iam in Musei mei Etrusci voluminibus luculenter observavi; nam ab Etruscis haec emblemata Romanos accepisse, quae etiam in sepulcralibus lucernis exhibuere, plura monumenta testantur.

Sequitur num. II. in eadem Tab. XXXIV. marmoreus Sarcophagus, qui ibidem exstat, & aquam e fonte manantem excipit; quapropter non parum labefactatus cernitur. Defuncti trabeatam imaginem in clypeo sculptam sustinent, & honoris causa subiecto velamine adtollunt duo Genii, amicti chlamyde post humeros defluente. Sub eadem imagine iacens sculpta est Dea Tellus cum suo Genio, quae Defunctorum umbras ad Inferos transmittere putabatur. Hinc inde tamquam comites animae eiusdem Defuncti ad Elysios, exhibentur Dii, nimirum Venus cum Cupidine, Mars galeatus chlamydatusque cum clypeo, & prope Sarcophagi angulos Geniae, quae manibus vittas praeferre dicerem, ni fractum esset marmor. De Diis comitibus & sociis animarum ad Elysios nonnulla adnotavi in Tomo III. Musei Etrusci. De his Plato in Phaedone: *Qui vero puram moderatamque transegerit vitam, Deos socios ducesque nactus, ibi habitat ubi unicuique convenit.* Tantam inter animam & Genium coniunctionem intercedere veteres censuerunt, ut una cum illa colerent, ut auctor est Servius in VI. Aeneid. vers. 743. *Non incongrue dicuntur Genii; quia quum unusquisque genitus fuerit, ei*

ſtatim obſervatores deputantur: quibus adſiſtentibus poſt mortem, aut adſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem. Exſtant complures tituli ſepulcrales, in hoc Opere a me in lucem emiſſi, qui Genio Defunctorum, quorum nomina recenſentur, inſcripti ſunt.

TAB. XXXVI. *Meleagri aliorumque Heroum eius ſociorum pugna cum apro Calydonio, expreſſa in marmoreo Sarcophago*.

DE hoc ferali Sepulcrorum emblemate nonnulla ſuperius adnotavi ad Tab. XXIV. Praeter Caſtorem & Pollucem, Melagri ſocios in pugna contra immanem aprum Calydonios agros vaſtantem, adnotare lubet Herculem quoque & Atalantam ad opem ei ferendam adcedentes, ad cuius pedes adeſt venaticus canis. Prope aprum adſtat Diana, quae ut Meleagrum perdat, aprum a ſe immiſſum vehementer acuit & exſtimulat. Aper e ſpecu proſiliens ſculptus eſt, ſub quo proſtratus cernitur vir, qui ut coniicio, Defunctum ipſum fati malignitate ac vi interceptum deſignat. In dextro angulo ſculptae ſpectantur duae mulieres, forſitan Meleagri ſorores, ad eius ſepulcrum in ſpeciem templi conſtructum, & encarpo coronatum, flentes, ac de eius obitu lamentantes. Has in triſtes aves prae luctu mutatas fabulantur veteres Mythologi. In laevo latere Servi retia ad venationem apta deferentes, & cum venatico cane progredientes ſculpti obſervantur. Exſtat hic Sarcophagus in Hortis Regiae Villae Magni Etruriae Ducis ad Pratolinum.

TAB.

Tab. XXXVII. *Phaëtontis casus, & sororum eius luctus, emblema marmorei Sarcophagi.*

OCcurrunt & in hoc Sarcophago sculpturae atque emblematis raritate elegantissimo, qui in Hortis eiusdem regiae Villae Magni Ducis Etruriae ad Pratolinum exstat, in angulis sculptae Geniae, & in lateribus Castor & Pollux, animae Defuncti comites ad Elysios. His adcedunt duo Dii, ni fallor, Pluto & Mercurius seorsim sculpti prope dextrum angulum, qui se mutuo respiciunt, & conlocuuntur. Pluto sceptrum gerit, quod inferorum regnorum imperio praesit. Sequitur Phaëthontis fatum & casus in Eridanum flumen, ad Pyrenaeos montes, ob id sculptum barbati viri imagine, capite arundinea corona redimito, quod in eius gremium deciderit. Iuvenis praealto scopulo insidens forsitan est Epaphus, Iovis filius, qui Phaëthontem admonuit, ne matris Clymenes dicta auscultaret, & se filium Solis esse iactare desineret, & de hoc minime gloriaretur; quibus lucem addit Ovidii descriptio Metamorph. Lib. I. Barbatus ille vir pallio semitectus, Iupiter esse videtur, qui Phaëthontem iaculato fulmine e curru deiecit, veritus ne terrarum orbis insueto aestu aut frigore ob eius imperitiam in moderando curru Solis interiret, a quo per unum diem lucis administrandae imperium obtinuit, ut Epaphum mendacem ostenderet. Corruenti in praeceps Phaëthonti occurrit Sol, qui ab egregio huius Sarcophagi sculptore expressus est equo vectus, lampada gerens, passis, & ob casum horrentibus capillis. Id Lucretius Lib. V. vers. 400. tam eleganter expressit, ut incertum sit, num sculptor Lucretii, an vero Lucretius sculptoris emblema conspexerit:

Ac

At pater omnipotens ira tum percitus acri,
Magnaminum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram: Solque cadenti
Obvius aeternam suscepit lampada mundi,
Disiectosque redegit equos, iunxitque trementeis.
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans.

Post Solem Diana, hoc est Luna, passis crinibus moerens comitatur. Heliades Phaëtontis sorores flexo genu Iovis opem implorant, & ipsae passis crinibus lamentantes: quae tam graviter acerbum fratris sui casum tulerunt, ut adsidue lugentes Deorum misericordia in populos nigras fuerint conversae. Hinc truncus arboris ex una innascitur, e qua electrum stillasse fabulantur.

TAB. XXXVIII. *Herculis aerumnae in marmoreo Sarcophago expressae.*

VEteres Mythographi duodecim Herculis labores recensent, qui antiquis pictoribus & sculptoribus argumenta praebuere ut his operibus eximio opificio absolutis aeternam nominis celebritatem consequerentur. Verum in his exprimendis pictores sculptoresque eum minime ordinem servarunt, quo scriptores eos enumerarunt; quod perspicue liquet ex eorum scriptis, ac praesertim e Tabula marmorea Farnesiani Musei, in qua eius expiatio exhibetur, & gesta a Graeco Scriptore nobis ignoto recensentur; quam, a Petro Sancte Bartholio diligentissime aeri incisam, in lucem protuli inter Donianas Inscriptiones Tab. VI. pag. 37. In hoc autem Sarcophago, qui in iisdem Hortis regiae Villae ad Pratolinum exstat, octo tantum Herculis egregia facinora pereleganti sculptura repraesentantur.

Pri-

Primum igitur heic Hercules occurrit, leonis Nemeaei interemtor, qui quieti suae indulgens pharetram spiculis refertam arbori suspendit. Secundo Lernaeam hydram interficit: tertio occisum in Arcadia Erymanthium aprum in humeris sublatum defert: quarto cervam prosternit: quincto aves a Stymphalide palude abigit, iaculatisque sagittis conficit. Sexta aerumna in hac sculptura desideratur, nempe Augiae stabuli perpurgatio, quae exhibetur in eleganti marmoreo Sarcophago, quem serius quam oportebat observavi Florentiae in Aedibus Marchionum Nicoliniorum; nam Hercules, ut huiusmodi opus perficiat, ligonem in humeris defert. Septima quoque aerumna in hoc Sarcophago praetermissa est, nempe abductio ingentis tauri e Creta, & reliquae interpolantur. Sextae igitur aerumnae loco heic proponitur Herculis de Hippolyta Amazonum regina reportata victoria, quam, quum ex equo deiecisset, pedibus conculcavit, & cingulum abstraxit. Septimo, Hercules gradiens exhibetur, sublata in sinistrum humerum clava, &, ut opinor, ad monstra alia terrarum orbi infesta ac noxia propellenda, vel etiam ad Troianum praelium incedit. Octavo, Diomedis equos e Thracia abegit, quod est postremum huius Sarcophagi emblema. Marmoris vitio figura, quae iacens & seminuda sculpta est, ni fallor, Defuncti umbram refert, quae ab inferis ut educatur poscit, & ad eum supplices manus extendit. Iisdem paene emblematis ornatur Sarcophagus marmoreus, qui exstat in Hortis regiae Villae ad Castellum, quem accurate delineatum cum reliquis mecum communicavit & dono dedit vir antiquae eruditionis egregius cultor Franciscus Ricoverius, regiarum Magni Ducis Etruriae Villarum Custos vigilantissimus.

TAB.

TAB. XXXIX. *Marmoreus Sarcophagus emblematis ex Iliaca Hiſtoria deſumtis ornatus adfertur & illuſtratur.*

IN Volumine tertio Muſei Etruſci paucis ab hinc menſibus a me edito, adnotavi Sepulcrorum emblemata non ex ingenio arbitrioque Sculptorum expreſſa fuiſſe; ſed e penu omnis antiquitatis, Mythicae Hiſtoriae, & ex arcanis religionis myſteriis depromta Pontificum auctoritate & adprobatione caelata fuiſſe. Ea plerumque feralia ſunt; nam varias mortalium vices, clades, calamitates, infortunia, luctuoſa facinora, miſerandos caſus & neces exhibent: plerumque ſacras initiationes, Deorum myſteria, orgia, luſtrationes & initiationes praeferunt: non raro poenas ſontium hominum, eorumque apud Inferos cruciatus; quae monent homines ut bene & religioſe vivant, & quae etiam bona probi virtutis ſectatores conſequantur, perdiſcant. Plerumque etiam Heroum praeclara geſta repraeſentant, vel eorum varios caſus, & male ominatos eventus, ut quae ſors & fata malas actiones ſequantur, ex his intelligant, ut ait Virgilius Aeneid. Lib. VI. verſ. 620.

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Morem hunc ornandi Sepulcra emblematis hiſce apud Graecos antiquiſſimum fuiſſe docet Cypſeli arca, quam deſcribit Pauſanias in Eliac. Prior. Cap. XVII. Hunc quoque ſecuti ſunt Etruſci, qui Defunctorum cineribus dedicatas Vrnas marmoreas & fictiles emblematis ornarunt ex his Hiſtoriis, quae Troica ſive Iliaca tempora praecedunt, vel ex ipſa deſumta ſunt, quae Homerica adpellari poſſe mihi adri-

risit, vel his etiam, quae e Tragicorum carminibus, atque ex Odyssea Homeri in medium prolata sunt.

Hanc consuetudinem cum Graecorum tum Etruscorum sensim amplexati sunt Romani: qui quum severitatem & parsimoniam colerent, nec luxum sectarentur, temporibus longe antiquissimis, Vrnas nullis ornamentis excultas, sed puras & simplices Defunctorum suorum Diis Manibus consecrarunt.

Sarcophagus hic marmoreus, perraris caelaturis ornatus, Homericus adpellari potest; nam emblemata quatuor continet ex Iliaca Historia desumta; quae Sculptor peritissimus Graecus, ut puto, ex his, qui, Hadriano imperante, Scholas Romae habebant miris ingeniis florentissimas, in spatiis totidem, quae conficiunt pendentes encarpi, a tribus Geniis, & in utroque latere a bucraniis substentati, expressit. Ea repraesentant praecipua Diomedis gesta, quibus summam apud Graecos gloriam sibi adeptus est. Inter cetera, quibus servatis stare Troiae regnum oracula praedixere, everti vero iisdem raptis & amissis, Palladium fuit, parvum nempe Palladis simulacrum, & Philoctetis sagittae. Igitur in priore emblemate sculptus est Diomedes, qui a Pandaro vulneratus in castra reducitur, Homero auctore Iliad. Lib. V. vers. 105. Hunc postea, curatis vulneribus, integrae sanitati restitutum narrat, & auxiliante Pallade, ipsum Pandarum interemisse, & Venerem ac Martem vulnerasse. Nec mirum si in hoc Diomedes barbatus occurrit, in reliquis vero emblematis plane imberbis; nam id non curarunt Sculptores: & forte caelator Diomedem aegroto similem referre studuit. Quamvis non negem & alium Heroam, facile Vlyssem, referre posse; Diomedes tamen mihi magis adridet, quia in hoc Sarcophago eius potissimum gesta, & paene vitam omnem sagax Sculptor expressit. Igitur Diomedes, uti Heroes in bello vul-

neribus adfecti transvehi solebant, eo curru, qualis aegrotos decebat, ducitur, qui se subfulcit baculo sive hasta, praecedente auriga, adstante comite suo, ac sequente armigero, qui, galea tecto capite, pharetram sagittis refertam gerit.

In secundo emblemate exhibetur Philoctetes in antro Lemneo iacens aegrotus, cum pharetra a dextris referta sagittis, panno tectis inferioribus partibus corporis. Alter vero Heros, qui ad antrum adcedit, est Vlysses, qui cum Diomede missus est ab Agamennone, ut eum placatum, & in gratiam Graecorum reconciliatum, secum ad pugnandum contra Troianos, adlatis fatalibus sagittis, abducerent, ut fusius scribit Hyginus Fab. CII. Quamvis autem id facinus alii Heroes tentarint, nempe Vlysses & Neoptolemus; primas tamen Diomedi deferunt, quod cum eo congressus, ex antro eum eduxerit, & ad ferendam opem invisis sibi Graecis, ut Troia tandem oppugnaretur, excitarit. Hoc ipsum emblema clarius elucet ex Vrna Etrusci operis a me adlata & illustrata in Vol. III. Musei Etrusci Tab. VIII. Class. III. quae nuper primum prodiit ex celeberrimo Museo Guarnaccio.

Tertium emblema in dextro latere eiusdem Sarcophagi sculptum, illustre Diomedis facinus repraesentat, nempe ipsum Heroam iam potitum fatali Palladio, cui partam gloriam multi Heroes auferre conati sunt, atque inter hos Aiax Telamonius, ac praesertim, ut in hoc emblemate, exhibetur mox adveniens Vlysses, & cum eo contendens: in quo egregio Diomedis facinore exprimendo mirum in modum Statuarii, & gemmarum Scalptores inter se ingenio & arte certarunt.

In quarto demum sinistri lateris emblemate idem Diomedes exhibetur vulnera sua curans, & sanguinem lavacro diluens. Ei siquidem in parva sella

se-

ſedenti adſiſtunt duo ſervi, quorum unus poſt humeros ſtans, eum ſuſtinet; alter vero eius crura & pedes, iisdem in vaſculo iniectis, lavat, cuius vultum blande tangit Diomedes, ut eius officium probet. Homerus deſcribit Diomedem vulnera ſua refrigerantem memorato Iliad. Lib. V. verſ. 794.

TAB. XL. I. *Sepulcrum Matronae emblematis felicis anni ornatum.* II. *Sepulcrum iuvenis, trabeati Dionyſiacorum feſtorum, vindemiae laetitia, & gryphibus inſculptum.*

VAſcula ſex anſata perelegantis formae, roſis, floribuſque, ſpicis, pomis & uvis referta, ad quae convolantes aves ſingularum anni Tempeſtatum delicias carpunt, & avide deguſtant, praecipua ſunt ornamenta huius marmorei Sepulcri, quod pro Matronae condendo corpore deſtinatum fuiſſe, perſpicue adparet ex eius imagine ſculpta in orbiculo, ſeu potius clypeo, quem duo Genii hinc inde ſublatum tenent. Flammeo ornatur eius caput, quod lutei coloris fuiſſe, feminis traditum in nuptiis, quo pudorem ſuum cuſtodirent, tradit Feſtus. Apud Graecos, & apud Etruſcos flammei nuptialis uſum invaluiſſe, & ad Romanos demanaſſe, oſtendunt ea Urnarum Etruſcarum emblemata, quae Helenam in thalamo iacentem, raptam ab Alexandro Paride, repraeſentant, quarum exempla habes in Tom. III. Muſei Etruſci Tab. VI. Claſſis III. ex Muſeo Guarnaccio. Perelegans Vrna marmorea Etruſca, eodem emblemate inſignis, ex Hypogaeis Volaterranis in Muſeum Ornatiſſimi Equitis Caietani

Antinorii nuper translata est, eaque ornata integra epigraphe Etrusca. In his monumentis Helena flameo caput ornatum habet. Mire elegantes sunt duo quoque Genii sculpti in hoc Sepulcro, quorum alter ornatum habet caput copiae cornu, & turturum par laeva gerit, quae aviculae coniugalis concordiae & amoris symbola sunt. Alter vero Genius calathum gerit uvis refertum, & ex his racemum laeva substinet. Sub imagine defunctae Matronae sculpta est alma Dea Tellus, circa quam, ut in numis maximi moduli Imperatoris Commodi, quae e Museo Mediceo depromta illustravi, quatuor ludunt pueruli, quatuor anni Tempestatem repraesentantes, quorum unus (quod sine observatione praetereundum non est) hydriam effundit, tamquam aquae Genius, & forsitan pluviosum Hiemem refert.

Sequitur in eadem Tab. XL. num. II. alter Sarcophagus marmoreus striis, & in tribus segmentis variis emblematis ornatus, non sine laude elegantiae dimittendus. In medio, sculpta est imago iuvenis trabeati in clypeo; sub ipso vero tres Genii Dionysiaci, qui in arca uvas calcare mihi videntur, quam ornant leonum capita, & hinc inde ex ea pendentes foliacei encarpi spectantur: quam etiam non nego indicare posse ipsum defuncti iuvenis, Baccho eiusque mysteriis & initiationibus devoti, sepulcrum. In utroque angulo e Bacchi famulitio hinc Satyrus saltans spectatur cum utre vini in humeris & pedo, hinc Baccha sustinens thyrsum, & ipsa quoque concinno corporis motu saltans cum mystica Bacchi cysta ad pedes, e qua prosilire serpens cernitur. Tamquam Sepulcri custodes in utroque latere sculpti sunt Gryphes, quos etiam inter emblemata Sepulcrorum apud Etruscos connumeratos iam adnotavimus. Hi duo Sarcophagi exstant & spectantur in rure ad Signam; & quidem primus apud Nob.March. della Stufa.

TAB.

Tab. XLI. *Sepulcrum Etruſcum, in quo Matrona carpento vecta cum ſuo famulitio exhibetur.*

ANnis decem ſupra octo iam elapſis, quum de antiquorum Etruſcorum monumentis in lucem edendis illuſtrandiſque, & de legitimo Etruſcorum Alphabeto inveſtigando conſtituendoque publico litteratorum hominum bono, ne vix quidem cogitarem, marmoream hanc Vrnam, quam ſingularem inſpexi in Suburbano Muſeo Nobiliſſimi Viri Caroli Thomae Strozae ad Montem Hugonis, delineandam aerique incidendam curavi. Exemplum, numquam antea viſum in tam antiquis ſculpturis, carpenti exhibet, quem Tuſci lautiſſimi, opibus & luxu abundantes, variis emblematis, ſculpturis, picturis, Phrygiis operibus, monilibus, aliiſque ornamentis, quae inaurare conſueverunt, condecoraſſe, compertum eſt ex aliis Vrnis, quae nuper e Volaterranis Hypogaeis erutae ſunt. De his non pauca diſſerui in Volumine II. mei Muſei Etruſci ad Tab. CLXIX. pag. 327. & ſequentibus.

Carpentum Etruſcum, cuius formam veteres Romani imitati ſunt, quod numiſmata in honorem Antoniae, & Agrippinae Auguſtarum feminarum in lucem edita teſtantur, mulae iunctae iugo trahebant. Servi & famuli matronas in publicum procedentes praeibant, & ſequebantur. In eorum famulitio erant etiam feminae, quae muliebris mundi curam agebant, quae dominam carpento per urbem cum pompa vectam comitabantur, quod etiam hoc emblema non obſcure oſtendit.

Matrona, ut ait Iuvenalis de nobilibus feminis, quae in publicum cum pompa prodibant, e carpento

pro-

profert caput ſuum, quod flammeo nuptiali ornatum cernimus, ut virum equo inequitantem, qui honoris cauſa, qui iisdem Matronis, & Virginibus Veſtalibus fiebat, ei viam & dextram manum cedit, ſalutet & conſpiciat. Hac quoque pompa nuptae Matronae ad ſacra primum Veneri & Iunoni Cinxiae, ſeu Iugali facienda duci ſolebant, & mox ad domum ſponſi, cum quo iam in manum convenerant, praeeunte ſervo cum lampade fulgente. Cur vero huiuſmodi emblema Sepulcris aptarint Etruſci, iam expoſui in Muſei Etruſci Volum. II. & III. compluribus coniecturis, quas ne taedio legentes adficiam, heic recoquere non vacat.

SARCOPHAGI ANTIQVI MARMOREI

ADLATI IN SEQVENTIBVS V. TABVLIS

PISIS, SENIS, CLVSII, ARRETII, ET CORTONAE EXTANT.

TAB. XLII. *Adonidis, invita ac lugente Venere, fatalis profectio ad apri venationem.*

SArcophagus iſte praeſtanti opificio ſculptus, licet iniuria temporum aliqua in parte ſit corruptus; tamen cum propter magnitudinem, tum propter elegantiam inter admiranda antiqua opera, quae ingenti copia Piſis ſpectantur, principem locum meo iudicio facile obtinet; ſaeculo ſiquidem XII. dignus viſus eſt, ut in eo oſſa piiſſimae ac venerabilis femi-

mi-

minae Comitissae Beatricis, matris immortalis Mathildis Comitissae, conderentur. Id indicat sequens eiusdem Sepulcri titulus:

QVAMVIS PECCATRIX SVM DOMNA VOCATA BEATRIX
IN TVMVLO MISSA IACEO QVE COMITISSA

Sub eodem Sarcophago, qui ad parietem lateralis ianuae Basilicae Pisanae nunc haeret eminenti in loco, in marmore leguntur sequentes inscriptiones, quas ipse accurate exscripsi. Sed heic notandum, quod litterarum nexus, quos typothetae exprimere non potuerunt, me invito, praetermissi sunt, & litterae aliquot, nempe n· m· u· aliter repraesentatae, typis repugnantibus, maioribus Romanis characteribus usitatis eiusdem speciei exhibentur.

✝ ANNO DNI MC. XUI IX KLAS AUGUST· OBIIT
DNA MATILDA FELICIS MEMORIE COMITISSA
QUE ꝑ ANIMA GENITRICIS SVE DNE BEA
TRICIS COMITISE UENERABIL'S. IN HAC TᵘBA
HONORABIL' QUIESCENTIS IN MULTIS PARTIB⁹
MIRIFICE HANC DOTAUIT ECCL'IAM
QUARꝰ AIE REQᵘIESCANT ' PACE;

✝ ANNO DNI M.CCC III.SUB DIGNISSIMO O-P-ARIO
DNO BURGUNDIO TADI OCCASIONE GRADUUM
FIENDORꝰ-P-IPSVM CIRCA ECCLIAM SUPDICTAM
TUMBA SU-P P' NOATA BIS TASLATA FUIT NUC
DE SEDILIB' PRIMIS ' ECCL'IAM NUC DE ECCL'IA
' NUC L°CU UT CERNITIS EXCELLENTEM

Sed

Sed, ut ad emblema huius elegantiſſimi Sarcophagi redeam, qua de cauſſa veteres Theologi Adonidem a Venere aegre digredientem, & ad apri venationem euntem effinxerint, ſupra adnotavi pag. CII. ad Tab. XXIII. adlata myſticae huius & arcanae ſignificationis Macrobiana interpretatione. Multa, quae in aliis ſculpturis deſiderantur, in hoc ſolers Sculptor expreſſit, nempe templi frontem, ante quod Venus ſedens ſpectatur, ſubiecto eius pedibus ſcamnulo, cui una e Gratiis adſtat, & duo Cupidines: quorum alter Erotem, alter vero Anterotem deſignat, de quibus non uno in loco Lucianus, & Philoſtratus in imaginibus. In aliis emblematis Sepulcrorum huic ſimillimis, e ſedis brachio, vel e Veneris manu ſudariolum pendet, quo Venus ad lacrimas ex oculis defluentes abſtergendas utatur; quo indicio uſi ſunt veteres Sculptores, ut maerorem Veneris in diſceſſione Adonidis, qui ab eius conſpectu aegerrime divellitur, urgentibus fatis ipſis, oſtenderent. Adſtant viri, qui conſilium Adonidis proficiſcendi ad apri venationem improbant; at in ſua fata genio ac natura ſua Adonis trahitur, & Venerem luctu ac maerore tabeſcentem deſerit, atque eius conſilia non audit. Iam cum apro e ſpecu proſiliente pugnantem Adonidem Diana ambigua ſpecie adparens, quaſi Martem referens Adonidi adverſum, acriter urget, eumque in perniciem corruentem exſtimulat. Adonidem comitantur alii Heroes & ſervi cum omni venatico adparatu. Vela ſuſpenſa dignitatem Heroum ſignificant, ſeu potius Defuncti; nam his Sepulcra honoris cauſa decorabantur. Illud interim notandum ſupereſt, venatores petaſo uti conſueviſſe; eo enim latiore pilei genere utebantur adverſus aeſtum, ut faciem obumbraret. Svetonius de Auguſto c. 82. *Domi nonniſi petaſatus ſub dio ſpatiabatur*. Quando vero petaſum e capite tolle-

lere volebant, illum religatum lorulis in humeros reiiciebant, uti numismata Aetolorum a Cl. Begero edita, & picturae Etruscorum Vasculorum ostendunt. Venatorum vestis erant chlamys, quod & Virgilius docet, ubi Didonem cum Aenea ad venationem proficiscentem describit Aeneid. Lib. IV. vers. 136.

Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum;
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Sarcophagum hunc insignem ex multis delegi, & dedicavi Viro in litteraria Republica Celeberrimo Marchioni Scipioni Maffeio, primum mihi meisque studiis, dum ea auspicabar, amicissimo, ut hoc obsequii mei, qualecumque illud sit, monumento, aliquam ei referrem gratiam, quod, quum Florentiae esset, me ad hos Sarcophagos & antiquas Etruriae Inscriptiones evulgandas suis hortationibus acrius incitarit, & benevolentiam doctorum hominum me egregie aucupaturum, his in publicam lucem missis prisci aevi deliciis, praedixerit.

Sarcophagum hunc, pro capitis coronide, adlato in quamminimo schemate, edidit, seu verius deformavit Cl. Ioseph Martinius Canonicus Pisanus in Appendice ad Theatrum Basilicae Pisanae pag. 17. uti conferentibus liquebit. Illud etiam eius incuriam & oscitantiam testatur, quod inverso figurarum ordine exprimendum curavit: atque hoc modo, minimo chartarum spatio, Pisanos omnes antiquos Sarcophagos in eo sumtuoso Opere in lucem ita protulit, ut pudeat tam eximia monumenta, quae novam plane opperiunt editionem, si Pisani Proceres sumtibus faveant, cultoribus eruditae Vetustatis indicare.

 TAB.

TAB. XLIII. *Maris Dii Deaeque Defunctorum comites ad Elyſios ſculptae in Sepulcris.*

ELyſios in extremis Oceani finibus ſitos eſſe, quum ſibi perſuaſerint veteres, nil mirum ſi mortuorum Sepulcra emblematis hiſce ornarint, quae maris Deos Deaſque, Defunctorum comites, repraeſentant. In hoc perelegantis Sarcophagi marmoreo anaglypho, quod Senis extat parieti inſertum ſupra portam, qua a platea itur ad officinam Sculptorum, defunctae feminae imaginem Veneris Pelagiae ſpecie, & honore apotheoſeos donatae, in concha expreſſam tenent & adtollunt hinc Doris, hinc Nereus marinis Centauris inſidentes, quibus alia maris Numina conſociantur. Compluribus ex locis divini Carminis Homeri, praeſertim vero ex Lib. I. Iliados colligimus, eo conſilio veteres Oceanum in Sepulcris exhibuiſſe, & Deos Deaſque eius incolas ſculpſiſſe, ut Oceanum eſſe emblema conſecrationis & divinitatis animarum, quae e corporis vinculis ſolutae ſunt, rudes homines intelligerent. Nam memorat Homerus, Iovem comitantibus Diis, relicto Olympo, ad Oceanum Aethiopum iviſſe, ut per aliquot dies lautiſſimis conviviis frueretur, & poſtea ad ipſum Olympum reverſum eſſe.

TAB. XLIV. *Patroclus Heros vulneratus, in caſtra a militibus reductus, emblema Sepulcri Etruſci.*

PRobe notam perſpectamque fuiſse Tuſcis noſtris Troici belli, Heroumque in eo occiſorum Hiſtoriam, iam non uno in loco adnotavi in meo Muſeo

ſeo Etruſco. Anaglyphum hoc marmorei Sepulcri, quod Arretii obſervavi inſertum parieti cubiculorum Monaſterii Monachorum Camaldulenſium S. Mariae in Gradibus, Homericum eſt; nam meo, ni fallor, iudicio, ferale emblema funeri conſentaneum exhibet, nempe Patroclum primum ab Euphorbo in bello vulneratum, mox ab Hectore interfectum, iam iam animam efflantem: quem, Aiacis iuſſu, Menelaus, Meriones, aliique Heroes Graeci in caſtra retulerunt; ut narrat Homerus Iliad. Lib. XVII. verſ. 717. & 735. quo cum emblemate alterum valde adfine iam protuli in Tab. CXXXIII. Tom. I. Muſei Etruſci, & explicavi in Tom. II. pag. 260. Huic adſimile ſchema exhibet antiqua Iliadis Tabula num. 39. quam adfert & illuſtrat eximius Fabrettus. Ex ſociis alii variis modis exprimunt dolorem ac luctum. Femina, quae caſum averſata, celeriter fugit, forſitan Bellona eſt, ſeu mavis Thetis, quae ante adventum cadaveris Patrocli, ad Vulcanum diverterat, ut eius opem imploraret; nam ab eo idem Heros aurigandi arte fuerat inſtructus. Factum eſt marmor in utroque angulo, & non pauca deſiderantur. Heroum, quos Homerus aeterno Carmine celebravit, egregia geſta, caedes & fata exhibentur in Sepulcris antiquis, praeſertim Etruſcis, praecipue vero Achillis, Patrocli, & Hectoris, ut ex his diſcant homines mortalem vitam breviſſimam eſſe; nam hi Heroes celeri fato intercepti ſunt, de quo queritur Thetis apud ipſum Homerum Iliad. Lib. I. ubi Achillem brevi vitae obnoxium ſe genuiſſe lamentationibus teſtatur.

TAB. XLV. *Beſtiarum venationes in Amphitheatro editae, emblemata marmorei Sarcophagi.*

VOluptates humanae vitae cum metu luctuque coniunctas, perbreves eſſe docent ſpectacula, quae veteres in Amphitheatris ediderunt. Ea quoque pro Sepulcrorum emblemate uſurpata docet pulcherrimum hoc marmoreum anaglyphum, quo dubio procul frons Sepulcri ornata eſt, quod ſumma cum voluptate Cluſii obſervavi in Hortis Nobilis Viri Riſtori Paolotii, cuius Muſeum compluribus perraris Etruſcorum monumentis refertum non uno in loco laudavi in meo Muſeo Etruſco, & in Hiſtoria originis & progreſſus ſtudii Antiquitatum Etruſcarum, coniuncta cum Vindiciis mei Alphabeti Etruſci, nuper a me editis. Cum leonibus pugnant chlamydati viri duo equos invecti, alii quoque pedeſtres. Ex equo deiectus iuvenis conlapſus cernitur, qui defuncti adverſum caſum & interitum facile, ni fallor, deſignat. Venatores urget Diana, quae adparet, capite galeato, ut in aliis duobus Sarcophagis Florentino & Piſano, iam ſuperius a me editis in Tabulis XXIII. & XLII. Spectatur etiam vir thorace & paludamento inſignis ſtans, dextera haſtae innixus, laeva parazonium gerens, medius inter adſtantes milites, quorum alter gladio & clypeo inſtructus, paratum ſe ad pugnam oſtendit: prope eum ſtat equus ad venaticum adparatum pertinens. Alia duo emblemata huic maiori fere ſimillima in Sepulcri operculo exhibentur, in quo praeterea irruentes ad pugnam leones non gladiis tantum viri caedunt, ſed haſtis, iaculatiſque ſagittis confodiunt. Vacua titulo eſt metopa in media ſculpta & coroni-

ni-

nide ornata, quae indicat tumulum hunc virginem fuisse, in quo nondum aliquis forsitan conditus fuerat, adeoque ex officina Sculptoris susceptum fuisse, funeri mox destinandum.

TAB. XLVI. *Bacchus victor curru vectus a Centauris, Heroum praelia & caedes: captivi lugentes & tropaea erecta, sculpta in marmoreo Sarcophago.*

QVemadmodum in emblemate Clusini Sarcophagi voluptatem cum dolore conmixtam conspeximus; ita & in hoc Cortonensi Sarcophago admirandae elegantiae & opificii Scuplroris Graeci peritissimi, nimia vini copia susceptam hilaritatem & temulentiam, bellorum & caedium causas esse, monemur. Primus laetitiae dator Bacchus curru vectus a Centauris cernitur. Liberi Patris currum, quem ornat eius Genii imago, Victoria diademate redimita agitat & moderatur. Centauri Lapithis occurrentibus caedem minitantur clypeis armati, Bacchi praesidio tuti. Insurgunt contra hos strictis gladiis Lapithae. Sequitur Heroum praelium ad ostium domus, seu mavis urbis, iacentque humi interfectorum cadavera. Femina, eo consilio sculpta, ut feralia haec emblemata praetereuntes brevitatis vitae admoneant, & ad luctum facilius excitent, quae pugnat equo vecta, una ex Amazonum numero esse videtur, quae Troianis cum Achivis bella gerentibus opem tulere. In utroque Sarcophagi latere Heroes pugnantes eorumque caedes sculptae spectantur.

In Sarcophagi operculo defuncti Herois chlamyde amicti imago in medio sculpta est, nempe in clypeo sive orbiculo, quem honoris & divinitatis causa

Ge-

Geniae in aëre suspensae adtollunt. Hinc inde vexilla & tropaea hostium armis onerata visuntur, sedentibus captivis cum feminis tum hominibus, qui manibus post terga revinctis maerore ac luctu tabescunt. Exstat hic Sarcophagus operis praestantia insignis Cortonae in Cathedrali Ecclesia, iuxta maiorem ianuam interiori parieti adfixus, quem ut scivit nuper effossum esse Philippus Brunelleschius Florentinus Architectus omnium praestantissimus, ferunt, eum ita illud visendi desiderio flagrasse, ut statim pedibus totum iter Florentia Cortonam emensus sit, eoque spectato obstupuisse. Sarcophagum hunc merito celebrat Clarissimus Marchio Maffeius auctor Observationum Litterar. Veronae editarum Tom. V. pag. 218. qui vidit, & breviter descripsit, & Bacchum ad bellum procedere curru vectum a Centauris censuit.


Hactenus Sarcophagos marmoreos, qui tum Florentiae, tum in reliquis Etruriae Vrbibus exstant, brevibus observationibus illustratos primus omnium in lucem protuli, & quidem praestantiores a me delectos, non autem omnes; nam complures alii ubique supersunt; qui tamen cum his iam prolatis vel elegantia vel raritate contendere minime possunt. Non pauca marmorea anaglypha exstant in Museis Marchionum Riccardiorum, Nicoliniorum, Gaddiorum, atque etiam in Mediceo, quae alteras curas & lucem opperiunt. Florentiae quidem per urbem alia exstant Sepulcra marmorea anaglypho opere sculpta cum in publicis tum in privatis locis. In publicis quidem ad excipiendas manantium fontium aquas, vel in privatorum hortis ad herbas & flores alendos fastidioso ingenio destinata spectantur. In Hortis regiis vulgo *Boboli*, ad Castellum, ad Pratolinum & in reliquis non pauca observatione digna adservantur. Perelegans marmoreus

reus Sarcophagus Florentiae cernitur ſub ſtatua morientis Aiacis, quam imperitum vulgus Alexandrum vocat; alter in platea Baſilicae S. Spiritus: alter cum capite triformi ſpectatur in Eccleſia Divae Virginis ab Angelo Annunciatae ad Altare D. Peregrino Latioſo ſacrum. Paenitet me ſerius quam par erat huic ſtudio colligendi eruditas priſci aevi reliquias operam dediſſe; nam multo plures lapides mihi comparare poteram, & iisdem inſtruere Muſeum meum. Illud adcedit, quod vetuſtos omnes lapides, quibus ornatur Villa Senatoris & Comitis Ampliſſimi Ferrantis Capponii, mei fuere, quos, Doniano Muſeo vendito, mihi comparavi. Non paucos quos habebam, donavi C. V. Ioanni Baptiſtae Caſottio, qui omnes Bibliothecae publicae Pratenſi, una cum optimis libris ſuis teſtamento donavit, & civium ſuorum bono addixit.


Erudita haec priſci aevi monumenta habent & ipſa fata quaedam ſua; nam frequenter hominum ignorantia aut incuria evertuntur, vel ex uno loco in alium migrant liberali poſſeſſorum dono. Studioſiores homines ſi ab indoctis negligi videant, praeclaram rem & laude dignam faciunt, ſi ab oblivione & interitu vindicant. Id etiam ſtrenue curat & ſatagit non uno in loco a me laudatus Ornatiſſimus Eques Caietanus Antinorius, qui paucos intra menſes vetuſtos complures lapides a me editos in Parte I. huius Operis, qui ſub dio iacentes peſſum ibant, & Florentiae in Hortis Nobb. Spigliatorum, in Muſeum ſuum tranſtulit, & hos inter celebris ille eſt, ut paullo ſupra monebam, Herculi SOMNIALI ab eius Cultoribus dedicatus. Idem marmoreum Sarcophagum Graeca inſcriptione inſignem, Piſis olim inventum, & Florentiam tranſvectum cura Iohannis Nardii Medici Florentini, nuper ſibi comparavit; quem pervulgavit primum Cl. Montfauconius in ſuo

Diar.

Diar. Ital. pag. 428. num. 8. mox ego ipſe accuratius edidi in Par. I. huius Operis pag. 297. num. 26. In Muſeum Antinorianum ſequentes lapides, quos cum mendis exſcriptos, mihi traditos memoravi in Parte II. pag. 460. & Par. III. pag. 365. num. 8. migrarunt, quos ego archetypis diligenter inſpectis excepi, & iterum emendatos propono.



In baſi huius marmorei Cinerarii ſculpta eſt patera inter pampinos & uvarum racemos. Quae ſequitur Chriſtiana inſcriptio eſt.



Viginti duos lapides Romae erutos, quos Praeſul Ampliſſimus Marius Guarnaccius ſuo Muſeo addixerat, nuper Antinoriano Muſeo dedicavit, quos editos vide in hac Parte III. a pag. 241. ad pag. 262. nempe num. 236. 239. 240. 244. 247. 250. 251.

251. 252. 258. 264. 277. 294. 296. 303. 309. 324. 325. 326. 329. 330. 331. 336. Inter ineditos hic quoque in eodem Antinoriano Museo exstat.

D · M
iu LIO CHARITONI · FEC
iu LIA · ISIAS · CONIVGI
bene MERENTI ET SIBI
e T LIBERTIS LIBERTABVS
POSTERISQ · SVIS

His adde inscriptos lapides iam editos in Par. I. a pag. 290. ad 297. num. 12. 13. 14. 15. 16. 26. pag. 305. num. 41. a pag. 443. ad 450. num. 74. 78. 85. 86. Item in Adpendice Par. II. num. 69. cuius marmoris alterum frustulum consociandum inventum est ibidem cum his litteris: V · F · C · MVRRIO · num. 86. & 87. ibidem. Exstant nunc in eodem Museo marmor Pisanum adlatum in hac Parte III. pag. 26. num. 30. & pag. 175. num. 215. item Sigilla XI. ex aere obsignatoria ibidem adlata in pag. 139. & 276. & marmora in Appendice postrema eiusdem Par. III. num. 7. 8. & 16. edita.

Hoc ipso anno, mense Octobri MDCCXLIV. quum iterum Volaterras studii causa inviserem, & insigne MVSEVM GVARNACCIVM iam absolutum contemplarer, edito mei Musei Etrusci tertio Volumine, in eius vestibulo hos duos lapides numquam antea editos observavi, quos silentio praeterire nefas duxi. Quod enim superius non uno in loco monui, ex altero lapide discimus, pueros ac puellas in ipso aetatis flore morte defunctas, rapi a Diis veteres credidisse.

M

CORNIFICI
AES FESTIVAES
L · CEL · SO
CIN NAMVS
B M

DIS M

FILIVS · HIC · SITVS EST
IVLI · BASSI · BASSIANVS
ANNOS QVI · VIXIT · X ·
ET · XIIII · SOLES
QVEM · QVONIAM
MANES · VT · ALVMNVM
DI RAPVERVNT
NE CALCARE VELIS
NEC GRABIS ESSE
LOCO

In veſtibulo MVSEI GVARNACCII ſpectantur in metopis diſpoſiti antiqui lapides ſepulcrales Latinis litteris ſcripti, quos infra in lucem profero: ingredientibus vero ipſum Muſeum ornatiſſimum pulcherrima ſerie in pluteis locatae cernuntur Vrnae marmoreae Etruſcae e Volaterranis Hypogaeis magnis ſumtibus & diuturno labore erutae, quas in lucem protuli in Tomo III. mei Muſei Etruſci. Non paucae vero in eo ſuperſunt perraris emblematis ornatae hoc ipſo anno effoſſae, de quibus, & e quibus fontibus ea accepta ſint, in eodem Opere diſſerui; & has Vrnas in alio Volumine in lucem proferam. Illuſtrium Guarnacciorum exemplo Volaterrani nunc Etruſcas Vrnas e terrae viſceribus eruere certatim ſtudent; aliqui vero ſunt, qui quum facile ſine impendio ſuo, vel ſaltem modico, poſſint ornare bonas litteras, & patriae decus augere his eruditionis praeſidiis, eas oſcitanter negligunt, & non raro perire ſinunt; ſaepiſſime etiam oblatam occaſionem eas oſtendendi viris doctis, reiiciunt & averſantur. In praediis Franceſchiniis duo Hypogaea compluribus Vrnis Etruſcis referta nuper inventa ſunt, quae quum Volaterris eſſem videre cupiebam;

ſed

ſed haec officia iuſtae humanitatis mihi qui tot ſumtus & labores impendi ut Volaterrarum gloriam ſcriptis oſtenderem, ingrato animo negata ſunt.

Tab. XLVII. *Reliquiae Arcuum aquaeductus Coloniae Florentinae nunc primum in lucem proferuntur, & deſcribuntur.*

AD ILLVSTRES FLORENTINAE ACADEMIAE COLVMBARIAE SOCIOS.

LEgenti mihi eruditiſſimum Vincentii Borghinii Florentini, viri inter Antiquarios ſui temporis celeberrimi, & huiuſce ſtudii patriarum Antiquitatum inſtauratoris praeclariſſimi, Diſſertationem de *Origine Florentiae*, mirum plane viſum eſt, quod in lucem proferre ſuperſederit inſigne illud veteris magnificentiae monumentum, nempe Arcus aquaeductus, quo aquae ſaluberrimae non ad uſum tantum Thermarum, ut cenſet idem Borghinius, ſed ad Florentinorum commoda uſuſque vitae neceſſarios e proximis locis a ſeptimo fere milliario in hanc urbem derivabantur. Rem profecto maxime gratam feciſſet, & temporum voracitati conſuluiſſet ſtudio ſuo; praeſertim quum iidem Arcus ſua tempeſtate fatiſcentes quamprimum collabſuri ei viderentur, ſi eos in lucem protuliſſet. Sed praeſtat eius ipſiſſimam deſcriptionem & verba adferre, quae leguntur pag. 130. & 131. in Par. I. *Degli Acquidotti, e Terme poca fatica ci ſarà a moſtrar ch' elle ci foſſero; eſſendoci degli uni e dell' altre ancor il nome, e avanzate delle anticaglie: e quello che ne ſcrive il Villani è tutto vero, e ſi riconoſce beniſſimo ne' tempi noſtri, ancorchè, come è la natura del tempo di conſumare ogni coſa, veriſi-*

mile sia, che non ci si vegga oggi quelle tante reliquie, che a' suoi tempi. Ma, che dico io verisimile di cosa, che è certa? ricordandomi io fuor della porta, che si diceva a Faenza, allato alla Chiesa di S. Giovannino, che ancor per questo si chiama fra l'Arcora, *essere in piè dieci, o dodici archi di quell' Acquidotto, dove oggi non è che due con tre pilastri, che non doverebbero anche star gran tempo a cascare, tanto sono dalla lunga età consumati. Pigliavansi queste acque, come ben dice il Villani, e vi se ne vede ancora chiarissimi segni là da Settimello, e sotto le piagge di Monte Morello a Sesto, a Quinto, ed a Colonnata; e raccogliendo molte acque, che vi sono in gran copia vivissime, e chiarissime, si conducevano dentro alla Città fino in Terma.* Post haec idem Borghinius diligenter antiquas Florentinorum Thermas, & Balnea publica describit, ac deinde de locis, e quibus aquae per plumbeos tubos arcubus impositos in urbem perducebantur, & de miliario Romano differit, cuius longitudinem & passuum mensuram, ex ipsis locis, quae numerum in suis adpellationibus adhuc retinent, intelligere & scire possumus.

Horum igitur antiquorum Arcuum aquaeductus non Ichnographiam solum, sed & Scenographiam nunc primum in conspectum doctorum hominum, ac praesertim patriarum Antiquitatum studiosorum expono, quibus nulla temporum, fulminum, ac terraemotus ira, vis, calamitas nocere in posterum poterit; sed eorum schema, & memoria exstabit sempiterna, semperque adparebit antiquae apud Florentinos Architecturae, quae dubio procul Augusti aevum redolet, & maiorum nostrorum splendoris & magnificentiae praeclarum exemplum. Me rogante, insigne hoc Florentinae vetustatis monumentum delineavit mensusque est Architectonices egregie peritus, & antiquitatis admirator Antonius Paulus

lus

lus Gherardinius Florentinus, qui haec ſtudia cum gravioribus legum curis ſolet identidem coniungere. Singulae eorumdem Arcuum partes, quas maiores litterae indicant, deſcribendae nunc ſunt.

A. *Indicat ſciſſuram & biatum Arcus, quae ab imo ad ſummum pertingit.*

B. *Arcus paraſtata mediana, ſive columna ſtructilis, temporum iniuriis adeo labefactata, ut internam exhibeat e calce & glarea ſimul conmixtis conſtructionem.*

C. *Paraſtatae diſciſſio & biatus obliquus, qui imminentem Arcus ruinam minitatur.*

D. *Nexus alterius Arcus ſummopere labefactatus, qui interiorem operis exſtructionem e calce & glarea ſimul mixtis oſtendit.*

E. *Singulare totius operis fragmentum, quod ſupereſt, integrum in interiore Arcus parte, cuius latitudo aequat Romanos pedes fere quatuor, altitudine vero fere duos, & adhuc cernitur antiquitus calce obductum & laevigatum.*

F. *Hiatus, qui adparet, collapſis ſaxis ingentibus, quibus Arcus pectinatim exſtructus.*

G·G·G· *Coronides paraſtatarum e lapidibus quadratis immaniſſimis, quas edax tempus labefactavit, & informes reddidit.*

H. *Paraſtatae coronis interior adeo biatu proſciſſa & fatiſcens, ut ruinae in dies proximior conſpiciatur cum toto arcu, qui ei incumbit.*

I.I. *Verſurae arcuum interiorum, qui cruſtis dilapſis interiorem exſtructionem e glarea & calce oſtendunt.*

Igitur ab Arce, cui vulgo nomen *Caſtel S. Giovanni*, recta iter tenentibus ad Pontem *Rifredi* dictum, per multos paſſus occurrunt, atque e terra caput ſuum proferunt, veſtigia aliorum Arcuum eiuſdem aquaeductus; qui mox paullatim terra obruti penitus occultantur.

 Cur

Cur vero vobis Amicis meis optimis omnis plane eruditae Antiquitatis cultoribus hoc monumentum Coloniae Florentinae, quod supereſt, omnium eximium & ſingulare, dedicaverim, eo conſilio feci, ut meam non ſolum in vos benevolentiam oſtenderem; ſed ad vindicanda, ut egregie atque adſidue mecum facitis, ab interitu & oblivione alia praeclara Vrbis noſtrae monumenta, acriores adderem ſtimulos, & ut Decennalia Academiae noſtrae anno MDCCXXXIV. fundatae, aliqua plauſus & honoris ſignificatione, more maiorum, celebrarem. Eximios in litteris ſtudiiſque colendis & amplificandis veſtros progreſſus iam oſtendunt optima eruditionis fruge referta Volumina XX. a vobis ſcripta, quorum hoc anno Indices omnium Capitum diligenter abſolvit, noſque maximo ornavit beneficio illuſtris ac nobilis Socius Ioannes Nardius de S. C. optime meritus. Quia vero eo apoſphragiſmate antiquo utimini, quod vobis dono dedi, in quo iaſpidi rubro inciſae ſunt duae columbae, quae ſe invicem deoſculantur, & epigraphen addidiſtis hanc: MVTVIS OFFICIIS; en & ipſe Vobis pro re bene parta, pro lucubrationibus veſtris mecum per ſingulas hebdomadas vigili cura peractis, mutua grati animi officia lubens perſolvo.

TAB. XLVIII. XLIX. L. LACONICI *ſive* SVDATORII PISANI, *adlata eius Ichnographia & Scenographia, integrum aedificium nunc primum adfertur & illuſtratur.*

PIſae antiquorum monumentorum copia toto terrarum orbe celebres, integro ad haec uſque tempora aedificio ſuperbiunt, quod priſcam refert Auguſtei aevi maieſtatem ac magnificentiam, nempe

pe LACONICO ſive SVDATORIO, Piſanorum Balneis publicis, quae in Cenotaphiis a Celeberrimo Noriſio editis & illuſtratis laudantur, proximo ac contiguo. Tribus illud Tabulis egregie ac diligenter delineatum, quae cum internam, tum externam eius faciem referunt, nunc primum viris doctis exhibeo. Hae vero, legentium commodo, non heic a me ſubiiciuntur poſt reliquas Tabulas, ſed infra ſeorſim ſuo loco, nimirum poſt pag. 240. adiectis praeſtantium hominum Commentariis, & nonnullis meis Obſervationibus; cum quibus Syllogen coniunxi antiquarum Inſcriptionum, ut ita dicam, Balnearium; quia in his de antiquorum Thermis & Balneis, deque aliis rebus ad eas pertinentibus, fit mentio; quibus nonnullas meas adnotationes adieci.

Primus Scriptorum omnium de Antiquitate ac de litteraria republica optime meritorum, fuit doctiſſimus Ioannes Rhodius, qui in ſuis Notis ad Scribonium Largum pag. 116. 117. & 118. publica luce donavit inſigne hoc vetuſtatis monumentum, ediditque eius Ichnographiam exteriorem quoque, & interiorem Laconici faciem, aereis parvis Tabulis inciſam. Laconici interiorem formam adnotat altitudine aequare palmos Rom. XXXI. & ſemis; longitudine vero palmos XXXIV. & ſemis. Ex Rhodio accepit Noriſius. Sed propoſita haec Schemata quum eidem celeberrimo aedificio optime non reſpondere periti aliqui homines mecum iudicarint, operae pretium me facturum cenſui, ſi in hoc Opere in tribus memoratis Tabulis quamaccuratiſſime exhiberem.

PES ROMANVS
ANTIQVVS EX AERE
AD NORMAM CIRCINI FABREFACTVS
IN CIMELIARCHIO VATICANO RECONDITVS
IN SVPERIORE TAB. II. SCVLPTVS
PRO CORONIDE HARVM OBSERVATIONVM EXHIBETVR.

AD CL. V. FRANCISCVM FICORONIVM
ANTIQVARIVM ROMANVM CELEBERRIMVM.



Abores tui, ſtudia, lucubrationes, tua denique, VIR CLARISSIME, merita in Litterariam Rempublicam, quam ornaſti eruditis iam a te editis monumentis, adſiduis tuis curis & magnis ſumtibus inventis, conquiſitiſque, talia ac tanta ſunt, tamque egregia eſt tua in me benevolentia ac tam liberalis amicitia, qua non ſolum in lucem a me edita Volumina, ſed & mea Cimelia non paucis priſci aevi deliciis auxiſti, ut nomen tuum, in hoc Opere non ſemel laudatum, hoc praecipue in loco peculiari mei amoris & officii ſignificatione praeterire nefas duxerim. Huic igitur Volumini Coronidem te dignam, Litteratiſque hominibus periucundam atque utilem impoſiturus, ſtatui adferre ROMANVM PEDEM ANTIQVVM ad circini normam fabrefactum; nam ſaepiſſime cum in his libris, tum in aliis meis iam editis mentio occurrit Romani Pedis antiqui, quo uſus ſum in metiendis marmoreis Sarcophagis & aliis, quae adtuli, vetuſtis monumentis.

Ve-

Verum hoc ipſum a Genio meo tibi oblatum munuſculum, quod in lucem profero, totum purum putumque tuum eſt. Gratulatus ſum tibi ſtatimac per litteras certiorem me feciſti, tuis curis impenſiſque inventum fuiſſe a foſſoribus in Caeliolo: teque rogavi ut quam primum in lucem proferres, & hoc monumento perinſigni & eximiae raritatis ornares egregium Opus tuum a te nuper editum, cui titulum hunc adpoſuiſti: *Le Veſtigie, e Rarità di Roma antica ricercate, e ſpiegate.* Id ipſum quod optaveram Te feciſſe cognovi, quum hunc ipſum librum tuum ſelectis obſervationibus eruditis luculenter refertum ad me dono miſiſti. Rurſum te, VIR CLARISSIME, rogavi ut mecum ipſam aere inciſam Tabulam pro tua in me benevolentia communicares, ut & ipſe ea hunc librum ornarem. Sed ipſe nullis parcens ſumtibus, ut ornes bonas litteras, faveaſque cultorum eruditae Vetuſtatis curis & ſtudiis, hanc alteram ad me liberali manu miſiſti, in qua ipſum antiquum Architectorum & Opificum Romanorum Pedem delineandum curaſti totum exſtenſum, non ut in alia Tabula in tuo Opere adlata Lib. I. pag. 194. in circini normam expreſſum: pro quo munere immortales ut tuae humanitati referam gratias neceſſe eſt: meque tibi & tuis curis ac lucubrationibus devinctiſſimum, ſi publice faterer, haud iniucundum tibi, gratique mei animi aequis aeſtimatoribus fore putavi. Neque heic finem habent tuae laudes: nam hoc ipſum ANTIQVI PEDIS exemplar dono ſtatim obtuliſti Sapientiſſimo Supremoque Catholicae Eccleſiae Hierarchae BENEDICTO XIV. qui eius precium ac raritatem probe intelligens, illud in Vaticano Cimeliarchio, quod & ipſe perraris auxit monumentis, nuperque tuis antiquis impreſſis plumbeis numis, poſtquam eos in lucem protuliſti, ſervandum mandavit.

De

De legitima ROMANI PEDIS antiqui menſura tot ſententiae, quot homines gloria nominis & eruditionis celebres hactenus fuere. Noſtra vero aetate omnes doctrina, iudicio, & diligentia longe ſuperavit vir omnium diſciplinarum genere, praeſertim vero Mathematices ſcientia praeſtantiſſimus idemque doctiſſimus D. Diegus Abbas Revillas Hieronymianus, qui veriorem iuſtioremque eius menſuram nobis oſtendit collatis priſcis omnibus monumentis, quae ſculptum referunt Romanum Pedem, nempe Statiliano, Coſſutiano, ſive Colotiano, Aebutiano, & Capponiano, quibus adiecit ALFIANVM, & accurate menſuram expendit ex archetypo marmore a me edito in Parte I. pag. 277. num. I & in hac Parte III. pag. 142. num. 172. quod Florentiae exſtat & ſpectatur in Aedibus Nicoliniis. Haec Diſſertatio IV. eſt in Tomo III. Diſſert. Academ. Etr. Cortonenſium. Alfianum adpellavi, quia in eadem antiqui pedis menſura, P. Alfius Negotians Materiarius nomen ſuum ita indicavit P ALF. Hoc ipſum marmor ad archetypi fidem, me quoque praeſente, delineandum curavit, quum Florentiae moraretur, Vir inter eximios Antiquitatis cultores numerandus, erudítiſſimus Carolus Frederick Nobilis Anglus, qui dedit ſchema eidem D. Abbati Revillas, a quo editum, & per ſingulas partes egregie illuſtratum eſt in eodem Tom. III. Diſſert. Acad. Etruſc. Cortonenſium pag. 111. & ſeqq. ad quem Lectores mitto. Igitur Ficoronianus tuus Pes, nunc Vaticanus, cum his conlatus variat; nam una circiter uncia minor eſt frequentiore Romani Pedis menſura, idemque integra uncia minor eſt Graeco pede; cuius legitimam menſuram teneo ſuſceptam ex ſuperficie plantae columnae antiquae porphyreticae, ſive ex eius imo ſcapo, in quo Graecis antiquis litteris ſcriptum ΠΟΔ. I. hoc eſt *Pedes novem*; nam & novem pedes Graecos alta eſt. Haec columna cum altera iuſſu Coſmi III. Magni Ducis Etruriae Piſas tranſmiſſa, nunc ornat aram maximam S. Stephani Papae & Martyris.



Heic inſere Tab. I. & reliquas.

FAVTORVM
HVIVS OPERIS NOMINA
QVIBVS TABVLAS AERE INCISAS
D. D.
ANT. FRANCISCVS GORIVS.

TAB. I. E*minentissimo Principi* NEREO CORSINIO , *S. R. E. Cardinali &c.*

II. *Francisco* FICORONIO , *Antiquario Romano Celeberrimo.*

III. *D. Iacobo Philippo* D' ORVILLE *Nobilissimo , Maecenati Optimo.*

IV. *D. Mario* GVARNACCIO *in Romana Aula Praesuli &c. Signat. Iust. Votanti , Firmanae Congreg. a Secretis.*

V. *D. Caietano* ANTINORIO *Patric. Flor. Ord D. Steph. Equiti Mag. Etr. Duci regioque eius Consilio a Secretis.*

VI. *D. Friderico Comiti* DE THOMS.

VII. *D. Iacobo* HERBERT DE KINGSEY *in Com. Buck Armigero.*

VIII. *D. Guilelmo* LOCK *Anglo, V. I.*

IX. *Nobili Collegio Florentino Consulum Mercatorum Callismalae.*

X. *D. Francisco Mariae* BONDELMONTI *Patric. Flor. Senatori & Equiti O. D. Steph.*

XI. *D. Leonardo V. C. Senatoris Philippi* BONARROTI *Filio.*

XII. *D. D. Praepositis Bibliothecae Roncioniae Pratensi.*

XIII. *D. Camillo Antonio* BVCCAFERREO , *Comiti & Senatori Bononiensi.*

XIV. *D. Paulo Equiti* VICTORIO *Patric. Flor.*

XV. *D. Andreae Baroni* FRANCESCHIO , *Patricio Florentino.*

XVI. & XVII. *DD.* VENVTIS , *Patriciis Cortonens.* ACADEMICIS ETRVSCIS.

XVIII. *D. Thomae Carolo* STROZAE , *Patricio Florentino.*

XIX. *D. Ioanni Baptistae* RECANATI *Nobili Veneto.*

XX. *D. Conyers* MIDDLETON *Acad. Cantabrig. Proto-Bibliothecario.*

XXI. *D. Francisco* HEAD *Angliae Baronetto.*

XXII.

TAB. XXII. *D. Francisco* COLMAN *Magnae Britanniae ad Mag. Etr. Ducem Ablegato Plenipotentiario.*

XXIII. *D. Ioanni Michaëli Comiti & Baroni* PIERVCCIO.

XXIV. *D. Iulio* MORELLIO *Priori Equestris Ordinis D. Stephani.*

XXV. *D. Edvvardo* GASCOIGNI *Magnae Britanniae Baronetto.*

XXVI *D. Francisco* VICTORIO *Ordinis Sacri D. Stephani Equiti.*

XXVII. *D. Innocentio* BONAMICO *Nobili Viro, Canonico Theologo Pratensi.*

XXVIII. *D. Augustino Mariae* CERRETANIO *Canonico Florentino.*

XXIX. *D. Francisco Comiti* LORENZI *&c.*

XXX. *D. Fulco Marchioni* RINVCCINIO *&c.*

XXXI. *D. Bartholomaeo* CORSINIO *Proregi Siciliae &c.*

XXXII. *D. Thomae* MOSTYN *Nob. Anglo.*

XXXIII. *D. Henrico Comiti* VATZDORFIO *Eq. Clavis Aureae, & ab Aulae Consiliis Ministri Regis Polon. Aug. apud Princ. Ital.*

XXXIV. *Serenifs.* VIOLANTI BEATRICI *Vindelicorum & Etruriae Magnae Principis, Senarum Gubernatrici &c. &c.*

XXXV. *D. Camillo* CAPPONIO *Comiti & Equiti Ord. D. Stephani.*

XXXVI. *D. Francisco Comiti* GVICCIARDINIO, *Patricio Florentino.*

XXXVII. *D. Thomae* LOVVEL *Opt. Regni Magnae Britanniae.*

XXXVIII. *D. Ioseph Marchioni* RIDOLFIO *Equiti D. Steph. Patr. Flor.*

XXXIX. *D. Ioseph* SMITH *Anglo, Venetiis.*

XL. *D. Hugoni Marchioni* DELLA STVFA *Equiti & Patr. Flor. apud quem exstat.*

XLI. *D. Cerchio Dominico* CERCHI, *Senatori Florentino, Equit. Sacri Ord. D. Stephani.*

XLII. *D. Scipioni Marchioni* MAFFEIO *Patricio Veronensi &c.*

XLIII. *D. Henrico D.* COLERENE *Anglo Nob.*

XLIV. *D. Gregorio* REDIO, *Benedicti XIV. Pont. Opt. Max. Praelato Domestico &c.*

XLV. *D. Beniamin* CROVVE *Nob. Anglo.*

XLVI. *D. Henrico* HOVVARD *Nob. Anglo.*

XLVII. *Illustribus Florentinae* ACADEMIAE COLVMBARIAE SOCIIS.

XLVIII. XLIX. L. *D. Carolo* FREDERICK, *Anglo Nobilissimo.*

IN-



Sarc. in Aed. D. Corb. Del Nero. long. P.IV.V.III. alt. et lat. P.I.


INSCRIPTIONVM

ANTIQVARVM

QVAE IN VRBIBVS ETRVRIAE EXSTANT

APPENDIX

POSTREMA.



Postquam in publicum protuli omnes ANTIQVAS INSCRIPTIONES, quae in ETRVRIAE Vrbibus hac tempestate reperiuntur: non pauca antiquitatis monumenta, serius quam oportebat, mihi innotuere; ea in apricum, ut ait Horatius, proferente aetate: quae in hoc volumine haud praetermittenda esse censui. Quod igitur faustum, felix fortunatumque sit, ab inscriptione insignis cimelii initium capiam, quod an. CIↃ.IↃ.CCXXXV. forte fortuna invenire mihi feliciter contigit. Istud est MODIVS ANTIQVVS veterum Romanorum, toto terrarum orbe unicus, ex aere confectus. Quamquam ab eo tempore in animo habuerim, peculiari Dissertatione, ut erit otium, eum illustrare: in qua ingenue aperiam quomodo illum invenerim, ac pretio redemptum, dono

ſtatim obtulerim clementiſſimo meo Principi, IOANNI GASTONI Magno Duci Etruriae, id humiliter ab eo rogitans, ut in Mediceo Theſauro adſervari iuberet, quod & factum eſt; eius tamen ſchema in Tab. I. huius Operis, ſi proponerem, opere pretium me facturum, hominumque eruditorum gratiam initurum maximam exiſtimavi. Archetypum hoc ſingulare olim exſtabat in Muſeo eximii viri Petri Andreae Andreinii Patricii Florentini, eiuſque inſcriptionem quum adtuliſſem in Parte I. pag. 262. num. 47. huiuſce tam inſignis monumenti fatum conquerens, adhuc Andreinio ſuperſtite, dixi: *utinam haud periiſſe conſtet!*

Igitur ſciant omnes, qui haec ſtudia colunt, illum ipſum MODIVM ROMANVM, nullo pretio aequandum, a me inventum eſſe, in quo hae litterae inciſae ſunt, accuratius tamen in eadem Tab. I. ad prototypi exemplum expreſſae.

1. MENSVRAE AD EXEMPLVM
EARVM QVAE IN CAPITOLIO SVNT
AVCTORE SANCTISSIMO AVG N.
NOBILISSIMO CAES.
PER REGIONES MISSAE CVR .... D. SIMONIO
IVLIANO PRAEF. V ... C. V.

Huiuſmodi inſcriptionem, primus omnium in lucem protulit, vir omni aevo praeclariſſimus, Ioannes Mabillonius in Itinere Italico pag. 187. deinde Reineſius in Syntagmate, Claſſe IV. num. XVI. ex Langermanno, qui acceperat a Carolo Strozza, Florentino Senatore ampliſſimo: demum ex Mabillonio, qui ſolus, dum Andreinius Neapoli moraretur, archetypum vidit, exſcripſit Fabrettus Cap. VII. Inſcr. ant. pag. 548. num. 180. qui omnes mendis adſperſam pervulgarunt. Siquidem, ne quid dicam de punctis, quibus fere ſingula verba diſtinxerunt,

quum

quum aes in postremis lineis vetustate temporis sit corrosum, haud certe legitur in archetypo ipso CVRA. D. SIMONIO; sed spatium, litterarum quatuor capax, inter R & D intercedit, ut verisimile sit scriptum fuisse CVRANTE; nam & alterius cruris A, adhuc vestigia quaedam conspiciuntur.

Interim dum observationes quasdam in hoc insigne vetustatis Romanaeque historiae monumentum colligo, illud votis omnibus opto, ut aliquod marmor, Romae praesertim, effodiatur, in quo cum eodem Praefecto Consules notati sint, ex quo in aperto sit quo tempore D. Simonius Iulianus, Praefectus Vrbi fuerit, cuius nomen neque in laterculo Praefectorum Vrbi, apud Felicem Contelorium, neque in sexcentis iam editis inscriptionibus legere adhuc mihi contigit. Facile crediderim, si divinare fas sit, floruisse circa Gallieni tempora; nam hic Imperator, ut constat ex inscriptione arcus antiqui Veronensis portae, quam edidit ex Panvinio Sarayna, & ex Scultero Gruterus pag. CLXVI. 2. SANCTISSIMVS AVG. N. adpellatur: atque hoc amplius, eadem cum phrasi scriptum est CVRANTE IVL. MARCELLINO. Accedit, quod hic MODIVS ROMANVS rudis est figurae atque inelegantis, ut ferebant sequiora tempora: neque his plane similis, qui in nummis, in gemmis & in marmoribus sculpti sunt aevo meliore, dum gnavi artifices aerarii Romae florebant; nimirum vel aetate Vespasiani Augusti, qua fabricatus est Romanus Congius: cuius schema, edentibus iam saepe numero celeberrimis antiquariis, praesertim Luca Paeto, satis notum est. Reinesius huius MODII, ut diximus, inscriptionem proferens, prout Langermannus, quum Florentiae versaretur, exscripserat, ratus est mendum esse in nomine Praefecti Vrbani; ideoque ad P. Ceionium Iulianum digitum intendens, eum loco D. Simonii Iuliani substituendum censuit, qui imperante Constantino cum filiis Caesaribus, anno Christi CCCXXVI. CCCXXVII. Vrbanam Praefecturam gessit.

Verum nemo est qui non videat, minime admitti posse tantam mutationem; qua non caute expensa, vir ille magnus oppido hallucinatur.

Praeter MODIVM veterum Romanorum, inveni etiam, quae periisse crediderat Andreinius, alia perinsignia monumenta, videlicet pondus unciae Romanae genuinum ex aere, cum litteris argenteis insertis, quae ita se habent, VNCIA; aliaque in eadem Tab. I. exposita, quae perquamdiligenter delinanda & aeri incidenda curavi. Demum anno CIↃ.IↃ.CC.XXXV. quum Florentiae versaretur vir summus D. Martinus Folkes, Armiger Anglo-Britannus, Regalis Societatis Londinensis Vice-Praeses, mihique in familiari colloquio aperuisset curam suam ac studium in perquirendis illustrandisque vetustis monumentis, quae ad mensuras & pondera tum Graecorum tum Romanorum pertinent, opportune haec ipsa pondera ei obtuli, ut consideraret; qui, ea qua praeditus est humanitate prorsus singulari, diligentissime ita expendit ac descripsit, servato numerorum ordine, ut in subiecta Tabula exhibentur. Litterae seu notae in singulis hisce ponderibus insertae, postremo excepto, argenteae sunt.

I „ Pondus unciale, ut ex inscriptione certissime pa-
„ tet; sunt autem generis levissimi: constat enim grana
„ Anglica, quae *Grossina* audiunt, solummodo CCCXCV.
„ vel unciae Florentinae scripulos XVII. cum granis
„ VII.

II „ Pondus unciale, ut ex in inscriptione & notis
„ Γ Λ, quas Γ Λ lego, liquido patet. Constat & hoc
„ grana Anglica solummodo CCCXCI. vel unciae Flo-
„ rentinae scripulos XVII. cum granis VIII. nam altero
„ superius descripto, adhuc uno grano gravius est: al-
„ terum vero uno grano levius; quia videtur, argenteum
„ anulum in extimo orbe adnexum antiquitus fuisse,
„ qui nunc desideratur. Quid monogrammate, in altera
„ parte argenteis litteris inserto, significetur, divinare
non

„ non ausim. Vncia autem Florentina quum Romanae „ hodiernae aequalis habeatur, & eadem cum antiquissima veterum Romanorum uncia, ex iudicio omnium „ fere eruditorum, censeri debet.

III. „ Pondus duarum unciarum, uti tum ex litteris, „ tum ex pondere praecedentium duplo colligitur. Est „ enim hoc pondus granorum Anglicorum DCCLXXXII. „ sive unciae unius Florentinae, scripulorum X. & gra- „ norum XV.

IV. „ Et aliud duarum unciarum pondus; litterae „ enim ȣ B οὐγκίας *duas* indicant: grana autem Anglica „ continet DCCCXVIIII. ideoque pondera praedicta, quasi „ parte quadragesima sexta, excedit.

V. „ Pondus adhuc aliud unciale, idque litteris oNZ „ indigitari videtur; est autem hoc ponderis ab aliis me- „ moratis liquido diversi: est enim granorum Anglico- „ rum CCCCXIIII. quae conficiunt unciae Florentinae „ scripulos XXII. cum granis XVII.

VI. „ Pondus duarum unciarum; quod licet primo „ intuitu cum unciis primum memoratis, vel potius cum „ pondere ȣ B melius congruere videatur; grana enim „ Anglica appendit quasi DCCC. tamen cum pars mate- „ riae satis notabilis in parte postica desiderari conspicia- „ tur, ad unciam ultimo descriptam referri malim; adeo- „ que pondus integrum fuisse granorum circiter octin- „ gentorum triginta, coniecerim; vel unciae unius Flo- „ rentinae, scrupulorum XXII. cum granis XVI. Litterae „ insculptae —. II. SOL. XII. duas uncias, vel quod syno- „ nimum est, XII. solidos denotant. Hi solidi inferioris „ Imperii aurei nummi erant, quorum unusquisque igi- „ tur sextam unciae partem appendebat, & ita revera „ appendisse auctores testantur.

VII. „ Pondus trium unciarum, vel octodecim soli- „ dorum, quod cum unciali CCCCXIV. granorum optime „ congruit: est enim granorum MCCLV. vel unciarum „ Florentiae, duarum, scripulorum XX. cum granis duo- bus.

„ bus. Quam ob rem autem apposita sit ultima S prorsus
„ ignoro: semissem enim significare nequit; quum tres
„ unciae, XVIII solidos, non XVIII cum dimidio aequa-
„ re certum sit. Forsan igitur haec littera vel errore ar-
„ tificis insculpta est; vel forsan cum numeri X & XIII
„ quasi dispungantur, tres uncias continere decem soli-
„ dos & octo, denotare voluit. Ceterum quum & haec
„ uncia ab antiquissima, hodiernae Florentinae quasi ae-
„ quali, satis notabiliter discrepet, verisimillimum est
„ pondera antiqua sequioribus aevis Romanorum fuisse
„ immutata; & haec pondera legitima sui seculi fuisse
„ facile crediderim, cum ex iisdem pondus solidi aurei
„ LXVIIII granorum Anglicorum eliciatur; quumque pon-
„ dera aureorum plurium illius temporis numismatum,
„ cum hoc pondere satis congruere ipse perceperim, cu-
„ ius rei exempla aliquot hic describere non pigebit.

Apud Marchionem Nicolinium.

NVMMVS AVREVS	Traiani Decii	GR.	LXVIIII.
Apud Magn. Ducem.	Volusiani		LXVIII.
	Constantini M.		LXVIII.
	Constantis		LXVIII.
	Eiusdem, semis		XXXIIII.


Apud March. Nicolinium.

Constantii	GR.	LXVII.	Maioriani	GR.	LXVIIII.
Magnentii		LXVIIII.	Libii Severi		LXVIIII.
Valentis		LXX.	Anthemii		LXVIII.
Theodosii		LXVIIII.	Zenonis		LXVIII.
Arcadii		LXX.	Anastasii *tremiss.*		XXIII.
Eudoxiae		LXVIIII.	Iustini		LXVIIII.
Honorii		LXX.	Iustiniani		LXVIIII.
Theodosii Iun.		LXXI.	Focae		LXVIII.
Valentiniani		LXX.	Heraclii		LXX.
Eius tremiss.		XXIII.	Theophili		LXVIII.
Leonis		LXXI.			

Ex

Exstat apud me pervetustum pondus e marmore nigro, vulgo *paragone*, in speciem pyri confectum, nullis tamen inscriptum litteris; sed in summitate ejusque planitie quatuor cavitates, quasi puncta, antiquo opificio insculpta habet. Appensum in Florentina statera pondit libras novem & semis; adeoque continet uncias Florentinas CXIIII.

Haec pondera, genuina plane ac legitima, magno in pretio habenda, olim exstabant in Museo Andreinio: deperdita ego pretio redemi, obtulique Magno Duci Etruriae, quae ex imperio eius in Mediceum Museum translata sunt. His etiam adiuncta haec perrara ex aere lamella, quae collo fugitivi servi adfixa fuit, vel ex eius collari pependit: continetque viae & domini nomen, ad quem reduci debebat servus, si fugam iterum adripuisset.



In Museo Gaddio Florentiae, vidi quinque pondera ex eodem nigro marmore, nostri dicunt *paragone*, e quibus tria litteris inscripta. In primo, quod continebat libras IV. & uncias VIII. hae incisae litterae.

2. EX·AVCTORITATE·Q. IVNI·RVSTICI

Hunc fuisse Praefectum Vrbi contra Scaligerum & Sponium ostendit Fabrettus, Inscriptionum Cap. VII. pag. 526. Is, ni fallor, est, qui apud Contelorium recen-

setur

ſetur inter Praefectos Vrbi num. 343. quem veriſimile eſt ea dignitate functum imperante Conſtante Auguſto. In ponderibus ſtatuendis, perque regiones univerſas mittendis mutandiſque, omnis auctoritas & cura penes Praefectum Vrbi fuit: quod conſtat ex auctoritate veterum ſcriptorum, & antiqui ponderis marmorei, quod adfert Reineſius, Claſſ. III. num. LXXIII. in quo Audacis Praefecti Vrbi nomen inſcriptum.

In altero pondere fere ſimili, e marmore nigro, quod exſtat in eodem Muſeo Gaddio, penditque libras Florentinas IV. & unc. VII. ita ſcriptum eſt.


3. EX AVC· Q· IVNI RVSTICI

In altero adſimili pondere ſex fere unciarum Florentinarum, in ſuperficie inſculpta eſt haec nota ſeu littera S quae ſemis, ideſt librae dimidium deſignat.

Aliud eiusdem generis pondus continet libras II. & uncias VIIII. alterum vero uncias tantum XI.

Quandoquidem incidit ſermo de cimeliis locupletiſſimi Muſei Gaddii, non erit, ut arbitror, nec ingratum, nec inopportunum, ſi alia ex eô deſcribam monumenta, quae ibidem adſervantur, & inedita ſunt.

In aerea lamella votiva, lata unc. v.




Hunc

Hunc M. Crassum, e Licinia gente, eum fuisse puto, quem divitem plerique adpellant. Cn. Pompeii Magni in duobus consulatibus collega fuit, ac postmodum Censor: de quo Plinius Lib. XXXIII. Cap. X. *M. Crassus negabat locupletem neminem esse, nisi qui reditu annuo tueri legionem posset. In agris suis H-S. bis millies possedit: Quiritium post Sullam ditissimus*. Ancillae, uti ex hac inscriptione aliisque apud Gruterum discimus, non solum matronis, verumetiam hominibus serviebant. De mulierum luxu ita Terentius in Heautontim. Act. II. Sc. III.


Minime mirum, adeo impeditae sunt, ancillarum gregem Ducunt secum ———

Plautus in Aulularia Act. III. Sc. V. immensam servorum familiam enumerat, in qua etiam ancillas. De Feronia Dea, dicam paullo inferius, quum aliam votivam lamellam, quae apud me exstat, producam.

In eodem Museo Gaddio exstant haec VII. *aerea Sigilla*.



5. Q. Calvisius Sabinus *vir consularis*, sive *vir clarissimus*, nunc primum in lucem prodit. *Clarissimi* titulus, dari solitus viris in eximia dignitate constitutis, de quo doctissimus Reinesius ad CXX. Class. I. perspicue indicat vel Praefectum Praetorio, vel Urbi, vel Annonae, vel alicuius provinciae Praesidem fuisse.



B   8. In

8. In hoc ſigillo omnium rariſſimo, ſuppletis duabus litteris, quae deſunt, legendum: CERES MAXIMA CAELESTIS. Notanda ſunt haec cognomina Cereri tributa, quae item rariſſima ſunt, nec in vetuſtis aris occurrunt. Quod igitur in hoc ſigillo Deae tantum nomen cum propriis adpellationibus adnotetur; arbitror, eo uſos fuiſſe Cereris Sacerdotes in obſignanda ſacra ſupellectile, ſeu vaſis templi ſacrificalibus. Id antea a nemine obſervatum fuiſſe video. Exſtat apud Plautum in Amphitruone Act. I. Scena I. verſ. 264. inſignis locus, qui id confirmat; nam pateram, qua Diis libationes fiebant, in ſacrà ciſtula reconditam, obſignatamque fuiſſe, ex eo diſcimus; ait enim:

Sos. *Ubi patera nunc eſt?* Mer. *In ciſtula.*
Amphitruonis obſignata ſigno eſt. Sos. *Signom dic quid eſt?*
Merc. *Cum quadrigis Sol exoriens.*

Neque id videtur inveriſimile; quandoquidem fures legimus nec a ſacris quidem vaſculis & pateris, in ſacrariis Deorum reconditis, manus ſuas abſtinuiſſe.

9. Id eſt: *Veturnii Caii Filii Atinatis.* Huius Veturnii cognomen deſumtum a patrio municipio ſive colonia Atina, de qua nonnulla adnotavi ad Inſcriptiones Donianas Claſſ. V. num. 63. Martialis Marium ita laudat Lib. X. Epigr. XCII.

Mari, quietae cultor, & comes vitae;
Quo cive priſco gloriatur ATINA.

Frequenter leguntur cognomina huiuſmodi non ſolum a municipiis & coloniis adſcita; verum etiam a regnis, fluminibus & provinciis; ut ex ſequenti numquam in lucem edito lapide adnotare lubet. Hunc accepi ex Schedis Clariſſimi Senatoris Philippi Bonarrotii; tantoque mihi gratior, quia duos Florentinos cives M. Munatium, & Q. Munatium eius fratrem, militem Cohortis Septimae Praetoriae, notos facio. Hic lapis inventus eſt Aquileiae; deinde Vtinum tranſlatus: hodie apud Nobiles Gorghios adſervari dicitur.

M. MV-

M· MVNATIVS
M · F · SCAP
ETRVSCVS
FLORENTINVS
VIX· ANN· XIIX
Q· MVNATIVS
MILES CHOR
VII· PR
FRATER POSVIT

A Rhodano fluvio en nomen desumtum a Verna Caesaris, qui duplicis ejus vestis, nimirum regiae & Graeculae, curam egit.

DIS · MANIBVS
VENVLEIA · CLEOPATRA
FECIT · SIBI · ET ·
RHODANO · CAESARIS
VERNAE · A VESTE · REGIA · ET
SIC GRECVLA · CONIVG · BENEMER
ET · LIB · LIBERTABVS · POSTERISQ
SVORVM

Nonnullis cum mendis edita est haec inscriptio in Gruteriano Thesauro pag. DLXXVII. 7. Eam accepi ex Schedis laudatissimi Senatoris Bonarrotii, qui ex archetypo, Romae in Museo Ciampinio exstante, olim exscripsit. Rhodanus iste, ni fallor, fuit Verna Neronis Caesaris; nam hunc Imperatorem, praeter vestem regiam, quam docti viri togam purpuream fuisse, vete-

rum ſcriptorum auctoritate oſtendunt, more Graecorum, quos ipſe plurimum adamavit, ſoloſque ſcire & audire, quae cantabat, ſoloſque ſe, & ſtudiis ſuis dignos, aiebat, teſte Suetonio in eius vita c. 22. veſtem Graeculam adhibuiſſe, multa ſuadent. Hac veſte indutum, ſacra certamina Graeco more edidiſſe, nullus dubito. Idem Suetonius c. 11. haec de eo teſtatur: *Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romae, more Graeco, triplex, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod adpellavit Neronia.*

In aereo Sigillo cum litteris inſculptis.

10 L · POMP
HONOR

( )
(LPP)

11 P O R T
E S E S


In ſuperiori labro aereae Situlae, qua Eccleſiae Graecae Sacerdotes uſi ſunt pro Aqua benedicta deferenda in ſacris luſtrationibus, haec leguntur, litteris maiuſculis, ſed alia forma inciſis.


12 ✠ Φ Ω Ν Η Κ Υ Є Π Ι Τ
Ω Ν Υ Δ Α Τ Ω Ν Θ Ɛ Ο С Τ Η С
Δ Ο Ʒ Η С Ɛ Β Ρ Ο Ν Τ Η С Ɛ Ρ


Id eſt: ✠ Φωνὴ Κυρίου ἐπὶ τῶν ὑδάτων, ὁ Θεὸς τῆς δόξης ἐβρόντησε.
Vox Domini ſuper aquas: Deus maieſtatis intonuit. Deſumtus eſt hic titulus ex Pſalmo XXVIII. verſ. 4. Quid poſtrema littera P. ſingularis ſignificet, incompertum mihi eſt. Situlis portatilibus in ſacris luſtrationibus uſi ſunt AEgyptii, ut oſtendunt eorum Dii apud Cuperum de Harpocrate, qui ſitulam tenent. Uſi quoque ſunt Etruſci, ut oſtendi pluribus exemplis in Muſeo Etruſco Tom. II. Tab. LXXVIIII. LXXX. pag. 180. Situlis etiam num utuntur Graecae & Romanae Eccleſiae Sacerdotes. Quo vero ritu diviniſque precationibus mi-

minor aqua consecretur, erudite exponit Iac. Goar pag. 364. & fusius M. Antonius Marsilius Columna de Hydralogia, sine de Aqua benedicta; item Casalius de veter. sacr. Christianorum ritibus Cap. XXXVI.

AErea Sigilla, quae sequuntur, olim apud Cl. Joannem Baptistam Donium exstabant: ex eius Schedis descripta.


13


14


15


16 *In Sigillo aereo referente Delphinum.*

V T O R


17


In aversa parte
L· M· Z

Apud Ioannem Hieronymum de Pazzis, Patric. Florent. Equit. Ord. S. Stephani.

18


In aerea lamella, huiusce magnitudinis, quae exstat inter mea Cimelia.

19


Duo

Duo foramina, quae utrimque visuntur, perspicue indicant, hanc votitam lamellam clavis fixam fuisse in basi alicuius donarii, quod Veneteia Maxima, voti compos, dedicavit in templo Feroniae Deae, ex eius imperio. In templi pariete figebantur etiam vel suspendebuntur hae votivae tabulae, una appensis vestibus, armis, pateris, gemmis, coronis multiplicis generis, inauribus, armillis, bullis, speculis, ceterisque, ut propria erant artis & studii cujuscumque, instrumentis, quibus hi tituli in tabulis vel aereis vel pictis subiiciebantur. Haec χαριστήρια, scilicet donaria pro gratiarum actione, dicebantur, de quibus erudite Iacobus Philippus Tomasinus de Donariis ac Tabellis Votivis Cap. I.

EX IMP. Hoc est: EX IMPERIO. Vota Diis nuncupabant ac solvebant veteres, vel ex eorum imperio, iussu, monitu, vel etiam ex visu; quae rituales formulae in sexcentis votivis tabulis veterum Ethnicorum, apud eruditos antiquarios iam editis, leguntur.


De Templo cultuque Deae FERONIAE differit Fabrettus Inscriptionum antiquarum Cap. VI. pag. 452. qui censet eamdem esse ac Iunonem. In templo eius Liberti, raso capite, pileum, libertatis insigne, accipiebant. Fuit enim tutelaris Dea Servorum, qui quum libertatem in eius aede recepissent, eius altaria templumque donis cumulabant. Id testatur Livius Lib. XX. Cap. I. & Servius in Lib. VIII. AEneidos vers. 564. quae quum iam nota sint, praetermittimus. Cultus huius Deae ab Etruscis & Sabinis ad Romanos manavit, ut ostendi ad Tab. XXVI. Musei Etrusci, Tom. II. pag. 85. 86. Ingenuos quoque viros ei donaria consecrasse ostendit altera apud Fabrettum inscriptio Cap. VI. num. 69. idque non solum ab ancillis, ut supra vidimus, sed etiam ab ingenuis feminis factum docet haec tabula, quam accepi a viro humanissimo D. Michaele Angelo Corsio, Olivetani Ordinis Abbate,

re-

rerum antiquarum ſtudio impenſe dedito. VENETEIA familia nondum antiquariis cognita, nunc primum e tenebris vetuſtatis in lucem emergit.

In lapide arenario, apud Faeſulas effoſſo, anno CIↃ. IↃ CCXXXVI. *in loco dicto* la Rocca di S. Apollinare, *in praedio Antonii Bucetti: nunc in meo Muſeo exſtat.*


20



20. Duas familias huiuſce lapidis auctoritate, reliquis Faeſulanorum, quas enumeravimus in Par. II. pag. 87. adcenſemus, *Tulliam* & *Vetiam*. In ſecunda & tertia linea, quadratarius ſpatiis excluſus iniquis, non potuit co-

cognomen Tulli & Vetii integrum ſcribere; ſed legendum eſt, ut manifeſte adparet, C. TVLLIO IVSTO C VETTIVS CHRYSOGONVS. Uterque diverſo patre nati; nam filii nomen familiae patris ſervant. Characteres huius lapidis ſunt elegantiſſimi. Hunc mihi ſingulari humanitate dono dedit V. C. Joannes Targionius Medicus Florentinus, Magni Ducis Etruriae Botanicus, Hortorumque Societatis Botanicae Praefectus, qui in locum Celeberrimi Petri Antonii Michelii (heu nuper celeri fato nobis erepti) ſuffectus eſt. Eo in loco, ubi effoſſus eſt hic lapis, inventus eſt etiam lapideus ſarcophagus, nullis ornatus figuris: ex quo patuit Sepulcretum hypogaeum ibidem antiquitus fuiſſe.

Ibidem erutum etiam hoc fragmentum tituli ſepulcralis ex lapide arenario.

21 


Eodem anno, Faeſulis in platea prope Eccleſiam Cathedralem, eruti ſunt tubi plumbei, quos veteri aqueductui inſerviſſe cenſuimus.

Tres cippos emortuales in lucem edidi in Parte II. Inſcriptionum antiquarum, pag. 116. & 118. num. 4. 5. & 6. qui ad priſcos Faeſulanos pertinent. Sed quia ipſemet non ex prototypis eos exſcripſeram, nonnullae maculae irrepſere, quas nunc delere opere pretium eſt. Hi ex arenario lapide, Faeſulanis familiari, quo etiam abundant, maxime conſtant. Olim exſtabant in domo cuiuſdam Canonici Faeſulani; nunc vero Florentiae reperiuntur in aedibus Cl. V. Ioſephi Mariae Brocchii


S. Th.

S. Th. D. & Florentini Seminarii Moderatoris eximii, qui quum eos ſub dio iacere, frigori & pluviis obnoxios vidiſſet, a celeri interitu, pretio comparatos, vindicavit; quique, ut eſt humaniſſimus, veterumque monumentorum, quibus ſacram huius patriae Hiſtoriam egregie illuſtrat, ſtudioſiſſimus, ut ex archetypis exſcriberem, deletis mendis, peropportune me admonuit. Altitudine fere tres Romanos pedes aequant.

22



23



23. B. M. P. Hoc eſt: *Benemerenti poſuit*, vel uti in aliis inſcriptionibus; *bene meritae poſuit*. Inferius cernitur quaedam minus anguſta, ut ita dicam, baſis, ſubiecta poſt coronidem: ita enim in terreno ſacro Diis Manibus, commode huiuſmodi Cippi infigebantur.


24



24. Hoc eſt: *Diis Manibus*, *Lucio Terentio Fido & Noviciae contubernali eius*, *Collegius Compitalicius*. E familia *Collegia*, quae nota eſt antiquariis ex inſcriptionibus editis in Gruteriano Theſauro pag. DCCCLV. 12. DCCCXC. 5. praeſertim vero pag. MCXLIV. 6. in qua legitur T. COLLEGIVS EPAPHRODITVS, cognomen hic Collegius Compitalicius accepit, a Compitalibus feſtis ludiſque, quae per compita celebrabantur in honorem Deo-

Deorum Larum sive Deorum Infernorum, seu, ut aliqui volunt, inferiorum, quasi minutorum, sive inferioris ordinis; de quibus differit Macrobius Saturnalium Lib. I. Cap. VII. In his festis, quae ab Etruscis originem habuisse videntur, pilae, effigies viriles & muliebres ex lana suspendebantur in compitis, ut docet Festus pag. CLXIV. in honorem eorumdem Deorum; totque ponebantur quot capita servorum, totque effigies, quot essent liberi, ut vivis parcerent, & essent his pilis & simulacris contenti.

Sculpta sunt in hoc Cippo ornatoria instrumenta muliebria; in superiore parte, quod raro occurrit, armilla & calamistrum, sive acus, qui ferreus erat, eoque candente crines crispabantur & vario ornatu disponebantur. Armilla circularis pura est, quam brachio vel dextro vel sinistro in pericarpiis feminae gestabant. Armillas ornatiores, puta aureas, serpenticuli conficiebant, uti hoc liquet exemplo insignis armillae aureae, quae exstat in Museo Etruscorum Academicorum Cortonae.



In parte Cippi inferiore pecten, discerniculum & speculum sculpta sunt. Hisce instrumentis interdum in sepulcralibus anaglyphis non raro accedunt vascula unguentaria, vel odorati olei ampullae, & calcei, ut in ara Musei Medicei, quam vide in Parte I. pag. 10. n. 5. De his mulierum instrumentis ad comendum caput, vide

Stanislaum Kobierzyckium de Luxu Romanorum Cap. VI. & VII.

In reliquis duobus Cippis nullum ornamentum notandum supereſt, niſi roſae inter D & M poſitae, quae indicant veterum conſuetudinem ſpargendi roſas in funeribus & in ſacris Deorum Manium; quod ut fieret quotannis, reditus etiam ex pecuniis teſtamento adſignabant, quod in ſaxis frequenter expreſſum legitur. Maximus etiam in conviviis luxus roſarum, quas coronis plexilibus & pectoralibus innectebant: idque faciebant non ut odore ſolum recrearentur, verum etiam ut funeris memoriam ante oculos habentes, genio ſuo facilius lubentiuſque indulgerent: quorum dementia in ſacris Paginis a divina Sapientia merito irridetur Cap. II. verſ. 21. Eorum mutuas, inſanas quidem, exhortationes adfert D. Paulus in prima ad Corinthios Cap. V. v. 32. *Edamus & bibamus; cras enim moriemur*. Quo etiam facilius inconſtantiae & brevitatis vitae monerentur, in conviviis larva adferebatur, ſeu mortui hominis calvaria & ſceletus: quod facile ab AEgyptiis habuit originem; qui, ut auctor eſt Plutarchus in convivio ſeptem Sapientum, oſſeum cadaver poſt epulas proponere conſueverunt. Id quam frequentiſſime a Romanis uſurpatum docet Petronius Arbitrer in Satyrico Cap. XXXIV. *Potantibus*, inquit, (Opimianum vinum) *& accuratiſsimas nobis lauticias mirantibus, larvam argenteam attulit ſervus ſic aptatam, ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur. Hanc quum ſuper menſam ſemel iterumque abieciſset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adiecit:*

Heu, heu nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet eſse bene.

Ubi vero larvae non ſuppetabant, cranium mortui hominis in menſa adponebant, & manibus verſabant, vel e triclinio ſive ſtibadio in eumdem illum finem ſuſpen-

ſpendebant. Neque in conviviis tantum ingeſta mortis recordatio, ſed etiam in ludis ceteriſque voluptatibus, ut largius his indulgerent. Id perſpicue declarant gemmae anulares cum ſceleto, amphora & corona, adpoſitaque bulla, quibus humanae vitae caducitatem deſignabant; ac praeter figuras & ſymbola litterae etiam in gemmis inciſae, ut in illa eximia, olim exſtante in Muſeo Petri Andreae Andreinii, quam in lucem edidit & illuſtravit Ampliſſimus Senator Philippus Bonarrotius in Obſervationibus ad Vaſa vitrea Coemeterialia Tab. XXVIII. Fig. 3. pag. 193. in qua ſcriptum ΚΡΩ ΚΤΩ hoc eſt *utere*, *poſſide*: nimirum, fruere bonis, quae poſſides. Lubet etiam e meis Cimeliis adferre gemmam anularem pulcherrimam, in qua, litteris ex albo colore exſtantibus, ſculpta eſt Sardae huiuſmodi Graeca epigraphe; ſuperne vero hominis calvaria, inferius menſa tripes, dapibus referta.



25. Singula ſic diſponenda: Πῖνε λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκεισο ἄνθεα τοιοῦτοι γεινόμεθα ἐξαπίνης. Hoc eſt: *Bibe dicit ſcul-*

ſculptura atque ede & redimere floribus: tales evadimus repente. Deſideratur in hoc fragmento corona e floribus contexta. Huc facit vetus epigramma, quod occurrit in Anthologia Lib. II. Cap. XLVII. num. 7. 21. 39. inter Convivalia.

Huc ſpectant convivales adclamationes, quae in gemmis inſculptae non raro leguntur, ut in ſequenti Onyche, qui apud me exſtat, in aureo anulo inſerendus.

26



Occurrunt etiam adclamationes nuptiales, & amatoriae ſalutationes in litteratis gemmis, quarum non parva copia eſt in Florentinis Cimeliothecis; eas, ſi otium eſt, vide a me editas in Vol. II. Muſei Florentini pag. XXXIV. Nec ſolum in litteratis gemmis, verum etiam in aereis ſigillis, quibus veteres domeſticam ſupellectilem obſignabant, huiuſmodi acclamationes VIVAS. VIBAS leguntur, quorum exempla exhibuimus in Par. II. Inſcriptionum antiquarum, quae in Etruriae Urbibus exſtant pag. 439.

27 *In anulo aureo in Muſeo Bonarrotio.*

BONIFATI VIVAS

In Cameo ex Sarda, utrimque litteris ex albo ſcriptis in medio coronae, exſtat in Muſeo Riccardio.

28 ADEODATAE
ANASTASIA
][
POSTVMIANI
GALLA VIVA
TIS

Quod

Quod nunc primum adferro marmoris anaglyphice ſculpti fragmentum, exſtat apud eumdem V. C. Ioſephum Mariam Brocchium. Faeſulis, ubi nuper malo quodam fato latiabat in quadam domo, effoſſum eſt.

29



Tropaeum exhibet; cuius laevo arboris trunco ſuſpenſa viſuntur arma, quae propria Equitis Singularis ſunt, nimirum parma duplex, haſta & gladius. Sub ipſo tropaeo cernitur Equitis barbati caput (temporibus Antoninorum vel potius Septimii Severi haec ſculptura adſignanda videtur) qui tropaeum dedicavit Marti, vel Iovi vel Iunoni, & ſi mavis etiam Dianae, quibus tropaea a victoribus militibus dedicabantur. Eadem tropaea, ſumma religione adorari ſolita, iam alibi adnotavimus: arma vero ſuſpenſa ſacris taeniis ac vittis

tis religabantur arborum truncis, maxime vero querneis. Suspicari igitur facile possumus, hoc fragmentum indicare tropaea Numini tutelari Faesulanorum, nimirum Marti, ut vidimus, Equitem Singularem, cuius imaginis caput tantum superest in hoc marmore, dedicasse, ac titulum etiam addidisse, qui intercidit. Si qui vero sint, qui votivi donarii fragmentum minime esse posse censeant, statuendum erit sepulcri emblema esse; nam constat, veteres sepulcra strenuorum ducum ac militum armis & tropaeis ornasse; quod ex Sarpedonis sepulcro apud Homerum, Pallantis apud Virgilium, aliisque in omni vetustate clarissimis exemplis exploratissimum est.

Complura vetustissima, eaque insignia monumenta olim Faesulis exstitisse, minime dubitandum est. Ea temporum iniuria incuriaque hominum periisse, vel igne aut ferro deleta, maxime dolendum. In Museo Etrusco Tabula V. in lucem protuli antiquissimum ANCHARIAE Deae signum ex aere, quod Faesulis repertum, qui dederat, testatus est. Deorum simulacra Etruscis litteris insculpta, uti mos fuit Etruscorum, qui hac in re, ac paene in omnibus, mortalium primos AEgyptios imitati sunt, Faesulis eruta, easdemque litteras summum virum Petrum Victorium interpretatum esse, perspicue declarat Sebastianus Sanleolinius egregius Poëta & I. C. Florentinus, in eo libro Florentiae edito anno MDLXXVIII. typis Georgii Mariscotti, quo lectissimis Epigrammatis gesta Serenissimi Cosmi Medicis Primi, Etruriae Magni Ducis, complexus est. De his enim priscae vetustatis monumentis meminit Lib. II. pag. 47. Ex his nonnulla doctorum virorum cura e teterrima temporum clade erepta sunt; eaque in Museo Bonarrotio etiam nunc visuntur; inter haec Miles Etruscus arenario lapidi incisus, cum litteris Etruscis, cuius iconismum vide inter monumenta Dempsteriano Operi addita Tabula LXXII. num. 2. Tom. I. pag. 389.

Ibi-

Ibidem etiam exſtat ſtylobata, in quo vir perſonatus Aſcoliorum ludum agit, cuius iconiſmum ſupra vide in Par. II. pag. 106.

IN ACADEMIAM LINGVAE ETRVSCAE
A M · COSMO FLORENTIAE INSTITVTAM
EPIGRAMMA


Doctiſſimo PETRO VICTORIO Patricio Senatorique Florentino adſcriptum.

Eruta Faeſuleis ſtant aenea ſigna ruinis,
Etruſcae docto carmine preſſa notae:
Id pater invertit VICTORIVS *ante Latinum:*
Alterno impreſſit mox bonus aere Myron.
TYBRI *quid inſultas? Fratrem quid Marte laceſſis?*
Tuſcave quid ſubdis libera colla iugo?
Sive (quod eſt gravius) patrias dediſcere voceis,
Scribere, tumque loqui verba aliena iubes?
Fiet uterque labor labentibus irritus annis:
LIBER *erit Tuſcus, nec tua verba loquens.*
O mea converſis laetabere Tuſcia Fatis:
Vique tibi ablatus ſponte redibit honor:
Partaque LIBERTAS, *precioque redempta, ſuique*
Effectos Tuſcos iuris, ab imperio
Eximet externo; & collectis rebus in unum
Auctius antiquo proferet Imperium.
Surget & Etruſcae rurſus nova gloria Linguae,
Gratior & priſcis candidiorque notis.
Ditior Argolico, Latio & ſermone, boniſque
Artibus hoc verſis ore ſuperbus erit
ARNVS: *& excelſi non inviſurus honori*
Tybridis, ipſe etiam Bella Duceiſque canet.
Diſcendi ſtudio Florentibus advena Terris
Extera gens Linguae capta lepore fluet.
MAGNVS *& Etruſcus Tuſcae delubra Minervae*
Ponet; & Aedituis ſacra colenda dabit:

Tum Florentini longo ac laeto agmine Cygni
Carmine Tyrrhenum nomen ad aſtra ferent.
Eque Palatino certatim monte Quirites
Etruſco Phoebo thura preceiſque ferent.
Credite: Tireſiam nil fallunt poſtera: Phoebus
Romuleo & Graio par quoque Tuſcus erit.

In agro Piſano, in Caſtro Novo Miſericordiae, in marmore alt. ped. Rom. II. *& lat. ped.* I. *& unc.* IV.


30



30. Hunc e Barberinis Schedis, procul dubio Donianis, quas in Bibliotheca recondidit Ioannes Baptiſta Donius, Patricius Florentinus, edidit Fabrettus Cap. IV. n. 47. & Florentiae reperiri ſcripſit. Hunc diligenter exſcripſit Nobiliſſimus Vir Thomas Albizius, a quo perhumaniter accepi.


In

In fronte Ecclesiae S. Bartholomaei de Putigniano, in Suburbano Pisarum, secundo fere ab Urbe lapide; in marmore elegantibus maioribusque litteris ita scriptum.

31

IAE · AVG · MATRI · A
AST · ET · SENAT · ET · PI

31. Non longe ab hac Ecclesia adhuc visuntur rudera & vestigia antiqui cuiusdam aedificii, e quo probabile est hoc marmoris fragmentum translatum fuisse: quod ita facile interpretatur: IVLIAE. AVG*ustae*. MATRI A*ugustorum*. Matri cAST*rorum* ET. SENAT*us*. ET. P*atriae*. Ea est Iulia Domna Imperatoris Septimii Severi uxor, mater M. Aurelii Antonini, cognomento Caracallae, & Antonini Getae Caesarum. Pisanos non solum Hadriano, verum etiam Antoninis maxime devotos fuisse, iam alibi indicavimus.

Ibidem, sed in utroque margine fractum marmor.

32

N · OCTAVIO · C
LVPERCO
N · OCTAVIVS ·
EPITVNCAN
PATER VIVOS
ECIT SIBI · ET · SV
T · ANNÆIAE · Q
QVARTAE · VX
N FR · PED ·
N AGR · PED

32. Has inscriptiones diligenter exscripsit atque humanissime ad me misit Nobilissimus Comes Ioannes ex Comitibus Guidiis, ex Equestri Ordine D. Stephani.

Senis, in Aedibus Nobb. Sanſedoniorum.

33.

M · FONTEIO · C · F ·
SAB · BALBO
ET TITIAE · Q · F ·
∴ERTIAE VXSORI FILI
POSVERVNT EX
TESTAMENTO PATRIS

33. Titulum hunc ſepulcralem, cum Cinerario Etruſco & operculo Urnae Etruſcae, deſcriptum delineatumque ad me miſit Vir Splendidiſſimus Ioannes Sanſedonius, Patricius Senenſis, cuius in praediis haec monumenta nuper inventa ſunt. Fonteia gens plebeia fuit, cuius nummos exhibet F. Urſinus.

In Parte I. Inſcriptionum antiquarum in Etruriae Urbibus exſtantium pag. 316. n. 64. pervulgavimus inſignem illam tabulam marmoream, in aedibus Nobb. Rodulphiorum adfixam, in qua natalis dies Augusti & Tiberii Caeſarum, & Liviae quotannis divinis honoribus ludiſque celebrari in perpetuum decretum eſt. Florentiae erutam plures auctores adfirmarunt, quos indicavimus. Omiſimus Petrum Victorium virum doctiſſimum, qui eam ad epiſtolam tertiam inter familiares Ciceronis Lib. VII. illuſtrat, ac ſe vidiſſe ita teſtatur: *Antiquus Florentiae lapis eſt, in quo hoc nomen* (nempe COS non COSS.) *eodem pacto ſcriptum invenitur:*

TI · CAESARE · TERT · GERMANICO · CAESARE · ITER COS ·

Continet autem quaedam, quae ad hiſtoriam pertinent, & ſane cognitu indigna non ſunt. De quo eo libentius mentio-

tionem feci, quod qui ea quae in lapidibus leguntur, in volumen redigerunt, & Epigrammata antiquae Urbis, *inſcripſerunt, truncum illud incertumque adpoſuere: in privata autem domo parieti adfixum eſt, non longe a Porta, quam D. Galli vulgo appellant.* Haud igitur dubium eſt pertinere ad Coloniam Florentinorum, in qua tunc cum divini honores decreti ſunt, Duumviri fuere Cn. Acceius Rufus Lutatius, Arnenſi Tribu cenſus, & T. Petillius. Non ſolum in Scaptia, verum etiam in Arnenſi Tribu Florentinos cives adſcriptos ſuffragii ius habuiſſe, aperte declarat lapis militaris ab Ughellio adlatus in Italia Sacra, ubi de Florentina Eccleſia agit, pag. 6. noviſſimae editionis Venetae, quem exſtare adfirmat in via Caſſia ad tria Tuguria.

L · ACRISCHIO · L · F · ARN ·
ACTHO · FLORENTIA
EVOKATO · TITI · AVG · MIL · LEG
XXI · MINER ·
MILIT · ANN · XXXVI · VIX
ANN · LXXIX ·
M · ACRISCHIVS · L · F · ARN ·
SABINVS
T · F · C

En alium lapidem, Romae exſtantem apud Cardinalem Caeſium, quem profert Fabrettus ex Schedis Vaticanis Cap. IX. n. 154. ex quo diſcimus T. Flavium Felicem Florentinum, Titi Veſpaſiani Imperatoris Veteranum militem fuiſſe, ac Romilia Tribu cenſum.

DIS

DIS · MAN · S
L · DAMARIONI · L · F · ROM
GENIANO
EVOKAT · AVG · IN · PRAET
VIX · ANN · LVIII · M · IIII
D · XIII
H · S · E
T · FLAVIVS · T · F · ROM · FELIX
FLORENTIA ·
VETER · AVG · N · T · VESPAS
FRAT · PIISSIM · F · C
IN · F · P · VI · IN · A · P · IV

Dum haec ſcriberem, opportune pro ſua in me ſingulari humanitate, hos titulos elegantiſſimos mihi dono dedit V. C. Franciſcus Ficoronius, omnibus antiquariae eruditionis cultoribus notus, quibus meum Muſeum exornavi.

34

M · VISPANIVS
NARCISSVS
ROGATOR · AB · SCAENA

35

P · VINICIVS
P · L · LACES
COMOED · V · AN · XXXI

34. Qui fuerint ROGATORES AB SCANA, diſerte explicat in eleganti opere nuper edito de Scaenicis Perſonis veterum Romanorum Cap. LV. idem amiciſſimus Ficoronius, adducta Plutarchi auctoritate, qui memorat, Lucullum rogatum, ut praeberet ſcaenicas veſtes centum; non centum, ſed ducentas commodaſſe. Idem exemplum adfert & amplificat Horatius Lib. I. Epiſtola VI. verſ. 40. ubi ridet eos, qui multos ad magnificen-

ficentiam ſervos alebant, & qui copioſam habebant inutilemque ſupellectilem, tineis furibuſque paſcendis idoneam.

——————— *Chlamydes Lucullus, ut aiunt,*
Si poſset centum ſcaenae praebere, rogatus:
Qui poſsum tot? ait: tamen & quaeram: & quot habebo
Mittam: poſt paullo ſcribit, ſibi millia quinque
Eſse domi chlamydum: partem, vel tolleret omnes.

Igitur fuere miniſtri, qui iuſſu Praefecti ludi Scaenici, veſtes pro ſpectaculis rogabant, & commodatum accipiebant. Si quid mihi erit aliquando otii, Theatrales omnes antiquas inſcriptiones in unum corpus colligere & obſervationibus illuſtrare, mihi in animo eſt.

36

L · AXIVS
DAPHNVS
CHORAVLES

37

TYRANNVS
NOMENCLAT
POTITI · MESSALLAE

36. CHORAVLES is erat, qui in theatralibus ludis tibia canebat. Tibiarum uſum in ſpectaculis Romani ab Etruſcis didicerunt. NOMENCLATORIS ſervi munus fuit nomina obviorum ſuggerere dominis, vel ut eos cognoſcerent, blandeque exciperent, vel ſalutarent. Hinc Plinius Lib. XIX. Cap. II. *Alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoſcimus, aliena memoria ſalutamus, aliena vivimus opera.* Id ipſum etiam hodie apud otioſos quosdam divites durat.

38

P · ARRENVS · P · L · L · QVIRINIVS
FORTVNATVS TVSCVS

39

GENIO
PLEBEI

39. Genii adſignati Plebi, nulla fit mentio in editis inſcriptionibus apud Gruterum, Reineſium & Fabrettum.

tum. Genii Populi Romani frequens mentio in vetustis saxis & in nummis.

DIS · MAN · SAC ·
IVLIA EVTYCHIA
VIX ANNIS · XX
L · CALPVRNIVS · MELICERTVS
CONIVGI · CARISSIMAE · B · M · F ·
DE QVA · NIHIL · DOLVIT · NISI · MORTEM

D · MARIVS · Ɔ · L ·
EXORIENS
V · A · XXXV
HVNC · LEGES · LETI · PREPOS *sic*
TERE ERIPVERE
MATRI · QVAE VT ANNIS
MORTI · QVOQ · ESSET PRIOR

D S · M
AVRELIA ſECV
NdA ARIſToLAo
MARITO CARISSI
MO dVLCIſſIMO
BENEMERENTI CVN
QVO VIXI ANNIſ XXV
M · VI. DIEBVS VIII

LOCVM · C · CALVISI
BACCHI · SIBI · ET ·
FRATRI · ET · AMICIS

ANTONIA SALVIA
MATER
L · PONTI · ACTARI

A · METILIVS · A · L ·
PALLAEVS

VMBRIAE
M · L · STACTENIS

P · CoRNELIVS
Ɔ L
IANVARIVS

HOSTIA
M · L · SOTERIS

In

40. DE QVA NIHIL. DOLVIT. NISI. MORTEM. Supplendum EIVS. Non raro in ſepulcrorum titulis hae clauſulae doloris, mutuique adfectus coniugum, itemque parentum in filios leguntur. In alio titulo, qui exſtat in Muſeo Suburbanio Strozio, vir coniugis ſuae fato functae deſiderium ita teſtatur: NIHIL. DOLVI. NISI. QVoD ME RELIQVID. hoc eſt RELIQVIT. Vide in Parte I. huius operis pag. 413. num. 247. In alio lapide Muſei Corſiniae Gentis Principum, ibidem pag. 149. num. 61. FILIVS. FACERE. QVoD. DEBVERAT. PATRI. MORS. INIQVA INTERCESSIT. FILIO FECIT PATER. Fabrettus impatientis doloris clauſulas adnotat in pluribus inſcriptionibus, quas adfert Cap. III. pag. 236. & in hac, pag. 237. num. 633.


TI. CLAVDIO. NICIATI
VIX. ANN. XII. M. X. D. XX. ET
CLAVDIAE NICE
VIX. ANN. II. M. XI. D. XXIII
CLAVDIA. AGAPOMENE
FILIIS. SVIS. INFELICISSIMIS. QVI
ETATE. SVA. NON. SVNT. FRVNITI
FECIT. MATER. SCELERATA. ET. SIBI. ET
LIBERT. LIBERTAB. Q. POST. Q. EORVM

Aliud exemplum habes in titulo, qui conſequitur num. 41.

42. D. S. M. Adnotanda perrara poſtpoſitio formulae dedicationis conſuetae. *Diis ſacrum Manibus*. Eo etiam mihi carior gratiorque eſt hic titulus, quia figurae litterarum ac praeſertim ſ nempe S adamuſſim exprimunt characteres, quibus Florentinarum Pandectarum venerandi Codices exarati ſunt, & in Florentino Magni Ducis Etruriae Gazophylacio religioſiſſime adſervantur.

E In

In marmoreo Sepulcro, in quo duo loculi intus excavati sunt; in utroque angulo Genius sculptus est, aviculam in sinu fovens; sub utroque titulo Genii ludentes, hinc inde Sphinges; titulos dividit columella, cui imposita persona passis capillis: exstat in meo Museo.

49 

49. Hoc parvum sepulcrum, sive bisomum (nam longitudine duos Romanos pedes aequat, unum vero altitudine) in duos loculos, medio interiecto marmoreo pariete, dispertitum est, ut in eo conditi tum patris tum filii cineres, seorsim conquiescerent, proprioque titulo responderent. Interdum veteres cavebant, ut ossa & cineres simul in eadem urna una coniicerentur & commiscerentur; cuius fidei mutuique adfectus testimonium habemus ex lapide Musei Suburbani Strozii, quem produximus pag. 420. num. 274. quem si otium est vide in Parte I. huius operis. Saepe numero in antiquis titulis mentio fit *bisomi*, *trisomi* & *quadrisomi*; in quibus, quum sepulcrorum magnitudo humandis corporibus non respondeat, dubio procul credendum est in his non corpora, sed cineres conditos fuisse. Elegantissimum hoc sepulcrum tamquam perenne humanitatis atque amoris erga me sui argumentum mihi dono dedit Illustrissimus ac Reverendissimus Praesul, D. Joannes Lucius, Collensi urbe oriun-

oriundus, Patricius Florentinus, Baptiſterii idemque Baſilicae Florentinae S. Joannis Praepoſitus, eximiis meritis ac virtutibus ornatiſſimus, qui illud item dono accepit a ſplendidiſſimo Viro Antonio Taglia, Patricio Collenſi Equite D. Stephani; cuius in praediis in agro Collenſi inter Florentiam & Senas, (locus dicitur *ad Scarna*) paucis ab hinc annis inventum eſt, dum ruſticus terram circa rudera quaedam effoderet; quo etiam in loco aurea numiſmata inventa, & parietes lapidibus quadratis exſtructis, & tectorio opere inductis, qui quadrata forma aedificium conficiebant; in ſingulis vero erant maiores loculi, vulgo *nicchie*, phrygio opere, quamquam rudi, exornati; qui, quum adhuc ſuperſint, indicant vetuſtiſſimum hypogaeum ſive defunctorum conditorium fuiſſe. In Collenſi agro eruta quoque ſunt veterum Etruſcorum monumenta, cryptae litteris Etruſcis inſcriptae, quae curante Ampliſſimo Senatore Philippo Bonarrotio editae ſunt in Dempſteriano Opere. Idem vigilantiſſimus Praepoſitus Lucius complura mihi oſtendit veterum Deorum Etruſcorum ſigna ex aere, quae in Collenſi agro nuper eruta ſunt, e quorum numero aliquot mox ſeligam, quae lucem deſiderant.

Marmoreus Titulus ſequens, olim Neapoli in Muſeo Andreinio, nunc in meo exſtat.


D · M
M · COCCEIO
ZOSIMO · IVN· *ſic*
IA · PHILVMENE
CONIVGI · B · M · VIX·
AN · XXVII · M · III ·

 Flo-

Florentiae, in Museo Riccardio exstant, quae heic nunc primum in lucem proferuntur inscriptiones.

In arcula marmorea, cuius operculum, alteri arculae inservisse videtur. In eo sculptum est bucranium coronatum, hinc simpuvium, hinc patera. Titulus vero, cuius latera rosae seu flores quadrifolii exornant, ita se habet.

50



50 CONLACTIVS. Idem significat hoc vocabulum ac CONLACTANEVS & CONLACTEVS, συγγάλακτος, σύντροφος, quae non raro occurrunt in vetustis titulis sepulcrorum: item Machabeorum Lib. II. Cap. IX. vers. 29. Actorum Apostolorum Cap. XIII. vers. I. *Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae & doctores, in quibus Barnabas & Simon, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchae collactaneus, & Saulus.* CONLACTIVS igitur is, qui iisdem mammis nutritus est, vel simul educatus.

Ibidem; in Urna marmorea utrimque ansata, ovalis figurae, operculo clausa, in qua ossicula & cineres inventi sunt.

51

D M
MAECENATIAE · IANVARIAE
TI CLAVDIVS · POLYCARPVS
CONIVGI · BEN · MER · FECIT

Ibidem; in Urna marmorea, ovalis figurae, quam pro manubriis utrimque aquilae exornant.

52 P· AEL· RVFINVO *sic*
FRVM· LEG· VII CL
In eius basi
HEREDES FECERVNT

52 Hoc est: *Publio Aelio Rufino, Frumentario Legionis Septimae Claudiae, Heredes fecerunt*. De Frumentariis Legionariis alibi nonnulla adnotavi. Altera quoque Urna marmorea perelegans exstat in eodem Museo, ovalis figurae & striata, sed absque titulo.

Florentiae, in fodiendis fundamentis Florentinae Arcis anno MDXXXIV. III. *Non. Julias, inventae sunt sequentes Inscriptiones, quae periere.*

53

D · M
T · MAMILIO
CASTO
MAMILIA
ADIECTA
FECIT
CONIVGI
BEN · MER ·

54

V · D · M · F ·
EVPHROSYNVS
ZOSIMENI
CONSERVAE
BENE
MERENTI

In-

Inventa quoque ſunt aerea numiſmata, cum his litteris.

I. L · CAESAR DIVI AVG · F · AVGVSTVS IMP · VIII.

In poſtica TIB · POTEST · XXIIII ·

PONTIF · MAXIM · S · C ·

II. Item SALVIVS OTHO III VIR · S · C ·

III. Item L · SVRDINIVS III VIR S · C · Haec exſcripſi ex Schedis, quae apud me exſtant, &, ut mihi videtur, conlatis characteribus, celeberrimi viri Fulvii Urſini manu conſcriptis. Complura, quae olim apud nos exſtabant vetera monumenta, Florentinorum Coloniae eximia decora, ab interitu & oblivione vindicarunt egregii viri Petrus Victorius, Borghinius, aliique; ſed plurima maiorum noſtrorum incuria perierunt, in calcem redacta & in ſubſtructionibus proiecta, quod pluribus exemplis, quae nobis legentibus horrorem iniiciunt, oſtendit praelaudatus Vincentius Borghinius, ubi diſſerit de origine Florentiae. Idem fatum, ſua quoque tempeſtate ſaevum & miſerandum, doluit ingenueque teſtatus eſt Frater Ioannes Iucundus Veronenſis in Epiſtolis, quas praepoſuit veterum Inſcriptionum Syntagmati, quas utpote ineditas, operae pretium me facturum duxi, gratiamque eruditorum initurum, ſi heic in medium eas proferrem; quod eo lubentius facio, quia ſaepius huius egregii operis memini in meo Commentario ad Columbarium Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae ac Caeſarum, & ad Donianas Inſcriptiones, atque alibi ſaepenumero. Codex ille numbranaceus elegantiſſime ſcriptus, olim in Bibliotheca ſua adſervabat Cl. Antonius Franciſcus Marmius, Eques D. Stephani; nunc exſtat in Bibliotheca Magliabechiana, cui librariam omnem ſuam ſupellectilem idem Marmius Eques, nuper fato functus, publico bono, teſtamento legavit.

FRA-

FRATER IOANNES IVCVNDVS
VERONENSIS
REVEREN. IN CHRISTO PATRI, ET DOMINO,

D. LVD. DE AGNELLIS
MANTVANO

Divini muneris gratia Consentino Archiepiscopo.

Sal. P. D.

„ PRisca Urbis Romae facies, venerande Pontifex, „ adeo est immutata, ut quae in veterum Aucto- „ rum libris legimus, vix intelligere possimus: atque „ illi ipsi qui meliores se rerum priscarum inquisitores „ existimant, saepenumero minus scire comperiantur: „ praesertim quia auctores, qui haec scriptis mandave- „ re, adeo mendosi & corrupti sunt: ut ipsi semet non „ recognoscerent si ad has auras iterum remearent. „ Quin etiam etsi incorrupti habentur, haudquaquam „ satis nobis usui essent, nisi & nos videremus quae „ ipsi viderunt. Ruinae tamen ipsius Urbis multae „ exstant: ex quibus item novae ruinae in dies fiunt. „ Quamobrem difficile est de epigrammatis, ceteris- „ que quae supersunt Romanis reliquiis, certi aliquid „ adferre; earum maxime, quae mole non sistunt aedi- „ ficiorum. Nam, quae hodie sunt in Circo Flami- „ nio, cras in Tarpeio colle invenies, atque utinam „ non in fornace potius, vel rusticae domunculae basi. „ Quod enim ab diligente olim in conspicuo loco posi- „ tum fixumque fuit, ab negligente, & antiquitatis „ minime studioso mox erutum, & in frusta disiectum, „ equorum pedibus calcari, conterique animadvertes. „ Saepe itaque huiusmodi oculis obiectum specacu-

lum,

„ lum, ad varia rerum priſcarum indaganda monumen-
„ ta tenue hoc meum movit ingenium; ne memorias
„ maiorum noſtrorum poſtremo quaſi excidio deperire
„ per ignaviam viderem. Ad quam rem conficien-
„ dam, cum neque opes, neque facultas ſatis ſuppete-
„ rent: animum applicui ad ea dumtaxat quae inge-
„ nio, vigiliis & induſtria, abſque ſumptu & impen-
„ ſa fieri poſſe arbitratus ſum: quaeque potentum men-
„ tes ſua pulchritudine, & bonitate excitare poſſent:
„ Inter quae Epigrammata pleraque collegi, quae tuo
„ auſpicio aeterna fieri ac poſteritati tradi poſſint: quo-
„ rum marmora aeneaeque tabulae in horas franguntur,
„ tur, funduntur, pereunt. Memoria me tenet multa-
„ rum rerum, quas ipſe vidi, quaſque conſulto praete-
„ reo, ne mihi lacrymas tibique antiquitatis obſervan-
„ tiſſimo excutiam: referam tamen quae ab aliis acce-
„ pi. Nam praeter circos, theatra, amphitheatra,
„ thermas, templa, arcus, columnas, porticus, areas,
„ mutatoria, nymphaea, balnea, capitolia, atria,
„ ſacella, aedes, aediculas, palatia, cohortium excu-
„ bitoria, macella, lacus, inſulas, bibliothecas, hor-
„ rea, piſtrina, pontes, fora, aquaeductus, coloſſos,
„ naumachias, ſepulchra, pyramides, obeliſcos, col-
„ les, campos, hortos, moenia, portus, vivaria, vias,
„ cellas, ceteraque huiuſmodi loca & aedificia, quo-
„ rum aliqua ita evulſa ſunt, ut non modo eorum pars
„ ulla videatur, ſed nec ubi fuerit cognoſcatur. Ali-
„ qua vero non ſine maximo animi dolore tempeſtate
„ hac noſtra deſtrui vidimus: ſunt qui affirment ma-
„ gnos ſe calcis cumulos ex ſolis epigrammatum frag-
„ mentis vidiſſe congeſtos. Nec deſunt qui glorientur
„ totius ſuae (& latae quidem) domus fundamenta
„ ex ſolis ſtatuarum membris iacta eſſe. Quid eſt quod
„ non diras imprecemur his ſanctae vetuſtatis violato-
„ ribus? Scinderent alia, comburerent, abſumerent:
„ epigrammatis ſaltem, & ſtatuis parcerent, quae ma-
„ io-

„ iores nostri tanto artificio ac dignitate elaborata re-
„ liquere. Nam quid in illis, Venerande Praesul, ar-
„ gutiae, brevitatis, elegantiae, orthographiae; in istis
„ symmetriae, perfectionis, gratiae, maiestatis fuisse
„ existimas, cum pauca, quae nostros non effugerunt
„ oculos, tantam de se excitent admirationem, & pri-
„ scorum ingenia monstrent consummatissima? Sed
„ quid plura tibi in hoc genere commemorem, qui
„ longe melius haec omnia nosti, & bene in hoc quo-
„ que, ut in ceteris Christianae Reipublicae negociis,
„ honestissime, ac prudentissime consulis, dum litte-
„ ras a situ vindicas, & ne pereant, in unum volu-
„ men Epigrammata ipsa redigi iubes? Ego vero, etsi,
„ ut dixi, arduum est ex ruinis integrum aliquid
„ eruere; tamen impulsu tuo quicquid diligentia, & la-
„ bore consequi potui, id omne huic libro adscripsi:
„ & quanquam plura mihi se se offerrent, vel a me ipso
„ parum cogitata, vel ab aliis utcunque excerpta; ta-
„ men praeter ea quae vidi, quaeque accurate exscripsi,
„ in hoc volumen nihil congessi: ut, si non facultate,
„ & doctrina, fide tamen ac diligentia legentibus sa-
„ tisfacerem. Quod si quam hinc litterarum studiosi
„ capient voluptatem, non mihi quidem, sed clemen-
„ tiae tuae referri debet acceptum, qui ad id me etiam
„ litteris compulisti, curante Bartholomaeo Sanvito
„ tui amantissimo, ut hoc qualecunque est opus nomini
„ tuo iure meritoque dedicarem: cum unus sis ad quem
„ potissimum pertineat cura Vetustatis; cuius studiosis-
„ simus semper fuisti, verum Latini nominis decus
„ & lumen, in quo omnes bonae artes conquiescunt.
„ Vale feliciter, humani generis amor & deliciae.

FRATER IOANNES IVCVNDVS

VERONENSIS

Reveren. Patri et Domino

D. LVD. DE AGNELLIS

Archiepiſcopo Conſentino.

Sal. P. D.

,, CRedo pleroſque, Venerande Praeſul, cum legerint
,, Epigrammata, quae collegi, ſi in mendam ali-
,, quam inciderint, admiraturos: & ſi ad ea venerint, quae
,, minus fortaſſe placebunt, me ignorantiae, aut negli-
,, gentiae inſimulaturos; quarum alteram, etſi pro viribus
,, effugere conatus ſum; tamen cum in eis colligendis
,, praecipua quadam doctrina, diligentia, uſu, laborum
,, tollerantia opus ſit; priſcorum quoque conſuetudo &
,, obſervantia, & characterum varietas nota eſse debeat:
,, imparem me tanto oneri ingenue fateri non erubeſco.
,, Alteram vero ut pellerem, ſic inſudavi, ut inter ipſam
,, delectationem & laborem, omnem aetatem paene tran-
,, ſegerim: atque ubi ego, vel quivis alius, de meo exem-
,, plo addubitaſsem, iterum atque iterum ad ea perlegen-
,, da redire non piguerit. Sed animadvertant, qui deſi-
,, diam & errores in me retorquent, maiores noſtros ho-
,, mines fuiſse, & eadem illis, quae & nobis, contigiſse.
,, Nam ſi polite, eleganter accurateque componebant, ipſi
,, opificibus in aes, aut in marmora caedenda delega-
,, bant; qui cum & litterarum ignari eſsent, & abunde
,, errarent, tum eorum errata vel minime notabantur: vel
,, littera non commode, aut ſine lapidis iactura ſuperin-
,, duci poterat. Orthographiae quoque conſuetudinem,
,, quam modo ſervare videmur, & religionis ritus, quos
,, nunc tenemus, priſci illi non habebant; ſed opinionibus

,, aliis

„ aliis inserviebant: quamobrem & vivendi modum, & di-
„ scendi atque scribendi stilum dissimilem observabant;
„ qui cum illorum temporum proprius ac frequens esset,
„ a nostris omnino alienus, & quasi orbe altero conquisi-
„ tus videtur: ita ut id nobis contingat, quod obscuro lo-
„ co natis hominibus, qui parvam vel nullam avorum me-
„ moriam tenent. In barbariem etenim incidimus; quae
„ quia clarissima a plerisque existimatur, quam si, ut cul-
„ tum illum priscumque stilum, longa interciperet aetas:
„ & eam, ut illi contigit, contrariis moribus conarentur
„ oblitterare posteri: nec artium ad restitutionem, nec in-
„ geniorum valerent vires, quod de disertissima lingua
„ exactissimisque actionibus illis minime fas est dicere.
„ Vehemens nimis digressus mihi videor, plusquam haec
„ velit epistola. Sed veniamus ad nostra Epigrammata;
„ quae forsan minus satisfacient, quia urnas, bases, episty-
„ lia, marmora, aras, columnas, tabulas, & eius gene-
„ ris reliqua cum iisdem marginibus, zophoris, coronis,
„ signis aliisque ornamentis, sive etiam fracturis, & de-
„ fectibus non finxerim; totidemque lineas, quot habent
„ illa non fecerim. Cum enim hominum iudicia non ea-
„ dem sint, qui meliora splendidioraque adverterint,
„ facile intelligent aliud esse Epigrammata ad libri or-
„ dinem formamque redigere; & aliud picturas compo-
„ nere, semotamque a pictura quaerere doctrinam, quam
„ in hoc genere primo intendimus. Nam, si ea pingere
„ (ut quidam voluissent) curassemus; oportuisset char-
„ tarum formas, quoquo versus ad marmorum, tabula-
„ rum scripturarumve discrimina coaptare: quod non
„ librorum ordini & aequalitati; sed schedularum confu-
„ sioni convenire perspicuum est: cum ex eis aliqua adeo
„ magna sint, quod formam omnem paginarum exce-
„ dunt; & aliqua adeo parva, ut vix lineam occupent:
„ quorum si plura in eandem chartam comprimere vo-
„ luero, tantam ibi deformitatem inducent, quod libri
„ ordinem omnem pulchritudinemque confundent. Sed

„ cum multiplices ſint hominum cogitationes; nec quiſ-
„ quam diu in eodem conſiſtat veſtigio: non deſunt
„ etiam qui meam de pluribus Epigrammatum difficul-
„ tatibus interpretationem enixius requirant, inſuperque
„ ſuadeant non paſſim omnia, ſed ea ſolum conſcribere,
„ quae ſuo nos lepore alliciant, vel ſingularitate quadam
„ excellant: quibus ſatis reſpondere mihi videor, ſi vati-
„ cinatoribus ſimiles, temerarioſque omnes iudicaverim,
„ qui ea omnia intelligere profeſſi fuerint: cum praeter
„ illa, quae nota ſunt omnibus, quaedam adeo cognitu
„ difficilia ſunt, ut non niſi ab eo qui auctor fuit, intel-
„ ligi poſſe exiſtimem. In eandem nempe cogitationem
„ incidere, quam ille qui compoſuit: adeo difficillimum
„ & quaſi impoſſibile videtur; ita ut huiuſmodi praeterita
„ non minus nobis ignota, quam futura putem. Ea au-
„ tem ſola excerpere, quae digniora videntur, neglectis
„ aliis, indignum cenſui, ne cum paucis ſatisfecero, plu-
„ ribus antiquitatum ſtudioſis curioſiſque ulterius inqui-
„ rendi ſtudium relinquam, eoſque integra fraudem vo-
„ luptate: cum pauca admodum ſint, quae vel commodi
„ aliquid, vel utilitatis, vel eruditionis, vel affectatae
„ cognitionis non habeant. Hactenus ſatis mihi de meo
„ exemplo dubitantibus, curoſiuſque requirentibus ſatiſ-
„ feciſſe videor, non tamen deſiderio meo, quod me
„ (quoniam urgent dies noctesque) ad plurima indaganda
„ impellit. Vetuſtates namque tantae ſunt apud me ve-
„ nerationis, ut non niſi viris dignis mihi digna vide-
„ antur. Antiquae enim Urbis Romae virtuti quantum
„ debeat poſteritas omnis, cum multi ſciant, tum maxi-
„ me qui legerunt, & reliquias eius cognoverunt: hi
„ namque, ſi temporum illius curricula & acta repetent,
„ facile intelligent, nos inde divinarum, humanarum,
„ publicarum, privatarumque rerum notitiam & uſum
„ habere. Quoniam igitur grandis eius eſt opinio, & res
„ maxima; nunquam huius partis onus ſubiviſſem, Ob-
„ ſervandiſſime Conſentine Pontifex, niſi tua fretus au-
„ cto-

„ claritate. Sed forsan persuadebas tibi, me orbem universum Antiquitatis studio peragrasse, & locorum omnium Epigrammata collegisse: & certe, si inspexeris quo semper flagraverim desiderio, quis amor, quaeve mihi insit delectatio, non fallebaris; & nisi multa, & varia se mihi obiecissent, quae meum institutum studiumque interpellarent, nec locorum distantia, nec viarum longitudo, nec labor me ab incoepto deterruissent. Sed eius generis ea fuere, ut non modo exteras provincias, sed nec Italiam totam videre potuerim. Cum igitur ad id obeundum pro voluntate non subessent nec vires, nec expeditum iter; me ipsum compescui, & voluntatem viribus parem feci, nec tamen a studio non destiti: quin ea quae ipse videre non potui, ab aliis perquisiverim, & alienae fidei me commiserim, ut animo meo flagranti, quoad possem, satisfacerem. Cum ergo in superiori volumine annotaverim, quae propriis laboribus atque sudoribus congessi; operae pretium duxi, etiam ea quae ab amicis, & dignissimis diligentissimisque viris accepi, in sequens opus describere; & tibi quoque ex alienis laboribus aliquam afferre voluptatem. Id tamen te nosse certo scio, hominibus raram omni ex parte vim esse atque virtutem; quod & in me, & in aliis, duce experimento, saepissime deprehendi, communemque hanc mortalium conditionem esse cognovi, qui cum hac vel illa virtute abundent, reliquis carent. Quamobrem, etsi nefas est mihi his, a quibus Epigrammata ipsa suscepi, non credere; certitudini meae tamen non placet aequare, ne quis errores, si quos exempla collata exemplaribus invenerit, mihi adscribat. Libenti igitur animo, Dignissime Consentine Praesul, munuscula mea accipe, quae etsi parva sint, laboribus tamen certe vacua minime fuerunt. Vale.

Prio-

Priorem epiſtolam iisdem plane verbis praepoſuit Frater Ioannes Iucundus Veronenſis alteri Codici, qui earumdem Inſcriptionum undique collectarum Syntagma continebat, quem dedicavit Magnifico Viro, bonarum artium vindici atque amplificatori optimo, Laurentio Medici. In fine vero haec ad eum ſcribit: *Quod ſi quam hinc litterarum ſtudioſi capiant voluptatem, non mihi quidem id, ſed tibi, uni referri debet acceptum, qui ad id me etiam litteris compuliſti, curante Alexandro Corteſio tui obſervantiſſimo, ut hoc, qualecumque eſt, nomini tuo iure meritoque dedicarem: cum unus ſis, ad quem potiſſimum pertineat cura Vetuſtatis, cuius ſtudioſiſſimus ſemper fuiſti, verum Latini nominis decus & lumen, in quo omnes bonae artes conquieſcunt. Vale feliciter, humani generis amor & deliciae.*

Miſcellaneorum, quae Politianus Laurentio Medici dedicavit, praefationem, ita abſolvit: *Tu vale patrone iucundiſſime, & (quod facis) perge favere doctis, perge litteras excitare, perge a ſitu recipere rem Latinam, ab interitu Graecam, quo tui memoria nominis ab iniuria prorſus oblivionis aſſeratur.* Primus omnium Principum Laurentius Medices exemplo ſuo docuit quanto in pretio habenda ſint eximia antiquorum artificum opera; nam ſua tempeſtate ſummus omnium elegantiarum arbiter, ea undique magnis impenſis conquiſivit. De eius ſtudio, harumque priſci aevi lauticiarum amore dixi in Praefatione Voluminis III. Muſei Florentini pag. XII. Perlubet nunc id teſtimonio confirmare iisdemque verbis doctiſsimi viri Bernardi Oricellarii, Patricii Florentini, quem Eraſmus Roterodamus Salluſtium alterum adpellavit. Haec enim narrat in libro, quem ſcripſit de bello Italico.

„ Hic me ſtudium caritaſque litterarum antiqui-
„ tatis admonet, ut non poſsim non deplorare inter
„ ſubitas fundatiſsimae familiae ruinas, Mediceam bi-
„ bliothecam, inſigneſque theſauros; quorum pars a
„ Gal-

„ Gallis, pars a paucis e noſtris, rem turpiſsimam
„ honeſta ſpecie praetendentibus, furaciſsime ſubrepta
„ ſunt: intimis abditiſque locis aedium, ubi illi re-
„ conditi fuerant, perſcrutatis: quae ſic ornatae exti-
„ tere, ut vel ſplendidiſsimae urbi ornamento forent.
„ Erant ſane theſauri veteres, pacis diuturnae, regiae-
„ que opulentiae ornamenta, undique toto orbe conge-
„ ſta. Nam cum iam pridem gens Medicea floreret
„ omnibus copiis, terra marique cuncta exquirere,
„ dum ſibi Graecarum, Latinarumque litterarum mo-
„ numenta, toreumata, gemmas, margaritas aliaque
„ huiuſcemodi opere naturae ſimul, & antiquo artifi-
„ cio conſpicua, compararent. Quo factum eſt, longo
„ aevo, quo haec familia ſtetit, ut ſi quid praeter
„ cetera inſigne ex antiquitate ſaevitieque temporum
„ ſuperfuiſſet, veterum ſcriptorum codices, vaſa, e
„ ſardonice, ceteriſque gemmis caelata, Deliaca, at-
„ que Corinthia, lapilli multiplici ſculptura, colore-
„ que peregregii; praeterea ſigna, tabulae, aurum,
„ argentumque ſignatum perantiquo opere, multa,
„ atque lauta ſupellex, cuncta quae animum, oculoſ-
„ que accenderent, undique in domum Mediceam
„ confluerent. Teſtimonio ſunt litterae gemmis ipſis
„ inciſae, Laurentii nomen praeferentes, quas ille ſibi
„ familiaeque ſuae proſpiciens ſcalpendas curavit, fu-
„ turum ad poſteros regii ſplendoris monumentum:
„ licet enim ex his coniectari, fuiſſe aliquando apud
„ Medices aequa proportione reliqua. Teſtantur iti-
„ dem Ariſtotelis Graeci interpretes, ceterique vetu-
„ ſtiſſimi ſcriptores, quos Laurentius, ut erueret ex
„ intima Graecia, penetralibuſque Turcarum regis,
„ miſit Janum Laſcarem Graecum hominem, & ab
„ imperatoribus ipſis ortum; qui cum popularibus fa-
„ cile conciliata gratia, praeſtitit quod ante eum ne-
„ mo; praeſtruxitque aditum ad eruenda cetera eiuſ-
„ dem generis, quae inter ſpolia capta de Graecis


„ aſ-

„ aſſervantur, ni mors acerba Laurentium praeripuiſ-
„ ſet. Haec omnia magno conquiſita ſtudio, ſum-
„ miſque parta opibus, & ad multum aevi in deliciis
„ habita, quibus nihil nobilius, nihil Florentiae quod
„ magis viſendum putaretur, uno puncto temporis in
„ praedam ceſſere. Tanta Gallorum avaritia, perfi-
„ diaque noſtrorum fuit.

Dum haec ſcriberem perrarum eiusdem Magnifici Laurentii Medicis numiſma ex aere mediocris magnitudinis mihi perhumaniter oſtendit V. C. Philippus Baro de Stoſch, omnis antiquitatis peritiſsimus. In antica cernitur caput eiusdem Laurentii nudum, cui imminet ſtella, quae tamen in eadem linea litterarum eſt, quae ita ſcriptae ſunt: LAV. R. MED. hoc eſt *Laurentius Medices*: In adverſa parte laurea corona, in medio haec epigraphe in quinque lineas diſtributa: VT LAVRVS SEMPER LAVRENTI FAMA VIGEBIT.

Huc pertinet inſcriptio Graeca, quae legitur in antiquo vaſe marmoreo eximii operis, altitudinis duorum fere pedum Graecorum, quod non ſine voluptate cernitur in veſtibulo Medicei Muſei. Pro anſis illud utrimque ornant capita Jovis Hammonis: undique vero inter folia elegantiſsima ludunt volitantes aviculae.

Inſcriptio eiusdem Vaſis ita ſe habet.

55


55 Id eſt: *Bonorum memoria ſemper vireſcens.*

In ſervandis atque ab oblivione & interitu vindi-
can-

candis priscae aetatis monumentis, quanta semper fuerit Mediceorum Principum cura, ut id clarius luculentiusque eluceat, lubet heic adiicere epistolam Leonis X. Pontificis Maximi iussu scriptam Raphaeli Sanctio Urbinati a Petro Cardinale Bembo, quae edita est in Libro Epistolarum eius num. XXI.

RAPHAELI VRBINATI.

„ Cum ad Principis Apostolorum Fanum Romanum exaedificandum maxime intersit, ut lapidum „ marmorisque copia, qua abundare nos oportet, do„mi potius habeatur, quam peregre advehatur: ex„ploratum autem mihi sit magnam eius rei facultatem Urbis ruinas suppeditare, effodique passim om„nis generis saxa fere ab omnibus, qui Romae, qui„que etiam prope Romam aedificare aliquid, vel „ omnino terram vertere & perrumpere moliuntur: te, „ quo magistro eius aedificationis utor, marmorum „ & lapidum omnium, qui Romae, quique extra „ Romam denum millium passuum spatio posthac „ eruentur, praefectum facio, ea de causa, ut quae „ ad eius Fani aedificationem idonea erunt, mihi „ emas. Quare mando omnibus hominibus, mediocri„bus, summis, infimis, qui posthac marmora quae„que, saxa omnis generis, intra eum, quem dixi loci „ spatium, eruent, effodient, ut te earum rerum prae„fectum de singulis erutis effossisve quamprimum „ certiorem faciant. Id qui triduo non fecerit, ei a „ centum usque ad tercentorum summam aureorum, „ quae tibi videbitur, multa esto. Praeterea, quoni„am certior sum factus multum antiqui marmoris & „ saxi litteris monumentisque incisi (quae quidem „ saepe monumenta notam aliquam egregiam praese„ferunt, quaeque servari operae pretium esset ad cul„tum litterarum, Romanique sermonis elegantiam

„ excolendam) a fabris marmorariis, eo pro materia
„ utentibus, temere ſecari, ita ut inſcriptiones aboleantur; mando omnibus, qui caedendi marmoris artem Romae exercent, ut ſine tuo iuſſu, aut permiſſu, lapidem ullum inſcriptum caedere, ſecarive ne audeant; eadem illi multa adhibita, qui ſecus atque iubeo fecerit.

„ Datum VI. Calend. Sept. anno tertio, Roma.


Leone X. e Medicea Gente, Chriſtianae Reipublicae clavum moderante, primum prodiere numiſmata in eo libro rariſsimo, qui hunc titulum praefert: *Illuſtrium Imagines*. Eius vero forma eſt, ut aiunt, octava. Hunc Romae excudit dedicavitque Ber. Iacobo Sadoleto, Epiſcopo Carpentoractenſi, a Secretis eiusdem Leonis X. Pontificis Maximi, Iacobus Mazochius, Typographus Romanae Academiae, de antiquitate optime meritus. Numiſmata egregie buxeis typis inciſa explicavit, ut plerique exiſtimant, vel Andreas Fulvius, ſive Iacobus Sadoletus. In fine eiusdem libri haec leguntur: *Impreſsum Romae apud Iacobum Mazochium Romanae Academiae Bibliopolam; anno MDXVII. die XV. Novembris: triumphante Divo Leone X. Pontifice Maximo, anno eius quinto*.

Poſt hunc, alter liber, magno in precio habendus, prodiit Romae, forma in folio, cum hoc titulo: *Epigrammata antiquae Urbis*. Hunc idem Iacobus Mazochius inſcripſit Mario (e Maffeiorum Gente) Volaterrano, Epiſcopo Aquinati, qui tunc Romanae Academiae non ſolum vigil parens, verum etiam princeps erat. Primus omnium, qui Academiae nomen, pridem ſepultum, excitavit, fuit Pomponius Laetus: cuius hortos in monte Quirinali aedeſque ſatis idoneas viri docti frequentarunt. Pomponio extincto, Angelus Colotius, cuius nomen, quo ad litterarum ſtudia

in

in pretio erunt, semper vivet, domicilium suum, quum praesertim ibi amoeni horti essent, signis, anaglyphis, inscriptisque marmoribus ornatissimi, (eo enim loci Horti Sallustiani antiquitus extitere) Academiam adpellavit, Academicique adpellati fuere, qui eo docti commercii causa confluebant. Inde propagatum nomen Academiarum Romae & in Italia; quod notavit Federicus Ubaldinus in eius vita. Huic Academiae debemus librum illum, qui omnium primus litterato orbi antiquae Urbis Epigrammata formis excusa donavit. In fine eiusdem libri haec leguntur: *Romae, in aedibus Iacobi Mazochii, Romanae Academiae Bibliopolae MDXXI. Men. April.* Eodem anno Leo X. Pontifex Maximus decessit.

Inscripti lapides, qui sequuntur, exstant in meo Museo.

56


56 Inscripti lapides, quos heic subiicio, nuper exstabant Neapoli in aedibus Clarissimi, deque anti-

quaria re optime meriti viri, Petri Andreae Andreinii. Ex his non paucos in lucem dedi in Parte I. huius operis pag. 235. ex ſchedis autographis eiuſdem Andreinii. Eo viro mihi amiciſsimo defuncto, Florentiam advehendos curararunt eius filiae heredes, quae mihi perlubenter eos vendiderunt. Poſtquam his meum ornavi Muſeum, conferenti mihi multa menda apparuerunt in editis commiſſa; quare operae pretium me facturum duxi, ſi eos iterum emaculatos heic proferrem. His etiam complures inediti accedunt.

D. S. B. M. Hoc eſt: *De ſe bene meritae*, vel *merenti*. CL · ASCLEPIO · Huius nomen familiae ex ſorore innoteſcit; quare praetermiſſum: nam fuit *Claudius Fabius Aſclepius*. Huiuſmodi in antiquis ſaxis ſexcenta occurrunt exempla.

57

D M
DONATA · H · S ·
EST · VIXIT · AN ·
NIS · XVII · SAL
ſic VIVS · CONIVG · PI
ISSIM · FECIT

58

D · M
P. ORTENSIO ·
SEVERO VIX ·
ANNIS · XVIII ·
CASSIA · CHARIS ·
MATER · FILIO ·
PIENTISSIMO ·

57 P. ORTENSIO. Adſpirata omiſſa eſt; quod haud infrequens in inſcriptis monumentis: nam ſcribendum P. HORTENSIO; quod etiam alii lapides, & numi huius gentis oſtendunt. Apud Fabrettum Inſcr. Cap. I. num. 155. haec habet vetuſtus lapis: MEMORIOLAM · CVM · ORTVLO · SVMIACENTE · SVBVS · LIBERTIS &c. fecit: pro *hortulo*.

59 D M

59

D · M

sic MARCIAE DRVSILLE
DRVSIVS VALENS
ET QVADRATILLA
PARENTES / FILIAE
DVLCISSIMAE

60

D M
IVLIAE
APHRODISIAE
MATRI
L · ANTONIVS
ARISTO IVNIOR
B · M · F ·

61

T · FLAVIVS · PARIS · FECIT
MARCIAE / AVRAE · COIVGI
BENE \ ME, ET, AECLANIO
GENIALI, ET · TYCHE · CONTVBE
RNALI 'SVAE · POSSIDENDVM
MONIMENTV

62

D · M
M · DOMITI
FIDELIS
LICINIA TATIS
CONIVGI OPTIM

63

D · M
M · COCCEIO
ZOSIMO · IVN·
IA · PHILVMENE
CONIVGI · B · M · VIX·
AN · XXVII · M · III·

61 Forte *Aulo Eclanio*.

64 D M

64

D M

CLODIAE · PI
ROCLEAE · VIX
ANNIS · XXXX
LVCIA · HAMONIL
LA · NEPOS ET
HERES · B · M · F ·

65

D M

TITINIVS · CLAEVS · FELIX
BIXIT · ANN · XVI · PELA
CIS ANVS DAXIMIA MATER
ET AMMONIVS SABINVS
PATRASTER · FILIO
BEN · MER

66

VESTORIA · ELPIS
IVSSV
T · VESTORI · ALEXANDRI · ET ·
T · VESToRI · PELORIS

67

D M

CALINIVS
FELIX · VIXIT · AN
NIS · XXXII

68

ANTIPATRA
DVLCIS TVA
HIC SO ET NON SO

69

ADACTVIA
PIA VIX†
ANN VIII
M · VII ` ɹ ʟ ˙ C *sic*

68 DVLCIS TVA. Antipatra puella, vel coniux (quandoquidem his epithetum DVLCIS in antiquis titulis tribuitur) amicum vel parentes, vel virum compellat. SO id eſt SVM. Frequenter M a quadratariis omittitur, ut etiam in ſuperiore lapide pag. 53. num. 61. MONVMENTV ſcriptum eſt pro MONVMENTVM. Ceterum O pro V a veteribus Latinis adhibitum, nemo eſt qui neſciat. Igitur legendum, *hic ſum & non ſum. Hic ſum*, quia ſepulcro conditi ſunt cine-

cineres: *non ſum*, quin iam fato functa. Adſimile in Job hiſtoria Cap. X. *Fuiſſem quaſi non eſſem de utero translatus ad tumulum*. In Eccleſia S. Matthaei Florentiae in quodam ſepulcro haec leguntur: D·O·M·IAM NON FVI DEINDE FVI MODO NON SVM.

In marmore long. ped. Rom. II. *unc.* IV. *alt. unc.* VII.

70
STALLIVS · GAIVS · HAS · SEDES · HAVRANVS · TVETVR
EX EPICVREIO · GAVDIVIGENTE · CHORO

70 Facile crediderim hunc lapidem eſſe ſuppoſititium. *Gaius Stallius Hauranus*, ita iungendi ſunt; ſed quid ſibi vult *ex Epicureio gaudivigente choro?*

71
TVLLIA·M·L·HELENA·SIBI·ET·
M · TVLLIO · M · L · TIMONI · PATRO, *ſic*

FAVORI	· L	L·TAMPIVS·L · L	
AVCTO	· L ·	ANTEROS·SIBI·ET	
ANTIOCHO	· L ·	FELICIONI · L · ET	
ſic POSTERISCE		FLORO · L · ET	
SVIS		VITALIONI·L · ET	
		POSTERISQVE·SVIS	

72
D M
L · C · SELEVCVS SIBI
ET · L · IVSTAE ET ·
ANTONIAE LACENAE
ET LIBERT LIBERTAB
Q · POSTERISS EORVM
H · L · A · N ·

73
DIS · MANIB
ACINDYNO
VIXIT · AN · XX · M · II

72 H · L · A · N · Quid ſibi velint hae ſingulares litterae, quarum exempla non reperio, alii divina-

vinabunt. Forte: *Hic locus, vel loculus alienum non* (supple) *sequitur*.

74

D · M
VERO · QVI
VIXIT ANN
VII M · VIII
AMPLIATVS
B · M · F ·

75

D · M
FELICI · AVG · L ·
PLVMBARIO
OCTAVIA · CEN
SORINA · CON
IVGI · BENE
MERENTI
FECIT

75 PLVMBARII officium in Domo Augusta, notatu dignum, legitur in hoc meo rarissimo lapide. Plumbarii *l. artifices c. de excus. artif.* dicuntur, qui *plumbeas* pilas, & alia ex *plumbo* faciunt. Clarius tamen, qui fuerint PLVMBARII, elucet ex Commentario Sex. Iulii Frontini de Aquaeductibus Urbis Romae Art. XV. ubi de aquis per fistulas, sive aquarum modulos in Urbem deducendos differit; atque de Plumbariis meminit his verbis: *Postea modulus, nec ab uncia, nec ab alterutro digitorum originem accipiens, inductus, ut quidam putant, ab Agrippa, ut alii a* PLVMBARIIS *per Vitruvium Architectum in usum Urbis, exclusis prioribus, venit, appellatus quinario nomine. Qui autem Agrippam auctorem faciunt, dicunt, quod quinque antiqui moduli exiles, & velut puncta, quibus olim aqua, cum exigua esset, dividebatur, in unam fistulam coacti sunt. Qui Vitruvium &* PLVMBARIOS, *ab eo quod plumbea lamina plana, quinque digitorum latitudinem habens, circumacta in rotundum, hunc fistulae modum efficiat*. Id officium potius convenit Felici Augusti Liberto, nempe conficiendi fistu-

las

las ſalientium aquarum in caſtellis, vel ipſos etiam aquaeductuum tubos, qui plumbei erant, & prominentes litteras inſcriptas habebant. Horum inſcriptiones adfert Fabrettus in fine Cap. VII. num. 392. & nos etiam in hoc opere nonnullas adtulimus. Non diſſimile eſt munus Euthyci VILICI A PLVMBO, ex antiquo ſepulcrali titulo penes Gruterum pag. DCXL. 10. Servi PLVMBARII meminit adlatus titulus in Parte I. huius operis pag. 136. Porro in antiquo lapide Gruteriani Theſauri, digiti aquae, honoris cauſa fluentis in privata domo C. Titii Chresimi, ita fit mentio pag. CDLXXV. 3. VT · AQVAE · DIGITVS IN · DOMO. EIVS FLVERET · &c. Fuere etiam in Romanorum exercitu milites *Plumbarii*, qui glandes plumbeas conficiebant, baliſtarum vi contra hoſtes explodendas, quorum meminit Iuſtus Lipſius, de militia Romanorum diſſerens, Lib. IV. Poliorcet. Dial. II. Ex his glandibus aliquot apud me exſtant, & litteras praeferunt prominentes, nimirum adclamationem forſitan victricis exercitus: NIKA. hoc eſt *Vince*.

Tabula marmorea ſuperne fracta, alt. ped. I. *Rom. & unc.* VII. *lata ped. Rom.* I. *& unc.* XVI. *& haec in meo Muſeo exſtat.*

76

.... SVCCESSVS.	IIII.	M OCTAVIVS.	IIII
C ANTONIVS FELIX.	III.	EVTYCHVS.	IIII
C CALPVRNIVS SILENVS.	II.	HERMA.	III
L CALPVRNIVS CARPVS.	II.	PANCARPVS.	III
N FANNIVS MERCVRIVS.	II.	EVTYCHIANVS.	III
L COMINIVS SAECLARIS.	II.	DORYPHORVS.	III
C FONTEIVS HERMA	I.	VICTOR.	III
L STATIVS HERMES.	I.	MERCVRIVS.	
C ANNIVS NEDIMVS	I.	ROMVLVS.	
L POMPEIVS ABASCANTIANVS.		NICEPHOR.	
CN ANTONIVS FVSCVS.	I.		
M VLPIVS VITALIS.	I.		

DEDIC · K · OCTOBR

76. Numerales notae ſingulis hominibus ſubiectae, forſitan indicant quot ſtipes iidem contulerint in dedicatione vel arae vel ſtatuae. Qui in dextera marmoris parte ſcripti leguntur, milites Claſſiarii, ni fallor, ſunt; quod, ut arbitror, notatum fuerat in ſuperiore marmoris parte, quae periit: reliqui in ſiniſtra, vel nautae vel remiges Claſſis ſunt, quum ſolo cognomine notentur. Marmor inventum fuiſſe Puteolis conſtat.

77

D M
ANTONIAE · DOMINA
VIX · ANN · XIX · CAMVRIVS
COLO · HARM · III · LVCIFER
ſic CONIVGI · SANTISSIMAE · ET
ANTONIVS · COLO · MATRI
PIENTISSIMAE · B · M · FEC

77. In quarto verſu huiuſce ſepulcralis tituli, fit mentio dubio procul *Trieris Lucifero*, quae, ut monui in Parte I. huius operis pag. 242. num. 7. nomen accepit a *Lucifero*, Veneris ſtella, quae Solem naſcentem antegreditur, de qua Virgilius Aeneid. Lib. VIII. verſ. 589. Sed in ea ſigla HARM. quae praecedit, explicanda, haeſit mihi aqua; nam tunc a nemine explicatam obſervaveram. Neque crediderim ea notari per adſpiratam HARMAMENTARIVS, pro ARMAMENTARIVS, cuius officii fit mentio in Theſauro Gruteri pag. XXXIV. 10 & c. 7. Quamquam id minime abſurdum videtur, quum naves arma ſua & armamentaria habuerint: memoretque Caeſar Lib. III. de Bello Gallico *armatas naves*, nimirum omni genere armorum inſtructiſſimas. Vetus

etiam

etiam exſtat inſcriptio, Ravennae inventa, ubi quondam fuere navalia, in qua memoratur Iulius Germanus, qui fuit ARMORVM CVSTOS; quam adfert & illuſtrat Ioannes Schefferus de Militia navali veterum in Addendis ad Lib. II. pag. 333. Lubet his adiicere lapidem anno MDCCXXXVIII. Romae effoſſum, in quo fit mentio M. Vlpii Calliſti, Liberti Imperatoris Nervae Traiani, qui fuit *Praepoſitus Armamentario Ludi magni*, nempe Gladiatorii, de quo conſulendus Fabrettus Inſcr. ant. Cap. IV. pag. 298. Hodie hic lapis exſtat apud Reverendiſs. P. Beſotium, Abbatem S. Crucis in Hieruſalem. Deſcriptum ad me miſit vir eximius Ridolphinus Venutus Patricius Cortonenſis, de antiquis monimentis, quae edidit & illuſtravit, egregie meritus.

DIS · MANIBVS
CORNELIAE · FRONTINAE
VIXIT · ANNIS · XVI · M · VII ·
M · VLPIVS · AVG · LIB · CALLISTVS
PATER · PRAEPOSITVS · ARMAMENTARI · :
LVDI · MAGNI · ET · FLAVIA NICE CONIVXS
SANCTISSIMA · FECERVNT · SIBI ·
LIBERTIS · LIBERTABVSQ · POSTERISQ · EOR

Adlatam a me inſcriptionem n. 77. quam inexplicatam reliqueram in Parte I. pag. 242. nuper expoſuit vir eruditiſſimus Hannibal de Abbatibus Oliverius inter marmora Piſaurenſia; qui quum aliquot ineditas inſcriptiones, recens effoſſas Ravennae, dediſſet pag. 275. in duabus vero quum fiat mentio *armorum Cuſtodis Quinquieris*, ſeu *Quinqueremis Victoriae* pag. 176. & *Armigeri Trieris Marino*, a

 ma-

marino equo navis insigni, his exemplis fretus, interpretandum censuit *Harmiger Triere Lucifero*.

Si igitur ita explicanda sit, ea difficultas haud sublata mihi omnino videtur, cur in hac tantum scriptum sit HARM. pro ARM. ita ut legendum sit *Harmiger*, vel *Harmigerus*. Nam adspirata frequentius praetermittebatur a quadratariis, quam adiicebatur, uti sexcenta exempla declarant. Crediderim ea sigla designari HARMONIACVM *Trieris Lucifero*. Quamvis huic meae coniecturae nulla exempla in editis saxis adstipulentur; favent tamen veterum scriptorum loca, quae adfert idem Schefferus Lib. IV. Cap. VII. eiusdem operis. Praeter *Jussores* & *Hortatores* in triremibus ac navibus, qui assa voce utebantur, fuisse *Symphoniacos*, & *Trierauletas* constat, vilioris tamen conditionis, qui cum modulatione tibiaque singulis in navibus remigibus cantabant. Τριηραύλην recenset Iulius Pollux Lib. I. Cap. IX. Athenaeus Lib. XII. & alii.

Tibicines nauticos memorat Demosthenes in Oratione de Corona, & Vlpianus Rhetor in eamdem Orationem, & Plutarchus in vita M. Antonii, ubi Cleopatrae navem magnificentissimam, in qua Symphoniaci erant, describit. Paedianus ita in Ciceronem: *Sciendum est cani remigibus per Symphoniacos solitum, & per assam vocem, idest ore prolatam, & per citharam*. Quo enim facilius remiges ferrent laborem, harmonica modulatio adhibebatur; quod etiam notat Censorinus Cap. XII. & Silius Italicus hab. Lib. VI. vers. 361. Naviculam ex antiqua pictura dedimus inter Donianas Inscriptiones Tab. V. num. 2. pag. 29. in qua chori Magister, & tibicines canentes expressi sunt. Illud vero musicae modulationis genus, quo remiges exhortabantur, νίγλαρος dicebatur, teste Aristophane in Acharnensibus Act. II. Sc. V. qui etiam addit navalia carmina, meminitque eius Interpres eo loci, & Pollux Lib. IV. Cap. X. Neque etiam indica-

cari puto ea ſigla HARM. *Harmamaxarium* ; quam uſurpatam non video. Vide Pitiſcum in *Harmamaxa*.

In ſequenti lapide, qui pariter apud me exſtat, Centurionis trieris Lucifero ſit mentio.

78
D · M
VLPIAE PRIMIGENIAE
ſic SANCTISSIMAE · FEMINA
VIXIT · ANNIS · XXX
IVLIVS SEVERVS Ↄ · III · LV
CIFERO CONIVGI · KA
RISSIMAE ET SVI
AMANTISSIMAE
B · M · F

79
D M
TI . CL . MARINVS
NONAGEN · CL · PR · MIS
ET · AELIA · NICOLAIS
CONIVX · EIVS · SIBI
LIBERTIS · LIBERTA
BVSQ · POSTERISQ · EOR
FECERVNT

79 NONAGEN · CL · PR · MIS · Hoc eſt : *Nonagenarius Claſſis Praetoriae Miſenatium*. Edidit hanc inſcriptionem, quae modo mea eſt, Ioannes Vignolius inter ſelectas pag. 286. ſed cur Tiberius Claudius Marinus Claſſiarius, dicatur *Nonagenarius*, non explicat. Forſitan quia in ordine Claſſiariorum nonageſimum locum obtinebat, quaſi proximus vel ut Centurio eſſet, vel ut Veteranus declararetur, mox honeſta miſſione donandus. Alii accuratius elucidabunt.

80
D M
C VALERI GERMANI
MIL. EX CL. PR. MIS
III . TAVRO . STIP . XXV
NAT . SARDVS
MESTRIA EVHODIA
B . M . F

81
NAT · ALEXANDRIN
EX VELAR DVPLICAR
MIL ANN XXVI VIX
ANN LVI MENS IIII
DIEBVS XII
L VALERIVS IVSTVS
VARENIA HELENA
T B M F

80 Hoc eſt : *Diis Manibus C. Valerii Germani Mi-*

Militis ex Classe Praetoria Misenensi, *Triere Tauro* (cuius insigne Taurus fuit) *stipendiorum vigintiquinque*, *natione Sardus*. Nonnulla ad hanc inscriptionem adnotavi in Parte I. huius operis pag. 243. num. 9.

83. In capite huiusce sepulcralis tituli, qui apud me exstat, desunt duo versus, quos edidit Ioannes Vignolius inter Inscriptiones selectas pag. 293. quum idem titulus integer legebatur in hunc modum. D · M VALERIVS ····· NAT · ALEXANDRIN··· &c. Idem Vignolius haec adnotat · EX VELAR DVPLICAR · idest: *Ex Velariis Duplicariis*, sive *Duplariis*. „ Ita „ enim vocabantur, qui duplex ob merita stipen- „ dium diurnum accipiebant: qui vero unum, *Sim-* „ *plares*. Vegetius Lib. III. Cap. VII. *Armaturae* „ duplares, *quae binas consequuntur annonas:* simpla- „ res, *quae singulas* „ Verum, quum Schefferus, Lib. II. Cap. V. de navali Militia pag. mihi 140. & 141. veterum scriptorum auctoritate, ostendat vela in navibus fuisse duplicia, maiora scilicet & minora; verisimilius puto huius Classiarii militis curam circa eadem vela duplicia exstitisse, adeoque dici *ex Velariis Duplicariis*; non vero quod duplicia stipendia haberet: nam, numquam in tot maritimis saxis duplicia stipendia data Classiariis adnotantur; sed ea simpliciter indicantur, ut in altero superius edito lapide num. 80.

Integrum hunc lapidem, qui mox sequitur, quum Neapoli exstaret, exscripsit Vir praeclarissimus Nicolaus Valletta, qui schedas suas cum Ioanne Vignolio communicavit, qui edidit inter Inscriptiones selectas pag. 294. atque ita se habebat.

D · M
C · IVLI · PONTICI
BRI · DVPL · CL · PR MIS
NAT · PONTIC · VIXIT
ANN · XLIIII · MIL · ANN ·
XXII · IVLIVS · PONTICVS
FILIVS · ET · ANTONIA · LA
TICHE · CONIVNX · H · B · M · P

BRI · DVPL · CL · PR MIS · Male exſcriptum puto BRI · nec quomodo interpretari poſſit occurrit.

82 D · M
C · IVLIO DIODORO
MIL · CLASS · PR · MISEN
IIII · DACICO · NAT · BITHYN ·
VIX · ANN · XLV · MIL · ANN · XXII
TI · CLAVDIVS · PATERNVS
SCRIBA · HERES

82 Ita ſuppleri, ut arbitror poteſt. *Diis Manibus · C · Iulio Diodoro, Militi Claſſis Praetoriae Miſenenſis, Quadriere Dacico, Natione Bithynus. Vixit annis quadraginta quinque, militavit annis viginti duobus Tiberius Claudius Paternus Scriba heres.* Hanc edidit peſſime fractam Vignolius inter ſelectas Inſcriptiones

nes Claſſ. II. pag. 297. Quadrieris DACICO meminit alter titulus, quem produximus in Parte I. huius operis pag. 244. ex Reineſio, cuius explicationem animadvertimus. Cur vero ita adpellata fuerit, ex nemine adnotatum eſt. Hanc quadrierem forſitan Miſeni promontorio adiecit Traianus, poſtquam Daciae populos vicit; eiuſque inſigne, ni fallor, eſſe voluit tropaeum cum Dacis captivis; quare id nomen ſortita eſt IIII DACICO. Nihil tamen hac de re ſtatuo.

83

D M
ſic QV · SILICIO · SILBA
ſic NVS · NAT · AFER · VIX · AN
LX · EMERIT · CL · PR · MISS
ſic QVIT · SILBANVS · FIL ·
MISSEA · IANVARIA
COIVX · B · M · F

83 EMERIT · CL · PR · MISS · Hoc eſt *Emeritus Claſſis Praetoriae Miſenatis*. S. abundat. Videtur QV. & QVIT. indicari praenomen QVINTVS, hoc modo perperam & ſingulari exemplo ſcriptum.

84

D M
IVLI HERMOGENI
NATION SYRVS
VIXIT ANN XXXV
EVSTATIA H B M F

85

T AFER VIX
MILITAVIT
XXV · FECIT
SATVRN · H B M

84 EVSTATIA H B · M · F · Praetermiſſa eſt frequen-

quenti quadratariorum lapſu, adſpirata. Legendum *Euſtathia heres benemerenti fecit.*

86

VALERIA AMMIA
C GELLIO PRISCO VETER
VIRO SVO BENEM FEC
ET SIBI· ET LIB SVIS
POSTERISQVE AEORVM
HOC MONIMENTVM HEREDE *ſic*
NON SEQVITVR

87

DIS · MAN
L· PERCENNIO· MAXIM
GVBERNATORI· EX· CLASS
PRAETORIA·MISENENS
VIXIT · ANN· XXXXVI
MILITA

88

D M
AVRELIO DO
MNIONi MILITI
VIXIT AN XXVII AV
RELIVS GAIANVS
ET AVRELIVS SA
MVS HEREDES
B M FEC

87 De Gubernatore Claſſis, iam dixi in Parte I. huius operis pag. 247. num. 12. ubi hanc Inſcriptionem protuli. Illud notandum ſupereſt, in hemicyclo ſuperne excavato in hoc marmore, ſeu potius aedicula, ſupereſſe tantum crura & pedes ſtatuae, quae L. Percennium Maximum, Gubernatorem Claſſis Praetoriae Miſenenſis repraeſentabat; cuius pedes induti caligis ſunt.

89 III · VIXIT
LIIII · MIL ANN · XXIII
VALERIVS · CLEMENS · EX
VESTAE C ARRVNTIVS
· · A : : ENS · OCT · LIB · NEREIDE
B · M · F

89 EX VESTAE. Forſitan intelligendum ex Triere, vel potius e Quadriere VESTA, quae in ſequenti meo marmore n. 91. indicatur. OCT. LIB NEREIDE. Hoc eſt *Octogenarius Liburna Nereide*, cuius inſigne, vel tutela fuit Nympharum Nereidum una. Ita etiam apud Euripidem, cuius locum citat Schefferus Lib. III. Cap. I. pag. 171. in puppibus navium Achillis, Nereidum Dearum aurea ſimulacra, pro tutela, poſita erant. Ex altero lapide ſuperius innotuit miles *Nonagenarius*, ex hac *Octogenarius*. De Liburnis navibus dixi in Parte I. huius operis pag. 245. De his luculenter Schefferus de navali Militia Lib. II. Cap. II. In Puteolano lapide, quem edidit Fabrettus Inſcript. ant. Cap. V. pag. 366. num. 124. fit mentio G. Valerii Finiti, Optionis Liburnae NEPTVNO. Sed de his nonnulla inferius.

90 D M
L AVRELIO MAXIMO
VIXIT · AN · XXX · M · III · D · X
MIL · AN · VII · IN · CL · PR · MIS
M · AVRELIVS

DI-

91

DIIS MANIBVS
L · VALERIO MA
RTIALI · MILITI · EX
CLASSE · PR · MISENI
EX IIII · VESTA · NATIO
NE · BESSVS · MIL · AN
NIS · IIX · VIXIT · AN · XXX
FECIT · M · VALERIVS
ASPER · FRATRI · BENE
MERENTI

92

D
IVLIV
EX · III · M
PONT.
ANN · X
ANN · VII
NVS · H

91 Lapis habet M. VALERIVS ASPER, non vero ASTER, uti in Parte I. huius operis, vulgatum a me eſt ex ſchedis autographis Cl. V. Petri Andreae Andreinii. In ſequenti lapide fracto EX III. M... intellige *ex Triere Minerva*, ut in ſequenti, vel *Marte*. Iam in eadem Parte I. mei operis pag. 243. num. 10. habes Antonium Rufum manipularium Praefecti Claſſis Praetoriae Ravennatis, vel Ravennatium, *Triere Marte*.

93

D · M · S
M · ANTONIVS · AE
PIGONVS · TVRRANIÆ
SABINE · CONIVGI ·
B · M · F
ſic QVAE · VIXIT · AN · XL · MES · III ·
ITEM · LIBERTIS · LIBERTABVS
ſic QVAE · POSTERISQVAE · AEORVM

94

D M

LVCIAE · CELERINAE
QVAE·ET·VICTORIA·VIXIT
ANN · XXIII · L PETRON
FORTVNATVS · CONIVGI
sic DVLCISSIM FECIT

95

M

PONTICI
DVPL · CL · PR
N I S . . . . . .
. . . .

95 DVPL · CL · PR · Hoc eſt: *Duplaris Claſſis Praetoriae Miſenatis*. Claſſiarii Milites Duplares dicebantur, qui duplam annonam vel ſtipendia pro meritis accipiebant, ut auctor eſt Vegetius, paullo ante productus. Sexti Arrii Romani MEDICI DVPLaris, natione Aegyptii, ſit mentio in lapide Ravennate, quem nuper vulgavit V. C. Scipio Marchio Maffeius in Tom. IV. Obſervat. Litter. pag. 351. n. 10.

96

ANTONIVS
CENVS · III · MI
RVA · N · AEGYPT
XIT · ANNIS · XLV MILI
VIT ANNIS · XXII · HYGIA
ERTA · EIVS · ET · H · B · M F

97

D M

CORNELIAE
DIONISIADI
VERN · PVTEOL
VIX · ANN · XXX ANT
IHERAX · NAVE · III
AVG · CONIVGI B · M · F

96 III.MI .. RVA . N. AEGYPT. Hoc eſt *Triere Minerva*, *Natione Aegyptius*. Ovidius Lib. I. Triſtium Eleg. IX. navem ſuam deſcribens, Minervam pro tutela, pro inſigni caſſidem habuiſſe ita memorat:

Eſt mihi, ſitque precor, flavae tutela Minervae,
Navis & a picta caſſide nomen habet.

Non

Non ſolum coniuges, verum etiam libertas ſecum habuiſſe Claſſiarios milites, oſtendunt hi lapides, aliique ſuperius editi. Hygia Antonii militis liberta, eo defuncto, heres eius fuit. In altero lapide, qui ſequitur n. 97. Corneliae Dionyſiadis Vernae Puteolanae fit mentio, cui defunctae titulum fecit Antonius Iherax miles *Nave Triere Auguſto*; cuius inſigne vel tutela fuit Auguſti ſimulacrum, vel eius picta effigies. Auguſtus vagas antea Claſſes, certis locis diſtribuit; unamque Miſeni, alteram Ravennae, ad tutelam inferi & ſuperi maris, collocavit, teſte Suetonio in eius vita Cap. XLIX. num. 2. & Tacito Annalium Lib. IV. n. 1. Addit lapidi raritatem quod notatur NAVE & III hoc eſt *Triere Auguſto*, quod in paucis hactenus legi. In alio lapide apud Fabrettum Inſcr. ant. Cap. V. pag. 365. non declaratur NAVE; ſed tantum III. AVG. id eſt *Triere Auguſto*.

ELENCHVS

Trierium, Quadrierium, Quinquerium, & Liburnarum Romanarum, quae in utraque Claſſe Miſeni & Ravennae ſtabant, auctoritate antiquorum lapidum concinnatus.

Quod notae illae III & IIII quae in adlatis antiquis lapidibus rariſſimis, quibus navalis militia Romanorum luculentius illuſtratur, ſignificent *Trieres*, & *Quadrieres*, a remorum ordinibus ita adpellatas, ſive, ut frequentius Romanae Hiſtoriae Scriptores dicunt *Triremes*, & *Quadriremes*, colligitur ex duabus antiquis tabulis marmoreis, quas protulimus in Parte I. Inſcriptionum antiquarum Etruriae Urbium, pag. 125. num. 13. & pag. 129. num. 14. in quibus integrum no-

nomen, non per singulares notas, expressum est; nempe TRIERE SPE & QVADRIERE FIDE. Sed eruditis viris haud inutilis videbitur meus labor, a nemine antea susceptus, recensendi quotquot exstant Triremium Romanarum nomina, queis adiuncta est tutela, vel insigne; quarum fit mentio in maritimis saxis ad hoc tempus editis. Ita enim iucundior erit litteratis viris cura, si his veterum Romanorum navalem militiam illustrare voluerint. De his nonnulla adnotavi in Parte I. Inscriptionum antiquarum Etruriae Urbium pag. 241. Igitur Romani exercitus naves, quae in utraque Classe stabant, altera Miseni, altera Ravennae ad tutelam inferi & superi maris, ab Augusto his certis locis conlocatae, quum antea vagae essent, servato alphabetico ordine recensendae sunt, indicatis antiquariorum libris, quibus proferuntur.

De *Triere Aesculapio*, cuius tutela Aesculapius, &

De *Triere Apolline*, habetur mentio in hoc lapide rarissimo, qui exstat Ravennae. Hunc nuper publica luce donavit V. C. Scipio Maffeius Marchio in Tom. IV. Observationum Litter. pag. 349. n. 5.

D M
L · V I G E R I O
T A R S A E $\overline{\text{III}}$ A E S C
N A T · C O R S I V I X A N
X X I I M I L · A N · I I I
M L A E L I V S R V F I N V S
O P T $\overline{\text{III}}$ A P O L L
H B M P

De

De *Triere Athena*, quae nomen Minervae, a Graecis ita usurpatum, sortita est, vide Partem I. Inscript. ant. Etruriae Urb. pag. 240. n. 5.

De *Triere Augusti*, Fabrettus Inscript. ant. Cap. V. n. 114. consulendus. Meminit etiam paullo ante productus lapis num. 97.

De *Triere Capricorno*, meminit vetustus lapis in Gruteriano Thesauro pag. MXXX. 2.

De *Triere Diana*, Fabrettus Inscript. ant. Cap. V. num. 120.

Ravennae haec quoque legitur inscriptio, quam edidit idem Cl. Marchio Maffeius in eodem libro pag. 348. num. 4.

SELEVCVS
OPTIO · III DIANA
CONIVGI BENE · ME
RENTI
ATINIA SECVNDA
FILIA ET MARCVS
COMMATRONIVS

De *Triere Euphrate*, Reinesius Class. VIII. n. 46. & Fabrettus Cap. V. n. 110.

De *Triere Fide*, Gruterus pag. DLXI. 1.

De *Triere Fortuna*, Fabrettus Cap. V. n. 116. Eadem tamen inscriptio, quum integra adferatur in Gudianis, a Cl. Hesselio nuper editis, pag. CLXXXIV. 4. ita genuinae lectioni restituenda est: nec legendum III · sed IIII · idest *Quadriere* videtur.

D M

D · M
L · SVLPICI · ARTEMI
DORI · MIL · CLASS · PR ·
MISENENS · IIII · FORTVNA
NATIONE · AEGYPTIVS
VIXIT · ANN · XXX · MILI
TAVIT · ANN · VIII
C · VALERIVS · ACHIL
LEVS · EX · EADEM
H · B · M · F

De *Triere Galea ;* quae a *galea* eius insigni nomen accepit, meminit singularis titulus maritimus, qui exstat Ravennae. Hunc primus edidit & illustravit laudatus Maffeius in Tom. IV. O. L n. 9. pag. 350. notatque usurpatam interdum transpositionem *de galea trieris*: & ut apud Gruterum pag. MXXX. 2. *ex Capricorno Trieris*, & superius n. 90. EX VESTAE. Illud etiam adnotandum est auctoritate huius lapidis, non solum praetoriis navibus, sed etiam trieribus gubernatores praefuisse: de quo licet nemo dubitaret, nondum tamen antiquorum lapidum testimonio id constabat. Ita igitur se habet.

PHALLAEVS
DIOCLIS F · GVBER
DE CALEATRIERIS
ET NICE · L · P · F ·
IN FR · P · VI · IN AGR
P XV ·

De

De *Triere Hercule*, Fabrettus Cap. V. n. 113. Eadem inscriptio aliter in Donianis a me editis Class. VI. num. 9. & inter marmora Pisaurensia a Cl. de Abbatibus Oliverio edita pag. 175.

De *Triere Iside*, vide Gruterum pag. DLVI. 8.

De *Triere Iuventute*, Fabrettus Cap. V. pag. 364. num. XVIII.

De *Triere Lucifero*, vide in Parte I. Inscr. ant. Etruriae Urbium pag. 242. 7. & 8. & in Parte III. pag. 58. n. 77. & pag. 61. n. 78.

De *Triere Marte*, vide in Parte I. Inscr. ant. Etrur. Urb. pag. 243. n. 10. & penes Vignolium inter selectas pag. 296.

De *Triere Mercurio*, apud Fabrettum Cap. V. n. 119.

De *Triere Marino*, vide Marmora Pisaurensia pag. 177.

De *Triere Minerva*, fit mentio in vetustis lapidibus maritimis apud Fabrettum Cap. V n. 3. & 118. apud Vignolium inter selectas pag. 298. & in Parte III. Inscript. ant. Etrur. pag. 68. n. 96.

De *Triere Neptuno*, consulendus Fabrettus Inscr. ant. Cap. V. n. 117. De *Liburna Neptuno* inferius.

De *Triere Pace*, Fabrettus Cap. V. n. 115.

De *Triere Pietate*, vide in Parte I. Inscript. ant. Etrur. pag. 238. n. 4. & in II. pag. 186. item inter Donianas Class. VI. num. 11.

De *Triere Providentia*, meminit antiquus lapis, qui exstat Ravennae in S. Anastasia; quem ex Grutero p. MCVII. 3. lubet producere, ut adnotemus Classem Praetoriam Ravennatem ab Antonino Caesare, sive ab eius filiis cognomentum accepisse: quemadmodum Misenensem *Philippianam* a duobus Philippis Imperatoribus, denominatam constat ex ahenea Tabula penes Fabrettum, Syntagmatis Columnae Traianae Cap. III. pag. 70. quam mox opportuniore loco producam.

D · M
M · AVRELI · VITA
LIS · MILITIS · CL
PR · ANTONI
NIAN · RAVENN
NATIONE · PANN
III · PROVIDENTIA
STIP · XXVIII
VALERIA · FAVSTI
NA · FOCARIA
ET · HERES · EIVS
BENEMERENTI
POSVIT

De *Triere Salute*, in Parte I. Inſcript. ant. Etrur. Urb. pag. 125. n. 13. & pag. 238. num. 14. & in Donianis Claſſ. VI. n. 10. edita eſt.

De *Triere Sole*, fit mentio in hoc lapide, quem lubet iterum poſt Vignolium pag. 299. exhibere; quem Neapoli penes Ioannem Vincentium Rondinellium exſcripſit Ioſephus Valletta.

· D · M ·
L · POMPEIO ASIATICO
III SOLE · NAT · ALEXANDR ·
MIL · AN · XXVII · VIX · A · LIIII ·
ET
M · POMPEIO FIL · EIVS ·
VIX · AN · VIII · M · V · DIEB · X ·
VALERIA · MARCIA · CONIVG
KARISSIMO · ET FIL · DVLCIS
SIMO · BENE · MER · FEC ·

De *Triere Spe*, Fabrettus Inſcr. ant. Cap. V. n. 110.

De

De *Triere Tauro*, in Parte I. Inſcr. ant. Etrur. Urb. pag. 243. 9. & apud Vignolium inter ſelectas p. 297.

De *Triere Tiberi*, nempe quae a Tiberi flumine tutelam vel inſigne habuit, fit mentio in Parte I. Inſcript. ant. Etrur. Urb. pag. 240. n. 6.

De *Triere Triumpho*, meminit antiquus lapis apud Fabrettum Inſcr. ant. Cap. V. n. 228.

Trieribus ſingulis itemque Liburnis praeerant Trierarchi, militaris maritimae rei ſcientiſſimi. Apud Gruterum legimus Tiberium Magium Caeninianum pag. DLI. 11. & P. Petronium Aphrodiſium pag. MXXXI. 8. apud Fabrettum habes Caſpium Trierarchum Tiberii Caeſaris. Ad hos, poſt ampliſſimos honores promotos fuiſſe Caeſarum Auguſtorum indulgentia, docet inſigne marmor a me editum inter Donianas Claſſe VI. n. 1. quod in Agro Miſenate inventum fuiſſe conſtat, atque ita ſe habet.

SEX · IVLIO · Q · F · GALER · PRIMINIANO
LEG · LEG · X · AVG · PROPRAET · PROVINCIAE
ACHAIAE · PRAEFECTO AERARI MILITAR · VII
VIRO · EPVLON · NAVARCHO · TRIERARCHO · ET
PRINC · CLASS · MISEN · M · VALERIVS · M · F
GAL · MATVRINVS · T · P · C ·

ELENCHVS

Quadrierium, & Quinquerium Romanarum.

De *Quadriere Armata*, meminit maritimus lapis a Vignolio editus pag. 299. Ita vero nuncupata eſt, quod inſigne eius eſſent arma.

De *Quadriere Dacico*, fit mentio in Fabrettianis Inſcriptionibus Cap. V. n. 123. & in Parte I. Inſcr. ant. Etrur. Urb. pag. 244. & in III. pag. 65. n. 82. & inter ſelectas apud Vignolium pag. 297.

Forſitan *Dacico* nomen & inſigne huic quadriremi fuit, quia in ea erectum erat ſpolium vel tropaeum cum Daco milite captivo: vel potius imago Traiani Caeſaris, qui devictis Dacis, *Dacicus* adpellatus eſt. Ita trieris *Auguſto* ſuperius recenſita eſt, quae forſitan Auguſti imaginem pro inſigni vel tutela habuit.

De *Quadriere Fide*, vide in Parte I. Inſcr. ant. Etrur. Urb. pag. 125. n. 13. item pag. 129. n. 14.

De *Quadriere Fortuna*, vide in Gudianis Inſcriptionibus ab Heſſelio editis pag. CLXXXIV. 4.

De *Quadriere Pado*, quae a Pado, celeberrimo Italiae flumine, in ea ſculpto vel picto nomen accepit, dignus eſt ut heic iterum adferatur titulus, nuper editus a Cl. March. Maffeio in Tom. IV. O. L. pag. 349. num. 6. qui Ravennae exſtat.

D M
T T A R Q V I
N I I V V E N A
c L I S IIII · P A D
N A T G E R M A
. . . .

De *Quadriere Veſta*, vide in Parte I. Inſcr ant. Etrur. Urb. pag. 246. n. 12. & in Parte III. pag. 67. n. 91. Hanc eamdem Inſcriptionem habet Vignolius pag. 298. ſed mendis inquinatam; quam miror ita Ioſephum Vallettam exſcripſiſſe, praeſertim in quincto verſu, in quo apertiſſime ſcriptum eſt EX · IIII ·

VE-

VESTA · non vero ut edidit, EX · IIII · VESIL · ipſe tamen Vignolius recte ſuſpicatur legendum VESTA.

De *Quinquiere Auguſto* fit mentio in ſingulari lapide, quem vide in Parte II. Inſcript. ant. Etruriae Urbium pag. 186.

De *Quinquiere Victoria* exſtant duo rariſſimi lapides, quos debemus V. C. Hannibali de Abbatibus Oliverio, qui eos vulgavit inter marmora Piſaurenſia pag. 176. hoſque lubet iterum adferre. Prior exſtat Ravennae, in quo pro AMOR. CVST. legendum ARMOR. i. e *Armorum Cuſtodis*; alter apud Pompeium Sarnellium in libello cui titulus: *Guida de' Foreſtieri per Pozzuolo.*

D · M
L · IDASIMI
VALENTIS
ſic AMOR · CVST · V̄
VIC · NAT · DELMATA
VIX · AN · XLIII
MIL · AN · XXIII
IVL · SEVERINVS
HERES EIVS ET
SEVERA VXOR
B · M · P · C ·

M · ANTONIVS RVFINVS
MILES EX · V · VICTORIA SIBI
ET L · IVLIO APOLLINARI PATRI
MILITI EX I̅I̅I̅ DIANA VIXIT
ANNIS XXXVIII MIL · AN · XIIX
ET LIBERTIS LIBERTABVS POSTE
RISQVE EORVM

ELEN-

ELENCHVS

Liburnarum veterum Romanorum.

De *Liburnis Navibus* nonnulla adnotavi in Parte I. Inſcriptionum antiquarum, quae exſtant in Etruriae Urbibus, pag. 245. 246. De his conſulendi Lilius Gregorius Gyraldius de re nautica, ſive de navigiis Cap. XVIII, & alii inſignes Scriptores, quos recenſet Samuel Pitiſcus.

De *Liburna Armata*, fit mentio in hoc lapide, nunc primum edito, e Muſeo V. C. Franciſci de Ficoronibus.

D · M · L · SVRDINI · SA
TVRNINI · LIB · AR
MATA · NAT · AFER
VIX · ANN · XXXX ·
MILIT · ANN · XVIIII
CLODIA · SECVNDA
MATER · FIL · BEN · M · F

De *Liburna Barbaro* penes Gruterum p. DLXIV. 7.

De *Liburna Clupeo*; cuius inſigne fuit clypeus, ſive clupeus, meminit vetuſtus lapis a Fabretto editus Cap. V. Inſcript. ant. num. 122.

De *Liburna Diana*, vide apud eumdem Fabrettum Cap. V. num. 121.

De *Liburna Fide*, vide in Parte I. Inſcriptionum ant. Etrur. Urbium pag. 125. num. 15. & pag. 129. num. 14.

De

De *Liburna Grypho*, cuius insigne fuit *Gryphus*, mentio habetur in eximio titulo, quem Cl. Marchio Masseius protulit pag. 188. in opere, cui titulum fecit: *Galliae Antiquitates quaedam selectae*. Scriptum notat in capsa quadam marmorea, in vestibulo templi Turcici prope Ephesi Khan. De Syriaca Classe vide Livium Lib. XXXVI. c. 22.

HAEC ARCA C IVLI
HILARI TRIERARCHI
CLASSIS SYRIACAE
LIBVRNA GRYPI
ET DOMI TIAE
GRAPHIAE VXORIS
EIVS CONIVGIS
CARISSIMAE

De *Liburna Neptuno*, Reinesius Classe VIII. n. 44. Fabrettus Cap. V. n. 123. 124. & vide in Parte I. Inscript. ant. Etrur. Urb. pag. 244.

De *Liburna Nereide*, vide supra pag. 66. n. 89.

Bicrotae de Marte, mentio fit in singulari lapide penes Fabrettum Cap. V. n. 122. quae simul cum LIBVRNA CLVPEO nominatur.

Sponius inter militaria saxa, nullum protulit in quo navalium militum habeatur mentio, praeterquam honestam missionem a duobus Philippis Augustis datam iis, qui militarant in Classe Praetoria Philippiana, seu Misenense, quae erat sub Aelio Aemiliano Praefecto, qui octonis & vicenis stipendiis dimissi fuerant. Hanc primus omnium publici

ci iuris fecit Ioannes Petrus Bellorius ad Tab. III. Fragment. Vestigii veteris Romae pag. 15. postmodum Sponius, deinde Fabrettus, uti superius pag. 73. monui, eaque ita se habet.

IMP · CAES · M · IVLIVS · PHILIPPVS · PIVS · FELIX · AVG
PONTIF · MAX · TRIB · POT · IIII · COS · III · DES · P · P · PROC · ET
IMP · CAES · M · IVLIVS · PHILIPPVS · PIVS · FELIX · AVG
PONT · MAX · TR · POT · IIII · COS · DESIGNAT · P · P
IIS · QVI · MILITANTES · SVNT · IN · CLASSE · PRAETOR · PHILIPPI
ANI · SEV · MISENENSE · QVE · EST · SVB · AELIO · AEMILIANO · PR
OCTONIS · ET · VICENIS · STIPENDIS · DIMISSIS · H · M
QVORVM · NOMINA · SVBSCRIPTA · SVNT · IPSIS · FILISQVE · EORVM
QVOS · SVSCEPERINT · EX · MVLIERIBVS · QVAS · SECVM · CONCESSA
CONSVETVDINE · VIXISSE · PROBATE · SINT · CIVITATEM · ROMA
NAM · DEDERVNT · ET · CONVB · CVM · ISDEM · QVAS · TVNC · SE

O O

CVM · HABVISSENT · CVM · EST · CIVITAS · IIS · DATA · AVT · SI · QVI
TVNC · NON · HABVISSENT · QVI · S · QVAS · POSTEA · VXORES · DV
XISSENT · DVMTAXAT · SINGVLIS · SINGVLAS · AD · V · KAL · IAN
IMP · M · IVLIO · PHILIPPO · PIO · FELICE · AVG · COS · DES · III
ET · IMP · M · IVLIO · PHILIPPO · PIO · FEL · AVG · COS · II · DES · COS

E X · O P T I O N E

T · FL · T · FIL · ALEXANDRO · N · ITAL · D · MISEN · ET · MARO
PROCVLAE · VX · EI · ET · MARC · ALEXANDRO · ET · FL · MARCO · ET
VLP · SABINO · AVREL · FAVSTAE · FIL · EIVS
DESCRIPT · ET · RECOGNIT · EX · TABVLA · AENEA · QVE · FIX · EST · ROMAE
IN · MVRO · POST · TEMPLVM · DIVI · AVG · AD · MINERVAM

Hanc eius quoque eruditis notis illustratam, lubet iterum recudere, prolatis his quae ab eo erudite notantur ad Tab. III. Fragment. Vestigii veteris Romae.

· · · LICA L · Basilica Licinii.
· · MENTARIA · Armamentaria
· ASTRA · MISE · Castra Mise
· · TIVM · natium

„ Ad horum titulorum intelligentiam, initium du-
„ cimus a Castris Misenatium, quae locant in Esqui-
„ liis. Auctor est Suetonius, Augustum Classem
„ Mi-

„ Miſeni, & alteram Ravennae, ad tutelam ſuperi, „ & inferi maris, collocaviſſe. Hi Claſſiarii Romae „ ſua Caſtra & hoſpitia habebant, ſive vocati, ſive „ delecti, ſive alia quavis de cauſa ad urbem acce- „ dentes. Probat noſtrum veſtigium, Claſſiarios Mi- „ ſenatium Caſtris proximum habuiſſe Armamenta- „ rium, quemadmodum Caſtris Peregrinis aliud Ar- „ mamentarium fuit in Regione Caelimontana, in „ deſcriptionibus Rufi, & Victoris memoratum. Cum „ Neapoli eſſemus, in illuſtri Muſeo Franciſci Anto- „ nii Picchiatti Regii Architecti, aeneam tabulam, „ ſive teſſeram inſpeximus palmari magnitudine mino- „ rem, quae pertinet ad Claſſiarios Miſenenſes, di- „ miſſos honeſta miſſione, ac Romana civitate do- „ natos ab Imperatore Philippo, ipſamque ineditam „ hic referre viſum eſt.

„ Caſtra vero Miſenatium in colle Eſquilino ſita fu- „ iſſe, veriſimile eſt, non longe a Gallieni Arcu; ſi „ vera coniectura eſt ex noſtro veſtigio, in quo le- „ gimus BASILICA LICINII a Licinio Gallieno, quae „ corrupte *Sicinii*, *Siſſinii*, & *Sicinini* apud Ammia- „ num, Panvinium, alioſque. Ibi ſtetiſſe Licinianam „ Baſilicam ſuadet Capitolinus, ſcribens de ipſo Gal- „ lieno: *Cum eſſet ad hortos nominis ſui, omnia pala-* „ *tina officia ſequebantur*. In eadem ergo Baſilica Gal- „ lienus iudicia exercebat: & iuvat Alexandri Dona- „ ti coniectura, qui in Eſquiliis hortos ipſius Impe- „ ratoris locat: *Conſtat Gallieno Eſquilinum collem ca-* „ *rum ſummopere fuiſſe; ibique ei poſitum Arcum: eum-* „ *demque in eodem colle admirabilem coloſſum collocare* „ *voluiſſe. Quare eius hortos inde abducere non poſſum.* „ Si quis tamen Baſilicam Liciniam, ab Imperatore „ Licinio denominatam malit, non contendimus; cum „ non longe ad Vrſum pileatum, Palatium Licinianum „ locent. Elapſo anno MDCLXXI. in Hortis Caeſiis, „ ad Arcum Gallieni, ſtatuae effoſſae ſunt, raro ar-

„ tificio elaboratae; e quibus Musae quatuor sedentes, Minerva, Mercurius, Bacchus; aliaeque in „ proximis hortis Marchionis Palumbariae, inter nobiles urbis ruinas. Ad proximam etiam Ecclesiam „ S. Iuliani, insignis eruta fuit pictura, Clementis „ VIII. Pontificatu, quae novae nuptae, seu sponsae lavacrum refert, figuris plurimis arte mira expressis; hodieque in Hortis Aldobrandinis in Quirinali adservatur.

Fabrettus, ut ostendat quo loco Romae fuerint Castra Pretoria Navalium militum, profert duas hasce inscriptiones Cap. V. num. XVIII. & XIX. uno eodemque loco erutas, in vinea scilicet Puellarum Mendicantium ad Viam Appiam, ultra II. lapidem, e regione bivii, ab ea in Latinam tendentis.

D · M
TI · CL · VERBANI
MIL · CL · PR
MIS · III · IVVEN
N̄ · BESSVS
V · A · XXXXV
· H · B · M · F

D · M
C · MVCI
VALENTIS
MIL · CL · PR · MIS
III · ISIDE
N̄ · CILIX
V · A · XXXVIII
MIL · A · XVI

* D · M
· PVBLICI
MISSORIS
MIL · CL · P · MIS
III · MINERVAE
NATIONE · CILIX
V · A · XXXXV
MIL · A · XVIII
H · B · M · F

Horum lapidum auctoritate, idem Fabrettus, ubi Romae exstiterint Castra Misenatium, observat. Lubet ea, quae ipse scribit, adducere „ Quumque in „ proxima hanc quoque (*nimirum inscriptionem superius tertio loco * adlatam*) inspexerim, suspicio mihi iniecta est, hunc agrum fuisse PVBLICVM SEPELIENDORVM MILITVM CLASSIS PRAETORIAE MISENENSIS IN VSVM, qualem Neapoli, vel alicubi prope Misenum, destinatum docet inscriptio pag. CCVIII. apud Gruterum, cuius ipsamet verba produxi. Non enim novum est,

Ca-

„ Caſtra Miſenatium, & quidem duplicia, *Novæ*
„ nempe & *Vetera*, hic Romae exſtitiſſe; quia Ru-
„ fus in III. Regione haec habet: CASTRA MISE-
„ NATIVM II. ubi expreſſe CASTRA MISENATIVM
„ VETERA novus Victor reponit. Novum vero,
„ nec ab alio (quod ſciam) obſervatum, illud erit,
„ Caſtra Miſenatium, & fortaſſis Ravennatium quo-
„ que, Caſtris Praetorianorum admota conſpici; ut
„ legitur in hac inſcriptione, e lateribus compacta
„ etiamnum Turri angulari eorumdem Caſtrorum,
„ meridiem & Viam Tiburtinam verſus, inhaerente.

C . . . MISENATIVM ET . . . .

His a Fabretto adlatis, adde auctoritatem lapidis antiqui inter Donianas Claſſ. VI. num. 13. qui erutus eſt in via Appia ad aquam *Aciam*, ſine *Acidam*. Pro EPERED. lege EPORED. ſcilicet *Eporediae*.

L · FOVRIO · L · F · POL
FOVRIANO
ORIVNDO · EPERED · IT
AL · MIL · VETERANO
CLASS · RAVEN · VIX
ANN · LXII · M · IIII
H · S · E
IN · FR · P · VI · IN · AG · X

Minime etiam dubitandum eſt cum Miſeni, tum Ravennae fuiſſe *Caſtra Praetoria* Claſſiariorum, quamvis de his diſerte mentionem non faciant veteres ſcriptores. In Parte II. Inſcript. ant. Etruriae Urb. pag. 181. perrarum lapidem protuli, qui nunc

exſtat in Muſeo Mediceo, in quo CASTRA · PRAETORIA RAVENN . he. *Ravennatium* memorantur. Probabile etiam adſerui *Caſtra Praetoria Miſenatium* fuiſſe circam Retinam in agro ſubiecto Miſeno, quo in loco villam habuit Plinius, naturalis Hiſtoriae parens, Praefectus Claſſis Miſenatium, avunculus Plinii Caecilii; cuius meminit in epiſtola decima ſexta Lib. VI. ad Cornelium Tacitum, Romanae Hiſtoriae ſcriptorem. Praeter Caſtra Praetoria tum Miſeni, tum Ravennae, fuere phari ſive turres, quibus lumina noctu praecluerent, uti ſuperius in Parte II. huius operis pag. 182. oſtendi: ubi etiam nonnulla alia, quae ad maritimam veterum Romanorum militiam pertinent, adnotavi.

Declaratis navium in utraque Romanorum claſſe nominibus, quae ex vetuſtis ſaxis eruuntur; ſuprema, media ac infima officia eorum qui militabant, adiicere haud abs re erit. Haec ordine accuratiore diſponent qui hanc ſpartam illuſtrare voluerint. Digniorem honoratioremque locum cum imperio tenuit, ni fallor, *Princeps Claſſis*, qui Scheffero Lib. IV. de Militia Navali in Addendis pag. 341. non videtur eſſe alius a Praefecto Claſſis. Utraque Claſſis tum Miſeni, tum Ravennae *Principem* habuit, cuius fit mentio penes Gruterum pag. MXXXI. 8. & in adlato ſuperius lapide pag. 75. quem etiam inter Gudianas editum habes pag. CXXVIII. 4. quique repetitur pag. CLXXI. 6. atque in eo, ordine quodam, navalia officia Sex. Iulii Priminiani enumerentur. Siquidem exploratum eſt, a minoribus, ſeu minus dignoribus ad maiora magiſque digna officia enumerationes tum in militaribus ſaxis, tum in his, quae ad magiſtratus pertinent, procedere.

Praefecti Claſſis diſerte fit mentio in pluribus vetuſtis inſcriptionibus. Fabrettus hanc adfert Cap. I. n. 182. pag. 37. ex Schedis Barberinis, quas in Barberina

Bi-

Bibliotheca reliquit meus Donius: memoratque Tiberium Iulium Paetinum Bassianum, Praefectum Classis Misenensis fuisse.

TI · IVLIO · TI · F · STEL
PAETINO
BASSIANO · PROC
AVG · XX · HER · PRAEF
CLAS · MIS · TRIB · LEG · I
ITALICAE · PATR · COLON
T · FLAVIVS · T · F · OVFEN
OPTATVS · II · VIR · F · COER

Vide etiam Donianas Class. VI. n. 3. & Gudianas, a Cl. Hesselio editas, in quibus plures memorantur pag. XXX. 4. & CLIII. 3. Praefecti Classis Ravennatis. Meminit etiam hic lapis, seu potius ara Ravennae eruta, inter Gudianas edita; quamquam, ut suspicor, non sine mendis, quae veritati officiunt, pag. XLI. 1. in qua adnotandum, cum Neptuno communem cultum & forsitan aram ac templum lucumque sacrum habuisse Isidem, quae quum navigia invenisset, nautis ac navigantibus favere credebatur.

NEPTVNO · CONSERVATORI
ET ISIDI MATRI DE · · ·
IN LVCI CLASS · RAVEN
SACR
L · ANTIDIVS · L · F · PAL · FEROX
PRAEFECTVS · CLASS · · · ·
RAVENNAT · PATRONVS · COLLEG
FABR · NAVT · PRAEF · COLL · FABR
FERRAR · QVINQ · II · L · D · D · D
· · · · · · · · · · IN COL · DECVR

Io-

Iosephus Scaliger in Indice suo ad Gruterianos lapides, *Tribunum* agnoscit *Classis Ravennatis* in sequenti inscriptione, quae adfertur cum mendis in Gruteri Thesauro pag. MCIX. 6. Lubet eam iterum producere, & quidem castigatiorem, auspice Desiderio Spreto Ravennate, qui edidit post librum de amplitudine, de vastatione, & de instauratione Urbis Ravennae, ex Veneta editione anni MCCCCLXXXVIIII. quamquam & ipse non sine aliquibus naevis protulerit.

D . M
L · LICINI · MAXIMI TR
CLASS · PR · RAVENN · NATIONE
DELMAT · VIX · ANN · XXV
P · AELIVS · QVINTVS · FRATRI
PIISSIMO · FACIVNDVM · CVR

Eadem nota TR declaratur Tullii Titiani officium in sequenti lapide, quem primus omnium, a Cl. Iosepho Valletta exscriptum, vulgavit Celeb. Ioannes Vignolius inter selectos pag. 292. Lubenter iterum heic adiicio, quia nonnulla continet a Vignolio praetermissa, quae animadversione digna videntur.

D · M ·
C · TERENTIVS · LONGI
NVS · ORNO · FACTIONE
ARTIFICVM · VIXIT · AN
NIS · XXX · MIL · VIX · AN
NIS · XI · TVLLIVS · TITIA
NVS · TR · CLAS · PR · MISIN *sic*
H · B · M · F

In

In tertia linea quid sibi velit ORNO, cum ignaris aeque me ignorare fateor. Quamvis in Gruteriano Thesauro pag. CCCCXLV. 3. & CCCCXCIV 7. occurrant ORNATI MILITIA; tamen cum hoc lapide minime congruere videntur. Vitium in lapide, vel vitiose, quamquam a docto viro, exscriptum suspicor. Videndum an OPTIO substituendum sit. In quarta linea MIL. VIX. non MILITAVIT, sed *Miles vixit*, interpretatur idem Vignolius. Reliqua TR CLAS. PR. MISIN. idem exemplo Scaligeri in Indice, exponit *Tribunus Classis Praetoriae Misenensis*. Verum quum ex antiquis scriptoribus nullus nominet Tribunum Classium Praetoriarum, vel Tribunum navalium militum; contra vero tum lapides, tum scriptores Livius, Tacitus, Suetonius ceterique, quorum testimonia adfert Schefferus de Militia Navali Lib. IV. Cap. VI. Trierarchos recenseant: arbitror compendiariam illam notam TR indicare *Trierarchum*, non vero *Tribunum* Classis Praetoriae vel Misenensis vel Ravennatis. In vetustis saxis nulla Tribunorum Classicorum mentio: memorantur quidem Tribuni Legionum, Tribuni Cohortium Praetoriarum, & Urbanarum, & Vigilum: Tribuni Equitum, Tribuni Militum; numquam tamen diserte de his mentio habetur. Sed neque Classes Britannicam, Moesicam & Pannonicam, & Cohortes Classicas habuisse Tribunos constat ex militaribus saxis, sed Praefectos, quod editi Indices apud Gruterum, Reinesium & Donium, itemque apud Gudium evincunt. Sane memorantur Cohortes Classium Praetoriarum & Centuriones, qui iisdem praesidebant. His militibus Trierarchos imperasse, & sub eorum imperio fuisse, docet Tacitus Annalium Lib. XIV. c. 8. *Respicit*, inquit, *Anicetum Trierarcho Herculeo, & Oloarito Centurione classiario comitatum*.

Id

Id clarius liquet ex sequenti lapide eruto in Via Flaminia, inter Gudianas pag. CLIX. 7.

D · M · S
SP · CAVIVS · Q · F · GALER · LATI
NVS · PRAEF · CLASS · RAVENN
COHOR · PRIMAE · SPECVLAT
VIVS · SIBI · ET SVIS · OMNIBVS
PAR · HEREDIBVS · FECIT · ET
POSTERISQ · EOR · ET · SVTIAE
SABINAE VXORI · SVAE · BENE
DE · SE · MERITAE · POSVIT

Cohortibus Praetoriis, Urbanis & Vigilum, Tribunos praefuisse constat ex antiquis inscriptionibus; non vero Classicis. Operae pretium me facturum arbitror, si duos lapides singulares huic adferam, qui ad utramque Classem tam Miseni, quam Ravennae pertinent, qui id confirmant. Alter in agro Baiano inventus, inter Donianas editus Class. VI. 7. alter vero apud Reinesium Class. num. 29. Qui tertio loco adfertur, e Museo Cl. Ficoronii depromptus, ad hoc tempus ineditus fuit.

D M
M · STABERIVS · M · F · QVIR · LACER
> · COH · VI · SPECVLAT · CLASS · MISEN
V · FECIT · SIBI · ET · STABERIAE VERI
DIANAE MATER · · · · ET · L · STABE
RIO PROCILLO · FILIO · DVLCISSIMO
VIX · ANN · XII · M · VII · D · IIII · HOR · II

D · M ·
M · ANTONIO
STATIO
CENTVRIONI
CLASS · PR · MISEN
QVI VIX · ANN · L ·
ANTONIA STATIA
PATRI PIENTISSIMO
F E C I T ·

D · M
C · I V L I O
V A L E N T I
CENT · CLASS ·
PR · RAVENN ·
V I X · A N N
XL · MIL · ANN · XXII
C · IVLIVS · FLAVIAN
AMICO · MF · P ·
M · P

Nihil autem obſtat, quod apud Caeſarem de Bello Gallico Lib. III. c. 3. legamus, Tribunis militum Centurionibuſque ſingulas naves adtributas fuiſſet; quum D. Brutus a Caeſare praefectus fuiſſet Claſſi Gallicisque navibus contra Venetos, ſcientia atque uſu nauticarum rerum ceteris praeſtantiſſimos: *Caeſar*, inquit, *ubi intellexit, fruſtra tantum laborem ſumi, neque hoſtium fugam, captis opidis, reprimi, neque his noceri poſſe; ſtatuit expectandam claſſem: quae ubi convenit, ac primum ab hoſtibus viſa eſt; circiter* CCXX. *naves eorum paratiſſimae, atque omni genere armorum ornatiſſimae, e portu profectae, noſtris adverſae conſtiterunt: neque ſatis Bruto, qui claſſi praeerat, neque Tribunis militum Centurionibuſque, quibus ſingulae naves erant adtributae, conſtabat, quid agerent, aut qua ratione pugnae inſiſterent. etc.* Nam haec Claſſis ob ſubitum bellum a Caeſare collecta, & parata fuit; quod ex his quae paullo ante ſcribit, perſpicue adparet: *Veneti, omni ora maritima celeriter ad ſuam ſententiam perducta, communem legationem ad P. Craſſum mittunt, ſi velit ſuos recuperare, obſides*

sibi remittat: quibus de rebus Caesar a Crasso certior factus, quod ille aberat longius; naves interim longas aedificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum, remiges ex Provincia institui, nautas gubernatoresque comparari, iubet.

Inferioris ordinis fuisse videntur Praefecti, qui aliud simul munus interdum impleverunt, quod ex hoc lapide inter Gudianos pag. LX. 5. liquet. In priore linea legendum videtur ADESIO, quod cognomen Plutoni Deo Infero tributum ἀπὸ τῆς ἅδης videtur.

PLVTONI · EDEISIO · SACRVM
M · EMERIVS · M · F · QVIR · ANTHVS
PRAEFECTVS · ET · MENSOR · OPER
PVBLIC CLASS · RAVEN
SVA IMP ....

Praefecto Classis parebant Subpraefecti, qui ea quae ab illis iubebantur, exsequenda curabant, quorum mentio in Gruterianis pag. CCVIII. 1. & in Donianis Class. IV. n. 28. & Class. VI. n. 11. Subpraefectis parebant alii, nimirum Velarii, & Duplares Velarii. Vignolius pag. 296. memorat *Manipularium Praefectum Classis Praetoriae Ravennae:* ita expositis siglis MANIPVLAR. P. CL. PR. RAVENNAE. Eandem inscriptionem, e Museo Andreinio, a mendis expurgatam dedi in Parte I. Inscript. antiquar. Etrur. Urbium pag. 243. num. 10. sed huiusmodi officium, quum exemplum nullum habeat, expendendum an Vignolii interpretatio admittenda sit. Adridet potius: *Manipularius Praefecti Classis Praetoriae Ravennae.*

Iisdem suberant *Praefecti Armorum Custodibus*, quorum

rum mentio in Donianis Claff. VI. n 2. item *Praefecti Vehiculationis*, cuius meminit marmorea basis inter Gudianas pag. CXXXV. 4. quae singularis est, extra Formias eruta.

M · PERCERNIO M · F · VEL
CAPITOLINO
VI · VIRO · AVGVSTALI · PA
TRONO · COLON · II · VIRO
QVINQVEN
PRAEF · VEHICVL · CLASS · RAV
PRAEF · FABRVM · CENTON
FLAMINI · DIVORVM
OMNIVM · OB · MER
ITA · EIVS · L D D D

Praefecto Classis parebant Gubernatores navium, ut ostendit Schefferus de Militia Navali Lib. IV. Cap. I. pag. 255. Livii auctoritate Lib. XXIX. c. 25. C. Laelius Romanae Classis Praefectus, a Gubernatoribus quaerit, si aquam hominibus iumentisque in totidem dies, quot frumentum, imposuissent: illique respondent, aquam dierum quinque, & quadraginta in navibus esse. Gubernatoribus, uti dictum est, remiges parebant, qui etiam eorum iussu aquatum exibant, aliaque servitia praestabant. Nautis praeerant Navarchi & Archinautae. Navarchi dignioris officii, & conditionis fuisse videntur Trierarchis, si fides habenda est marmori, quod superius a me adlatum est pag. 75. ex Donianis Inscriptionibus; nam in eo militaria officia hoc ordine recensentur NAVARCHO · TRIERARCHO · ET PRINC · CLASS · MISEN · hoc est *Principi Classis Misenensis*.

M 2 In-

Inter Donianas Claſſ. VI. n. 2. adfertur lapis Ravennae erutus, non vero Miſeni, in quo mentio habetur M. Porcii Satullini, Civis Romani e Tribu Claudia, qui fuit *Archinauta Claſſis Ravennatis*. Eadem inſcriptio ſimul prodiit inter Gudianas curante Cl. Heſſelio pag. CLXXXI. 7. Ad nutum Trierarchorum erant Gubernatores, Symphoniaci, & Harmonici, ſive Harmoniaci, Tibicines, Hortatores, Iuſſores, Pauſarii: Archinautis nautae, & remiges parebant. Cum Navarchis coniungendi ſunt *Dromonarchi*, quos etiam in navali militia locum habuiſſe reor ex ſequenti lapide, inter Gudianos edito, pag. CCX. n. 3. & quidem eruto in Via Appia prope Tarracinam.

DIS · MANIBVS
L · ANTISTIVS · L · L · CASTOR
NAVARCHVS · DROMONARCH
ANTONIANVS · V · F · SIBI
ET · SVIS · LIBERTIS · LIBER
TABVS · POSTERISQ · EOR
IN FR · P · XIII · IN AGR · P · XVI

Dromonarchi hi erant qui navibus frumentariis praeerant, quae a celeritate dictae ſunt *dromones*. De his meminit Caſſiodorus Lib. V. Epiſt. 17. & Leg. 2. §. 2. Cod. de offic. Praef. Pr. Africae.

Poſt hos, honorariorem locum obtinuiſſe in navali militia crediderim *Magiſtrum Navium*, quod auctoritate Livii Lib. XXIX. c. 25. adſequi videor, ubi quae geſta ſunt a C. Laelio Claſſis Praefecto, accurate deſcribit: *Ut omnes iam in navibus erant, ſcaphas circummiſit, ut ex navibus, gubernatoreſque &*

MA-

MAGISTRI NAVIVM, *& bini milites, in forum convenirent ad imperia accipienda*. Eius quoque meminit Ravennas lapis inter Gudianos pag. XXVIII. 9.

DIANAE VICTRICI
SACR
Q · LVCCEIVS · Q · F · VLPIANVS · LIBERT
OLYPIODORVS *sic*
PATRONVS COLLEG · FABR · MAGISTR
CLASS RAVENN

Alio pertinent DOMINI NAVIVM, qui memorantur in Reinesii Syntagmate Cl. III. n. 21. quem vide. His addendi *Optiones*, quorum mentio habetur in singulari lapide inter Donianos Class. VI n. 8. quem aliter editum vide inter Gudianos pag. CLIV. 6. *Scribarum navalium*, quod nam fuerit officium, describit Festus; deque his luculenter Schefferus de Militia Navali Lib. IV. Cap. VII. Istiusmodi mentio fit apud Gruterum pag. DLXIV. 7. in lapide, qui exstat Ravennae ad D. Agnetis.

D · M
M · VALERIO
M · F · CLAVD · CO
LONO · LIBVRN
VARVAR · SCRIB · CL
PR · RAVEN · VIX · ANN · L
MIL · ANN · XXVI
VALERII · COLONVS · ET

Legendum, si doctis viris videtur, *Liburna Barbaro*, vel *Barbaris*, quos pro insigni habuit. Cum Scribis

bis iungendi ſunt Tabularii, qui navales ſumtus & rationes referebant in tabulas. Horum mentio in ſingulari lapide, inter Gudianos edito pag. CLX. 7.

DIS · MANIBVS · SACRVM
L · CINCIO · L · F · SABINIANO · TABVLARIO · CLASS · RAVEN
· · · ANN · XX · VIX · ANN · LI · M · IV · D · XIV · H · S · E
SEX · CINCIVS · L · F · ANICIVS · VERVS · EX · TESTAMENT
P C

Mitius cum militibus navalibus egerunt Veſpaſianus, & Hadrianus Imperatores, qui iisdem iam ſena & vicena ſtipendia emeritis, honeſtam miſſionem dederunt: nimirum quum annos viginti ſex militaſſent; cuius honeſtae miſſionis exempla ſuppeditat Gruteri Theſaurus pag. DLX. 2. & pag. DLXXIII. 1. 2. Exploratum eſt per ſtipendia, ut iam diximus, militiae annos numerari. Quare quum terreſtris militiae milites viceſimo anno, ab oneribus & incommodis liberarentur; Claſſiarii diutius operam ſuam in navali militia praeſtare coacti, nonniſi poſt viginti ſex, & interdum octo annos, honeſtam miſſionem acceperunt. Obiter heic notandum, Medicos militum Claſſiariorum duplicia ſtipendia accepiſſe; quod colligi poteſt ex ſequenti lapide Ravennate, quem primus omnium vulgavit ſaepenumero laudatus Marchio Maſſeius in Tom IV. O. L. pag. 351. num. 10.

D M
S E X · A R
R I R O M A
N I M E D I C
D V P L · N ·
A G Y P · V
A · X X V I · · M
V M V L I
V S S C S S I A
N V S A M I C
C A R E T H
. . . .
. . . .

Qui proximi erant ut mitterentur, Veterani dicebantur, non ſecus ac terreſtris militiae milites. Id paſſim docent iam editi a me lapides. Silentio hic haud praetermittendus lapis antiquus, ex Muſeo Ficoronio depromtus, qui nondum lucem, dum haec ſcribimus, adſpexit.

C · DOMITIVS POLLIO
PATER · VETER · AVGVSTI · EX ·
CLASSE · PRAETORIA · MISENAT
FECIT · SIBI · ET
DOMITIAE · C · F · PIAE · ET
DOMITIAE SPEI LIB · ET CONIVG
LIBERTIS · LIBERTABVS · POSTERIS
EORVM
HVIVS MONVMENTI INTROEVNTIB
PARS SINISTERIOR AD FAMILIAM · SA PERT IN *sic*
IN · FR · PED · XV · IN AGRO PED · XXXVIIII

SA PERTIN. h. eſt. *ſuam pertinet*. Haud enim ſignificat *ſupraſcriptam*; quum id duabus litteris S.S. ita veteres expreſſerint, ut conſtat ex antiquo lapide a me adlato in Parte I. num. 267. pag. 418. huius operis.

Liquet etiam ex iisdem honeſtis miſſionibus, atque ex vetuſtis iam ad me undique collectis lapidibus, ad maritimam rem bellicam ſpectantibus, navales milites cum apud Miſenum, tum apud Ravennam, in ſuis Claſſibus ac Praetoriis ſtantes, ſecum uxores, liberos, fratres, atque interdum parentes habu-

buisse. Quae fuerint navalium militum officia per singulos ordines, iam liquet; luculentius tamen de his constabit ex Indice, quem mox subnectemus. Plurima notatu digna his addi poterunt, quum in lucem prodierint vetusti lapides, qui Ravennae exstant, atque in dies eruuntur: quod egregium opus iamdudum desideramus.

Fuere Classiarii milites collectitii, ex variis orbis nationibus adsciti: idcirco notandum, numquam eorum patres in his militaribus saxis nominari; quum tamen in sepulcralibus titulis Romanorum civium non praetermittantur. Ex his vero orbis nationibus praecipue delecti leguntur qui crebrius nominantur, Aegyptii, Aegarenses, Afri, Alexandrini, Bessi, Britanni, Bithynii, Cilices, Corsi, Cyprii, Dalmatae, Galli, Germani, Itali, Pannonii, Pontici, Sardi, Syri, aliique. Quum vero in militaribus saxis Romani cives recensentur, eorum Tribus semper declaratur. Interdum etiam Romani cives cum Classiariis exteris maritimae militiae servire iussi sunt ab Imperatoribus. Inter Donianas Inscriptiones Tab. X. num. 1. pag. 224. adfertur sepulcrum C. Cassii Modestini, in Veturiam Tribum censi, adeoque civis Romani, qui fuit miles Classis Miseni. Eius etiam imago exhibetur, eiusque vestes & arma observari possunt, quae illustrantur pag. LXXV.

Summam fuisse Romanorum in maritimis bellis potentiam ex eo arguere possumus, quod quinqueremes prope quadringentas habuere, quum Siciliam invaserunt: quingentas vero bello Punico amiserunt. Quot vero milites singulae quinqueremes caperent, ex eo colligi potest, quod quinqueremes triginta Quincti Fabii Maximi duas legiones vexisse memorat Livius: continebat autem eo tempore unaquaeque legio peditum quina millia, trecentos autem equites. Plura de his praetereo, quae luculenter adnota-

notavit doctiſſimus Benedictus Averanius Diſſert. XIV. in Euripidem, & in Thucydidem Diſsert. LV. ad quem Lectorem mittimus.

Sacerdotes & Haruſpices apud utramque Romanorum Claſſem fuiſſe, qui ſacris praeeſſent, eaque curarent, lubet arguere ex ſequenti lapide, quem in promontorio Miſeni repertum tradit Vignolius p. 305. & adfert ex Rondinellio, qui exſcripſit.

D · M
D · IVNIO · D · F · CLAV
CERTO SACERDOTI
ſic ET · ARVSPICI · PVBLICo
EX GENERE SACERDO
TVM · CREATO FRA
TRI PIENTISSIMO

Fuere in ſingulis navibus Coronarii, qui, ut opinor, in feſtis Iſidis, Neptuni, & Litoralium Deorum, praeſertim vero illius Numinis, cui conſecratae erant, vel natali die Auguſtorum, aliiſque de cauſis, triremes coronabant in laetitiae argumentum. Morem hunc, ni fallor, declarat vetus titulus ſepulcralis, qui Ravennae exſtat apud Nobiles de Raſponibus, a Fabretto editus Inſcriptionum Cap. V. p. 366. n. 120.

ATHENIO
III · DANAE · CORO
NARIVS · QVARE

Phaſellum, Diis Servatoribus conſecratum, laudat Catullus Carm. IV.

Agendum nunc esset de ludis maritimis; sed quia aliis curis nunc destinemur, hanc spartam exoptatissimam aliis illustrandam relinquimus. Minime dubitandum est apud utramque Classem ludos & certamina in honorem Deorum, vel in natali Romanorum Imperatorum, vel ob insignes eorum victorias celebrata fuisse. Ad haec respicit Ausonius Edyl. X. v. 208.

Tales Cumano despectat in aequore ludos
Liber, sulphurei cum per iuga consita Gauri,
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi:
Quum Venus Actiacis Augusti laeta triumphis
Ludere lascivos fera proelia iussit amores:
Qualia Niliacae classes, Latiaeque triremes
Subter Apollineae gesserunt Leucados arces.

Memorantur in marmorea columella, Ostiae effossa, inter Donianas Class. IV. 55. ludi Sabini in honorem Neptuni Patris editi, quam vide.

Exstat ad occidentalem plagam in parietibus exterioribus Baptisterii Florentini insertum pervetustum marmor, anaglypho opere sculptum, in quo navis, & in littore super posito pegmate certantes, sive ludentes tres viri visuntur: quod, licet iniuria temporis, sit valde corruptum; tamen summa diligentia delineandum curabo, &, Deo dante, proferam.

Ludicrum certamen Retiariorum cum Secutoribus, in honorem Neptuni, & Vulcani commissum fuisse, declarat marmorea sequens tabula, in utroque latere, & in medio fracta, quae altitudine Romanum pedem, & uncias quatuor; longitudine vero pedes duos, & uncias quinque aequat. Haec in meo Museo exstat: olim in Andreinio Neapoli fuit, & ipsa ad Misenum cum reliquis inventa. In ea, praeter titulum plane curiosum, lineari sculptura caelati sunt viri duo: ille qui a dextris spectatur, rete & fuscinam

nam ſive tridentem gerit: qui vero a ſiniſtris, palmam dextra in ſummo tenet, quae eum in hoc ludo viciſſe deſignat. Ea ita ſe habet.

99



99. Explicaris ſingularibus litteris, ſepulcralis titulus ita exponitur: *Iulius Balerianus* (nempe *Valerianus*) *qui vixit annis bene viginti. Natali ſuo deceſſit: ſodaliciarius, bonus, amoratus, filetius* (nimirum *philetius*) *uſque ad foſſam.* Vide nonnulla, quae ad hanc inſcriptionem adnotata ſunt in Parte I. huius operis pag. 250. n. 18. quae ſupervacaneum eſt repetere. Figuras tantum paulliſper heic operae pretium eſt expendere, quae nunc primum in conſpectum eruditorum veniunt. Dextra marmoris parte, ut antea monebam, cernitur vir ſtans, tunicatus, imberbis, aperto capite, brevi capillitio. Venter eiusdem munitur duplici faſcia, ſuperiore & inferiore; inter quas medium ſegmentum phrygio opere ornatur. Pudenda ſubligaculis brevioribus ſtrictioribuſque velata ſpectantur, eodem fere modo, quo exhibetur in antiquo marmore penes Fabrettum Capite VIII. in Traiani Columnam, pag. 256. Antonius Exochus, natione Alexandrinus, qui Romae in ſpectaculis, ob triumphum Traiani Caeſaris, ſtrenue

pugnavit, atque vicit: idque indicat palma, quam sinistra gerit. Antonii Exochi subligacula in eo ab his differunt, quod ornatissima sunt; nam fimbria undique circumeunte ornantur, & circa ventrem cingulo elegantis operis adstringuntur. Coxae huiusce nostri ludionis, & crura nuda sunt: dextra pedis tibia fasciis, sive duplici periscelide adstricta, spectatur, instar ocreae; pedes vero nudi omnino sunt: sinistra pedis tibia unica tantum fascia munitur. Dextra rete sive retiaculum suspensum tenet; cuius funiculum partim implexum, partim solutum conspicitur. Sinistra fuscinam gerit, sive tridentem; cuius manubrium a summo ad imum crassius evadit. Haec arma, nempe rete & fuscina, perspicue declarant hanc esse RETIARII imaginem; alteram vero SECVTORIS, qui vicit: de quibus nullum dubium esse potest.

RETIARIOS vibrasse in SECVTORES, sive Myrmillones rete, quo caput eorum implicarent, implicatumque & captum prosternerent, tridente vulnerarent, & vincerent, discimus ex hoc marmore; nam suspensum a Retiario tenetur rete, & quodammodo in hostem vibratur, & iaculatur: deinde tridens intenditur. Convenit hoc marmor cum descriptione, quam apud Iuvenalem habemus, qui in Satyra VIII. v. 202. Graccum quemdam, genere conspicuum, in arena Retiarii munus implentem, ita pingit:

——————————— *Et illud*
Dedecus Urbis habes. nec Myrmillonis in armis,
Nec clypeo Graccum pugnantem, aut falce supina;
Damnat enim tales habitus, & damnat & odit.
Nec galea frontem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam vibrata pendentia retia dextra,
Nequicquam effudit ———————

Nonnulla alia in huiusce Retiarii schemate observanda supersunt. Manus nudae sunt, quo sint ad certa-

tamen expeditiores. Siniſtrum dumtaxat brachium ſubarmali tegitur, quod ad carpum manus latius ſe expandit, adeoque ſolutum: dextrum vero brachium adſtricta manica, & quidem arcta, amictum cernitur; ut ita ejusdem brachii crebra certaque agitatione velocius rete vibrari poſſet. Quod Retiarii tunica induti ſpectarentur, diſerte docet Iuvenalis loco citato; & in Satyra II. v. 143. de eodem Graccho haec habet:

——————— *Tunicati fuſcina Gracci.*

Docet etiam Suetonius in Caligula: *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, ſine certamine ullo totidem Secutoribus ſuccubuerant: quum occidi iuberentur; unus, reſumta fuſcina, omnes victores interemit.* Praeterea in hoc marmore, quamquam rudi caelatura ſculpto, ut diximus, obſervandum eſt, quonam modo tunica Retiariorum facta eſſet. Faſciae decuſſatim ſuper tunicam, perſpicue adparent in Secutore ſculpto in ſiniſtra parte, licet fracta ſit marmorea tabula. Hic dextra palmam in ſummo tenet; nec ſubligaculis amictus eſt: licet & ipſe tunicatus, ac nudo pariter capite, nudis manibus & pedibus ſit expreſſus. At in Retiario unica tantum faſcia, tamquam baltheus ab humero dextro pendens, & ſuper pectus tranſiens, laevorſum clauditur. Multa adhuc in antiquitatis ſtudio illuſtranda eruditis ſuperſunt: hinc expendendum quid nam *ſpongia* eſset, quam Tertullianus Retiariis adtribuit; eamque Lipſius pectoris tegimen fuiſſe cenſet: alii armorum genus pro defenſione: alii pro offenſione.

Retiarius praeterea ſiniſtra manu una cum haſta, cui fuſcina ſive tridens inhaeret, aliquid aliud ſimul ſtringit; quod neſcio utrum ſica, ſive aliquid aliud eſſe poſſit. Perbrevem gladium a Retiariis, praeter

ter fuſcinam, adhibitum fuiſſe, docet vetuſtum marmor a Cl. Marchione Maffeio illuſtratum, & in Veronenſi Muſeo conditum, in quo Retiarii arma, nimirum fuſcina & gladius, ſive ſica, ſculpta ſunt, quae Generoſi Retiarii monumentum praeter titulum cohoneſtant. Adlatum vide Lib. I. Cap. XIV. de Amphitheatris pag. 73. Auctoris adſertio ſuſpicari non ſinit, palmam eſſe potius ſculptam, quam ſicam, quae nonnullis ſupervacanea videtur; quum Retiarius ſola fuſcina Secutorem vulnerare, & occidere poſſet: putantque nonnulli Scriptorum loca a Lipſio adlata, quae gladii mentionem faciunt, pro fuſcina ſive tridente accipi oportere. Hoc certe rariſſimum monumentum maxima obſervatione dignum. In meo marmore, quum pro certo minime adfirmare poſſim, Retiarium fuſcinam ſimul & gladium tenere (nam ſculpturam ipſam ſaepenumero obſervavi) anceps animo pendeo, an credam fuſcinae manubrio, eo loco ad manu capiendum commodiore, infixum fuiſse paxillum; quo adminiculo adiuta manus, fuſcinam vehementius in Secutorem vibraret. Sed de his apud viros doctos, qui veritatem unice diligunt, iudicium eſto.

Poſt humeros ſculpti Retiarii aliquid aliud adparet, quod ob imperitiam antiqui ſcultoris, vel potius inſcitiam meam, neſcio quid referre poſſit. Palmulam latiore parte poſt humeros ſuſpenſam facile crederem. Veriſimile eſt, aliud retiaculum in humeris a Retiario delatum, ut ſi iactus eiuſmodi fefelliſſet, altero dextra manu ſumto, hoſtem implicare poſſet. In ora marmoris dexteriore, quae fracta eſt, cernitur aliquid phrygio opere ſculptum: fortaſſe aliquod genus veſtis indicatur, ſive aulaeum, vel ſtragulum; nam praemia in certaminibus ante oculos certantium proponi conſueviſſe, indicat Virgilius Aeneid. Lib. V. v. 109.

Mu-

Munera principio ante oculos, Circoque locantur :
In medio ſacri tripodes, virideſque coronae ;
Et palmae, pretium victoribus, armaque, & oſtro
Perfuſae veſtes, argenti aurique talentum.

Palmam certe cum Retiariis, tum Secutoribus, ſive Myrmillonibus pugnantibus pro praemio propoſitam fuiſſe, dubitare non ſinit hoc marmor, & Lampridius, qui ſcribit: *Commodum confeciſſe mille palmas, Retiariis victis, vel occiſis.*

Quae nam eſſent Secutoris arma, deſcribit Iſidorus, licet ſine teſte: *Secutor eſt, ab inſequendo Retiarium, dictus. Geſtabat enim cuſpidem & maſſam plumbeam, quae adverſarii iaculum impediret ; ut antequam ille feriret rete, iſte ſuperaret.* Rationes deinde adfert idem Iſidorus, ut oſtendat cur his cum armis inſtitutum fuiſſet hoc ludicrum certamen : nimirum, quia Retiarius Neptunum aquae praeſidem ; Secutor Vulcanum ignis dominum, adeoque duorum elementorum inter ſe pugnantium, ex quibus omnia gigni veteres crediderunt, nempe ignis & aquae, pugnam referebant. Hinc, ut auctor eſt Feſtus, Retiario adverſus Myrmillonem ſive Secutorem pugnanti, cantabatur : *non te peto, piſcem peto.*

Huiuſmodi certamen a Graecis originem habuiſſe, ſuadet Laertius in Pittaci vita, & Strabo Lib. XXIII. Haud ignotum hoc fuiſſe antiquiſſimae Etruſcorum genti, ex vetuſtis monumentis oſtendi ad Tabulam CLXXXVIII. Muſei Etruſci, deque eo diſſerui p. 396. Tomi ſecundi, adlato Vaſculo, Etruſco opere picto, quod in ruderibus Hadriae, veterum Etruſcorum coloniae, inventum eſſe oculati teſtes, ac fide digni ad me ſcripſerunt. Quum igitur conſtet, adlatum a me marmor, prope Miſenum cum reliquis Claſſiariorum effoſſum fuiſse : quod etiam liquet fide & ſcriptis Cl. Petri Andreae Andreinii, quae vidi, ipſumque id adfir-

firmantem audivi: non ſine ratione arguere hinc licet, certamina haec ludicra, Neptuno & Vulcano ſacra, ſolemnibus feſtiſque diebus uſurpata ibidem fuiſse.

Tabula votiva marmorea, longitudine uncias tredecim, altitudine octo Rom. pedis aequans, quae exſtat in meo Muſeo.

100

EX · IMPERIO
GENI · ALOTIANI
EVARISTVS SERVI
TOR · DEORVM · EX · VI
SO · LIB · AN

100 Praeter ea, quae ad hanc votivam tabulam, raritate atque elegantia maxime commendabilem, adnotavi in Parte I. huius operis p. 235. & 236. n. 1. dum adſervaretur Neapoli in Aedibus Andreiniis, quoniam in meum Muſeum nuper cum reliquis vetuſtis ſaxis translata eſt: lubet nunc, quod legitur, SERVITOR. DEORVM. accuratius exponere; quia ſingulare eſt hoc officium, nec alibi Servitorum Deorum mentionem fieri animadverti. Adfertur apud Arringhium Lib. II. Cap. XXII. Romae Subterraneae ſequens titulus; quo conſtat ſanctis Dei Martyribus deſtinatos fuiſse Servitores, qui eorum ſepulcris ſervirent:

EVSTATHIVS HVMILIS PECCATOR
SERVITOR
B · MARCELLINI MARTYRIS

Hunc Cl. Vignolius illuſtravit inter ſelectas Inſcriptio-

ptiones pag. 186. inter quas hanc meam tabulam nonnullis maculis corruptam vulgavit.

Servitores S. Petri nominantur in Epiſtola Nicolai II. Papae ad Rutenenſem Comitem pag. 193. ut obſervat in Gloſſario Du-Cangius in v. SERVITOR. Item *Servitor* Eccleſiae in Synodo Romana II. ſub Silveſtro c. 17. Lubet heic adferre lapidem Ravennatem, erutum in Capella S. Vitalis Martyris, quae dicitur *Sancta Sanctorum*, ex quo conſtat ſequioribus ſeculis *Deſervientes* dictos, qui antiquitus *Eccleſiæ Servitores* vocabantur. Hunc ad me miſit vir eruditione conſpicuus D. Petrus Paulus Ginannius, Monachus Caſinenſis, qui Ravennates antiquitates egregio ſtudio ac labore nunc illuſtrat.

† · IN · N̄ PATRIS ET FILII ET SPIRITVS S̄C̄Ī HIC
REQVIESCIT IN PACE DOMINICVS P̄R̄B̄ DE
SERVIENS BASILICE S̄C̄Ī VITALIS MARTY
RIS ET SI QVIS HVNC SEPVLCHRVM VIOLARE
ſic RIT PARTEM HABEAT CVM IVDA TRADITOREM
ET IN DIE IVDICII NON RESVRGAT PARTEM SVAM
CVM INFIDELIBVS PONAM.

Primum adnotandum eſt, diſcrimen intercedere inter *Servitorem*, & *Servum*, ex Quinctiliano v. 10.

Quod proprium non erit, differens erit: ut aliud est, esse servum, aliud servire, qualis esse in addictis quaestio solet. Qui Deorum simulacris, templisque addicti erant, *Servitores* dicebantur, Θεραπεύται; haud tamen erant servi, sed liberi homines, sive liberti, vel ex libertinis orti. Horum munus fuisse videtur simulacra Deorum, quae in templis colebantur, festis diebus perpolire, illuminare, minio tingere, ornare propriis insignibus; pretiosarum vestium, pulvinarium, candelabrorum, lucernarum, vasorum, tripodum, thymiamateriorum, donariorum curam agere: aras, aedisque ianuam festivis frondibus, encarpis corollisque exornare: ceteraque, quae ad sacrificia rite agenda pertinebant, depromere, praeparare, disponere. Praeter proprias vestes, Deorum simulacra aliis vestibus pretiosioribus ornari solebant solemnibus festis diebus, vel eorum natali die, sacris velaminibus, pictis auroque intertextis chlamydibus, palliis, pallis, cycladibus, ceterisque, quae ad rem Deorum vestiariam pertinebant, quorum frequens mentio, ut observat Cl. Bonarrotius Senator in Numismata Carpinea pag. 55. est apud Pausaniam. His Deorum vestibus maxima cura, odorum fragrantia ditatis, e templi sacrario depromtis, praeter Servitores, praepositi erant eorumdem Deorum Vestitores, qui eos vestierent, omnique cultu speciosiores redderent, ut cultorum, qui eos adorabant, spem & vota augerent, teste Maximo Tyrio Sermone XXIX. His praeerant Aeditui & fani Curatores, quorum in vetustis marmoribus frequens occurrit mentio. Iulius Firmicus Lib. IV. Cap. I. post Sacerdotes & Prophetas, recenset Deorum Vestitores, eos scilicet, qui Deos vestiebant: *Prophetas, aut Vestitores divinorum simulacrorum:* & Cap. XIV. eiusdem Libri: *Sacerdotes quoque aut Prophetas, Deorum Vestito-*


stitores, aut templis maxima tractantes officia, Sacerdotibus Praepositos.

Praeter Vestitores fuere etiam in templis Ornatores & Ornatrices Numinum. Coronas ornatas gemmis, sigillis, floribus, animalibus, sideribus, impositas Deorum Dearumque capitibus, saepenumero memorat Pausanias, qui Deae Nemesis & Iunonis coronas elegantissimas describit. Nemo est qui ignoret Deorum simulacra unguentis ungi & coronis redimiri consuevisse.

Notandum tamen maribus Diis mares, feminis Deabus mulieres, quae ornatrices dicebantur, deservisse. Hae vestes, inaures, torques, armillas, sandalia, specula, odores, vasa, & quae ad muliebrem divinum cultum pertinebant, ornamenta proferebant, iisdemque eas comebant, & decorabant. Haec iam observata, fulciuntur disertissimis veterum scriptorum testimoniis, quae adnotavimus in Museo Etrusco Tom. II. pag. 321. D. Augustinus de Civitate Dei Lib. VI. Cap. X. haec habet: *Sunt quae Iunoni ac Minervae capillos disponunt, longe a templo, non tantum a simulacro stantes, orantium modo: sunt quae speculum teneant.* Tertullianus de Ieiuniis Cap. XVI. *Unde & qui in Idolis comendis, & in aris ornandis, & ad singulas horas salutandis, adulantur, curationem facere dicuntur.* Servitorum quoque Deorum munus fuisse arbitror donaria sacra, vittas, corollas, cereas imagines, votivas tabulas suspendere, eosdem Deos salutare, ad epulas invitare, &, ut ait Arnobius Lib. VII. adversus Gentes, quasi dormientes, matutinis horis excitare aeris tinnitibus, cymbalorum quassationibus, tympanis, symphoniis, scabillorum strepitu, tibiarum modulationibus, ut supplicum vota exaudirent.

Ara marmorea, Romanum pedem fere unum aequans, latitudine vero uncias undecim, quae nunc in meo Museo adservatur.

101



101 Huius arulae inscriptionem evulgavi ex aliorum schedis in Parte I. huius operis, pag. 440. n. 61. & quidem nonnullis mendis inquinatam; nam intercidisse putabam. Paucis ab hinc mensibus, quum Villam iterum perlustrarem Nobilissimi atque humanissimi D. Comitis Angeli Gallii, quae ad *Scandicci* dicitur, tertio circiter ab Urbe lapide sitam, ut iterum investigarem inscriptum parvum lapidem, quem protuli in eadem Parte I. Inscriptionum antiquarum, quae in Etruriae Urbibus exstant, pag. 429. n. 1. quem quum non reperissem, quod suspicatus iamdiu fueram, comperi fato quodam translatum fuisse in publicum Museum Veronense; forte fortuna aliud agens contigit, ut hanc ipsam arulam, non cum reliquis, sed seorsim positam in impluvio eiusdem Villae, conversa ad parietem inscripta facie, invenirem: qua inventa, quum gaudium meum

um eidem generoſo viro Comiti Gallio teſtatus eſſem, meis adnuens precibus, dono dedit, ſtatimque tamquam ſuae in me benevolentiae perennem teſſeram, domum meam transferri iuſſit.

Icunculam STATAE Matris, eidem arulae ſuperpoſitam fuiſſe non dubito: in utroque latere quadrata adhuc exſtant foramina, non parum profunda, & in baſi excavatus eſt ab una ad alteram partem quidam, ut ita dicam, canaliculus: quae ſubſpicandi anſam praebent, forſitan portatilem aram fuiſſe; adeo ut inſertis utrobique quadratis paxillis in utroque foramine, & inferius alio ſubpoſito paxillo, facile adtolli, & quocumque iubebatur per vicum transferri poſſet in ſacris, quae in honorem Statae Matris cura impenſiſque Magiſtrorum Vici peragebantur. Portatiles aras in uſu apud antiquos fuiſſe, a me alibi adnotatum memini. Clariſſimum arae in exercitu Romanorum portatilis exemplum exhibet una e marmoreis columnis, quae in Muſei Medicei decus poſitae ſunt, in quibus omnia armorum genera cum terreſtria, tum maritima pro defenſione, & offenſione ſummo artificio ſculpta ſunt, quas accurate iam delineatas in lucem, ut in votis eſt, aliquando proferam. Ara, quae in eadem columna ſculpta eſt, in medio perforata cernitur, latiori quadrato hiatu, e quo traiectum cernitur paxillum incurvum; ex qua deducimus aras ita portari conſueviſſe, quum exercitus luſtraretur.

Multa etiam ſuadent hanc arulam, a me editam, his in locis prope Florentiam olim effoſſam fuiſſe; ſiquidem alios duos lapides protuli, in quibus L. Sattius Creticus, & C. Poblicius Maethes libertus, Sexviri Magiſtri Auguſtalium memorantur, & in agro Florentino erutos fuiſse conſtat, ut dixi in Parte I. huius operis pag. 214. num. 2. & pag. 290. num. 12. Mulierum Vicanarum, ad quae ſpectabant

ſa-

ſacra in honorem Bonae Deae facienda, florente veterum Florentinorum Colonia, iam adnotavi mentionem fieri in inſigni marmorea tabula, quae Florentiae exſtat in Aedibus Marchionum Rodulphiorum pag. 316. Parte I. Inſcript. ant. Etruriae Urb.

Celebris fuit Statae Matris cultus apud Romanos, cuius ſimulacrum in Foro coluerunt: poſtmodum apud Vicanos tranſiit, idque huius parvae urnae teſtimonio confirmari poteſt. Accedit Feſti auctoritas, qui ita ſcribit: STATAE MATRIS *ſimulacrum in Foro colebatur, poſtquam id colluſtravit* (legendum, ut optime emendat Scaliger, *Coelius ſtravit*) *ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore. Magnaque pars populi in ſuos quiſque* VICOS *retulerant eius Deae cultum.* Hic quoque Magiſter Vici, qui aram hanc Statae Matri ſacravit, Q. Coelius Apollonides, adhuc libertus erat.

Quae nam Dea ſit Stata Mater, & quare hoc nomine adpellata, non invenio. Subſpicor eamdem eſſe ac Veſtam, ſive Tellurem. Phurnutus Cap. XXVIII. de Cerere & Veſta, deducit Veſtae etymon a Graeco ἱςάναι, quod eſt *ſtare, ſiſtere.* Ovidius Faſtorum Lib. VI. v.

Stat vi Terra ſua: vi ſtando Veſta vocatur.

Arnobius Lib. III. adverſus Gentes: *Terram nonnulli Veſtam pronunciant, quod in mundo ſtet ſola, ceteris eius partibus in mobilitate perpetua conſtitutis.* Hinc igitur, cur STATA MATER ita adpellata ſit, haud obſcure elucet. Qui plura cupit adeat Voſſium de origine & progreſſu Idololatriae Lib. II. Cap. LIX. Eamdem ac Fortunam veteres credidiſſe, docent haec priſca marmora, quorum alterum Tiferni exſtat, quod ex Ligorio exſcripſit Gudius: alterum vero Foro Livii inventum, oblatumque Cardinali Mediceo, memorat idem Gudius pag. L. 1. 2.

STA-

STATAE FORTVNAE
M · ASSIDIVS · M · F · PALAT
MACERINVS
EQV · PVBL · VI · VIR · AVG
PATRON · MVNCIP
TIFERN
D D

STATAE · FORTVNAE
AVGVSTAE
TITVS · LAENIVS · T · F · QVIR
CAMARINVS
TRIBVNVS LEG · XV · AVG
D · D

Sequens marmorea tabula, quam Romae in Hortis Cardinalis *della Valle* exſcripſit idem Gudius, & ex eo edidit Heſſelius pag. XL. 3. indicat Statam Matrem cum Vulcano communem aram cultumque habuiſſe.

VOLCANO · QVIETO · AVGVSTO
ET · STATAE · MATRI · AVGVSTAE
SACRVM
P · PINARIVS · THIASVS · ET
M · RABVTIVS · BIRVTIVS
MAG · VIC · ARMILVSTRI · ANN · IV

Gruterus, & Reineſius nullum lapidem protulerunt Statae Deae dicatum. Raritatem addunt huic meae arae Conſulum nomina, quare quo anno dedicata ſit, innoteſcit. D. Laelius Balbus & C. Antiſtius Vetus Conſules fuere anno V. C. DCCXVII. ſex ante aeram Chriſtianam annis. Igitur quum in ea ſcriptum ſit STATAE MATRI, minime ſollicitandus

dus est adlatus Festi locus, uti monebat vir omni laude maior Ludovicus Antonius Muratorius, qui e meo opere iterum edidit in Tomo I. novi Thesauri veterum Inscriptionum pag. CCXCVII. 6. idque merito fecit; nam quum STATIAE . MATRI . SAC scriptum legisset, de eius sincera origine dubitavit. His tamen mendis sublatis, quum ipsum archetypum hodie apud me exstet, neque, ut putabam, perierit, & diserte habeat STATAE ✓ MATRI ✓ SAC. idest *sacrum*; minime de eius sinceritate dubitandum esse praemoneo.

In eadem Villa Comitis Angeli Gallii Patricii Florentini inter ceteros lapides hi quoque exstant.

102

D ❦ M
V L P I O
F R V C T O
C O N I V G I
V I S E L L I A
Q V A R T I N A
B · M · F

103

D M
P A R A M V T H I
T R A I A N A D O
M I N A S I I R V O
M I I R I I N T I
F I I C I T

103 Hos duos lapides iterum proferre optimum duxi; quia in altero n. 101. quinctam lineam omisi in Parte I. pag. 436. n. 45. in altero vero mendum in secunda linea; nam habet PARAMVTHI, non PAPAMVTHI. De usurpatione duorum II pro E, vide adnotata ad pag. 262. Parte I. Aliud exemplum lubet adiicere in sequenti marmore, quod Romae effossum anno MDCCXXXIII. prope Ecclesiam S. Caesarii, V. C. Franciscus Ficoronius exscripsit, & ad me misit.

GRAM-

GRAMMATICVS · LECTORQVE · FVI
SET · LECTOR · EORVM · MORE INCOR
RVPTO · QVI · PLACVERE · SONO · COIVGIS
EXIGVO NATAE PIETATE SEPVLTVS
HOC MARIVS FIDENS CONTEGOR A TVMVLO
MARIA DIDYMI ⊖ MARIA ACHELOIS
TII LAPIS OPVTIISTOR LIIVITER SVPER OSSA ☧ RESIDAS

Quandoquidem superius mentio a me facta est Villae Illustrissimi Comitis Angeli Galli, quae ad *Scandicci* dicitur, peropportunum heic locum sibi postulant aliquot lapides, quos aliquibus cum mendis vulgavi in Parte I. huius operis pag. 429. & 436.

104
C · VALERIVS · HILARIO
SEMPRONIA · MODESTA
FECIT
C · VALERIO · C · F · MODESTO
FILIO · SVO · QVI
VIXIT · ANNIS · XVIII
ET · SIBI · ET · SVIS

105
☧ D
M · AVRELIVS ☧ A
HOC MONIME
SIBI · ET AVRELIAE · H
MERENTISSIMAE
BERTABVSQVE F
HOC MONIMEN
VENDERE VEL DO
INFERET AERA

Ibidem, in unico Lapide.

106
C · CERIVS · C · ET · Ɔ · L IVLIA · Ɔ · L ·
ANDRONICVS · PHILVMINA

P D M

107

D ☉ M
V L P I O
F R V C T O
C O N I V G I
V I S E L L I A
Q V A R T I N A
B · M · F

108

DIIS · MANIBVS
HYGINI · VERNAE
PROBISSIMI
VIXIT · ANN · XIIX

Iterum etiam adferre cogor perparvam marmoream tabulam, quam protuli in Parte I. huius operis pag. 429. num. 1. non ut crambem recoquam, sed ut veritati fideique meae consulam. Ea ita se habet, & ante annum MDCCXXIV. cum reliquis exstabat in eadem Villa Nobilissimi Comitis Gallii, quum ibidem αὐτόπτης exscripsi.

109

V TI · LATINIVS TI · L · DORI
Θ AGRASIA TI · L · RVFA
HOC · MANSVM · VENI · IIII · K SEPT
P · SVLPICIO · C · VALGIO · RVFO
CONSVLIBVS

109. Fateor, frequenter legi codicum antiquorum, numismatum, gemmarum & lapidum translationes: verum huius singularis tituli non translatio, sed casus potius dicendus est. Constat, fatente Cl. Marchione Maffeio, hanc ipsam tabellam nunc exstare in Museo Academiae Veronensis, quam idem protulit in Vol. 1. Observat. Litterar. pag. 200. & quidem cum mendis, corruptoque unius Consulis nomine. Silentio id praeteriissem lubenter, nisi de fide mea dubitan-

tantem vidissem doctissimum Ludovicum Antonium Muratorium, qui ex meo libro exscripsit, & in Tomo I. novi Thesauri Inscriptionum antiquarum pag. CCXCVII. num. 2. iterum vulgavit. Haec enim in Notis scripsit vir omni laude maior. *Atque hinc disce* Publium Sulpicium *ordinarium potius, quam suffectum Consulem fuisse, utpote qui* Caio Valgio *praecedit. Quod tamen mirere, lapidem hunc in Museo Academiae Veronensis nunc existere*, nos monens Cl. V. Marchio Maffeius, *illud, ut arbitror, Florentia adductum*, pro VALGIO *habet* VALERIO. *Utri fides addenda* (forsitan) *adhibenda est? Legit etiam Maffeius* TI. LATINIVS & AGRASIA T. L. Menda irrepsisse arbitror; nam ego vulgavi TI. LATINIVS. Muratorius vero perperam T. LATINIVS.

Hunc lapidem in lucem protulit Cl. Hesselius inter Gudianas pag. CCCLVIII. 7. testatusque est idem Gudius exstare *Florentiae, in Villa Angeli Galli*. Ipse etiam inemendatum edidit; Consulum tamen nomina non deformavit, quod fecit Cl. Marchio Maffeius. Habet enim marmor IIII. K SEPT P. SVLPICIO. C. VALGIO. RVFO CONSVLIBVS. Id etiam constat ex amplissimo Senatore Bonarrotio, qui multis ante me annis eumdem perparuum lapidem exscripsit: cuius Schedas & idem Cl. Maffeius vidit, & ego ipse vidi. In margine haec adnotavit Bonarrotius: HOC *pro* HVC: Gruterus pag. DCCCLXXXIIII. 5. & alia nonnulla, quae ad Consules pertinent. Quare praeferenda est ea interpretatio, quam tum idem Maffeius, tum Muratorius dedere, nimirum: *huc ad manendum veni*.

Raritatem huiusce tituli sepulcralis cum ob formulam HOC. MANSVM. VENI. tum ob Consulum par intellexit idem Cl. Maffeius, quos decem annos praecedere Christi Domini Nativitatem adfirmavit. Sed duodecim annis antecedere, ex editis

Fastis constat, ut monui; idque etiam observavit Celeberrimus Muratorius, in praelaudato novo Inscriptionum antiquarum Thesauro, in hunc modum, quemadmodum etiam adnotatum est ad Sigonium in Fastos Capitolinos, Tom. I. pag. 581.

Anno V. C. 741.

Ante Ær. Ch. 12

M. VALERIVS MESSALLA BARBATVS
AEMILIANVS. cui mortuo suffectus est
C. VALGIVS RVFVS. cui abdicanti suffectus
C. CANINIVS REBILVS. mortuus in magistratu
P. SVLPICIVS QVIRINVS

Postquam haec scripsissem, & multis curis distractus apud typothetas iam excusa reliquissem, prodiit in lucem Volumen V. Observationum Litterar. cuius auctor est Nobilissimus Marchio Scipio Maffeius. In extremo eiusdem operis umbilico Additiones & Correctiones more suo adiunxit pag. 396. primum ad Volumen IV. mox ad I. deinde ad III. & V. In his, quae ad primum adtinent, in adlato lapide olim penes Comitem Gallium, nunc in Museo Academiae Veronensis exstante, monet scriptum esse non C VALERIO RVFO, ut antea ediderat pag. 220. sed C. VALGIO RVFO. quare, eo fatente constat, adcurate a me editum fuisse lapidem illum, in quo edendo idem Maffeius peccavit; adeoque parcendum Cl. Muratorio, qui de mea, vel potius Maffeii fide, non sine ratione dubitavit.

Perlubet nunc rem maxime observatu dignam ex eo lapide adnotare, quae diligentiam tum Muratorii, tum Maffeii fugit; quaeque mirum in modum auget eiusdem lapidis pretium. Publius ille Sulpicius Quirinus, qui in Consulatu conlega Q. Valgii

Ru-

Rufi scribitur, is fuit Augusti Legatus, qui censum egit in Syria. Idem *Cyrinus* nominatur ab Evangelista Luca Cap. II. *Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est a Praeside Syriae Cyrino.* Graecus textus: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη, ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κηρυνίου. In aliquibus Codicibus scriptum: Κυρείνου, Κηρυνίου. Vir hic Consularis Syriae Proconsul, procul dubio est idem P. Sulpicius Quirinus, cuius genus & gesta paucis exponit Tacitus Lib. III. Annalium. *Nihil*, inquit, *ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lavinium: sed impiger militiae, & acribus ministeriis, Consulatum sub Divo Augusto; mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector Caio Caesari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat.* Eiusdem *Quirini Consularis praedivitis* meminit in Tiberio Suetonius cap. 49. Flavius Iosephus Rerum Iudaicarum Lib. XVII. & XVIII. Strabo Lib. XII. p. 392. Doctissimus Norisius fere integrum §. XII. Dissertationis II. in Cenotaphia Pisana occupat, ut ostendat quo tempore P. Sulpicius Quirinus in Syriam Legatus Augusti venerit, eiusque genus, magistratus, ac res gestas luculenter illustrat, aliaque multa adnotasset si marmorea haec tabula, in qua eiusdem Quirini Consulatus ponitur, ei innotuisset. Haec pauca, quae ad rem nostram pertinent, ex eo delibata, adtulisse satis est. Ita scribit ibidem celeberrimus Norisius pag. 322. prioris editionis: *Ex Augusti forte instituto, Syri centesimas solvebant; quare Caius Caesar, inscio Augusto, non ausus fuisset novum Syriae tributum imponere. Iudaea vero Herodi regi subdita, huic, non autem Romanis, tributa pendebat. Hinc eius descriptionis faciendae impetus Augustum incessit, ut totius Romani Orbis habitatorum*

nu-

numerum, eorumque facultates notas haberet, quod unum per censum exquirebatur ex laudata Claudii Imperatoris oratione. Nec Iudaei repugnarunt, quod sciebant nihil ex censu se Caesari daturos, quum pura puta esset hominum ac rerum possessarum descriptio. Hunc igitur censum Quirinus habuit A. V. DCCXLIX. *cum extraordinario imperio in Syriam missus; quae descriptio* prima a *S. Luca dicitur, quod idem postea Quirinus A. V.* DCCLX. *praeses ordinarius in Syriam veniens, censum iterum in Iudaea egit, eadem tum primum in provinciae formam redacta. Illa, fuit teste Evangelista, totius Orbis descriptio; hanc vero per Syriam tantum ac Iudaeam peractam scribit Iosephus locis laudatis.* Altera vero censum in Iudaea factum fuisse nonnulli opinantur A. V. DCCLI. vel ineunte DCCLII. quo natum fuisse Christum Dominum arbitrantur, quae omnia opportuniore loco expendenda sunt.

Sigillum ex aere perrarum, forma orliculari huius moduli, quod exstat Florentiæ in Museo Marchionum Nicoliniorum.





110. Insigne par Consulum in hoc habes. Inscriptio, si in ordinem redigatur, ita se habet.

C·IV·

C · IVLI ALEЄTHTHESEЄ

ƎƎSƎHꞱƎƎꞀⱯ · IꞀɅI · Ɔ

SILVANO ET AVGVRINO · COS ·

Exſtantes literae in exſtimo gyro, partim ordine recto, partim inverſo ſculptae ſunt; quae idem nomen repetunt. Dum haec aliaque monumenta contemplor, mirari numquam ſatis poſſum cur Romani, vel multoque antea etiam Etruſci Graecique, qui ſigillorum uſum ab Aegyptiis didicere, ut in Praefatione ad Volumen I. egregii operis Sigillorum ſequioris aevi luculenter oſtendit Vir Clariſſimus Dominicus Maria Mannius, Typographicam artem non invenerint, quum obſervarent ſculptas e contrario litteras, impreſſas poſtea, recto ordine legi, ut in monumentis ſcribebantur. Utriuſque ſcripturae exempla ſuppeditat hoc rariſſimum ſigillum, & hac quidem forma, quo figulina opera ſimili modo, litteris tamen non exſtantibus, ſed inſcalptis conſignari ſolebant. Divinae Providentiae, quae omnia ſapienter fortiterque moderatur, adſcribendum puto, quod tam ſero inventa ſit ars Typographica: atque, ut opinor, non ultima cauſa ea eſt, quia Deus perdi, diripi & aboleri voluit, exceptis tantum divinis Libris, tot millia Codicum manu conſcriptorum, ne Daemonis commenta, Philoſophorum deliria, Gentiumque ſuperſtitioſae opiniones litteris conſignatae ad idiotas veteres Chriſtianos pervenirent.

Quanti momenti ſint Conſulum nomina, nimirum M. Ceionii Silvani, & C. Serii Augurini, diſce ex doctiſſimo Noriſio, qui ad unicum monumentum a Grutero adlatum, ut veram eorum lectionem reſtitueret, lectores adlegavit. Ita igitur ſcribit in Epiſtola Conſulari pag. 97.

„ An-

„ Anno V. 909. Christi 156. notantur in Fastis „ Consules *Silvanus*, & *Augurinus*. Panvinius scri- „ bit: *Plautium Silvanorum*, & *Sentium Augurino- „ rum nomina fuisse superius demonstravi*. En tibi Le- „ unclavium ex Panvinio scribentem in indice lib. 70. „ *Plautius Silvanus*, & *Sentius Augurinus*. Et qui- „ dem Panvinius cum legisset A. V. 752. Consu- „ les Augustum XIII. & M. Plautium Silvanum, „ alium Silvanum, qui imperante Tito A. V. 834. „ Fastis praenotatur, *M. Plautium* itidem appellavit, „ qui tamen T. Annius Silvanus dicebatur, ut osten- „ di. At hic tertius Silvanus Consul nec ex Plau- „ tiis, neque ex Anniis fuit, sed ex Ceioniis. Ex- „ stat Inscriptio apud Manutium in Lib. de Ortho- „ graphia, ac Gruterum pag. 128. 5. in qua aedi- „ cula sacra aedificata A. V. 864. imperante Tra- „ iano, C. Calpurnio Pisone, & M. Vettio Bola- „ no Coss. dicitur; postea reparata, & ornata a Tib. „ Claudio Messallino Centurione Cohortis V. Vi- „ gilum.

M · CEIONIO · SILVANO

C · SERIO · AVGVRINO · COS

„ Ceionia gens ad summum nobilitatis fastigium eve- „ cta fuerat, L. Ceionio in Caesarem ac filium ab „ Hadriano adsumpto; cuius postea filius L. Ce- „ ionius Aurelius Commodus collega M. Aurelii im- „ peravit. Quaedam Ceioniorum familia Silvani co- „ gnomentum tulit, in qua prior huius anni Con- „ sul natus est. Eius collegam Panvinius *Sentium* „ dixit, quod Plinius Lib. 4. epist. 27. laudat *Sen- „ tium Augurinum*. Sed aliter scribendam familiam, „ docet laudata Inscriptio. Idem error corrigatur in „ altero Augurino Consule A. V. 885.

In

In eodem Museo Marchionum Nicoliniorum vidi ex aere duos anulos signatorios, qui inferius sub gyro inscriptiones hasce habent: in primo quidem litterae e contrario incisae sunt; in altero vero, ut hodie effinguntur. In pala prioris anuli, loco gemmae, sculptus est uvarum racemus: in pala alterius, delphinus.

111

C · CAECILI·
O P T A T I

112

L · TVRI
S R Ā O N

112. In secundo legendum: *Lucii Titurii Stratonici*.

Vetusta marmora in agro Tunetano, & circumiacentibus regionibus inventa ab erudito viro Ioanne Pagnio, in Pisano Gymnasio Medicinae Professore, iussu LEOPOLDI Medicis Cardinalis Amplissimi Florentiam advecta, publici iuris feci in Parte I. huius Operis: alia nunc proferre lubet, quae propter ingentem molem, vel quod domorum limina, vel muros constituerent, Florentiam transferri minime potuere. Haec postmodum Ioannes Antonius Coratius, in Africam missus a Cosmo III. Magno Duce Etruriae, ut alia antiquitatis eruditae monumenta pervestigaret, in Mediceum Cimeliarchium transportanda, descripsit; qui authographum suum cum V. C. Antonio Maria Salvinio communicavit: e quo, eodem Salvinio Praeceptore meo amantissimo permittente, exscripsi. Ea nunc primum in lucem prodeunt.

Apud Beggiam, qui pagus octoginta milibus passuum distat a Tunetana urbe, in lapide, qui longitudine octo Romanos pedes, crassitie duos aequabat.

113

· ·

· · · · · · · · · PRONEP · T · AELIO · HADRIAN · · · ·

· · · · RVM GENTIQVE MVNICIPIVM AELIVM AVITTA · ·

· · · · PROCOS · ET · Q · EGRILIO PLARIANO LEG · PR

· ·

113. In principio ita restituendus videtur: IMP · CAESARI · DIVI · HADRIANI · FILIO · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · NEP · DIVI · NERVAE · PRONEP · T · AELIO · HADRIANO · ANTONINO · AVGVSTO · PIO etc. cuius in honorem positus est a Municipio Aelio, forsitan post victoriam de Mauris susceptam, quos ad pacem postulandum coëgit, teste Capitolino.

Ibidem, in fragmento ingenti.

114

· · · · · · MANICIS ARM · · · · ·

· · TRIB · POTEST · XVI · · · · · ·

· · · ANI · PARTE DIVI NE · · · · ·

SEPTIM · · · · · · · · · VACANO · · ·

Ibidem.

115

· · · · · NTONINI PII GER · ·

· · · · · NTIE MAXIMO · · ·

· · ABNEP · DIVI TRAIA · · ·

· · · ASTRORVM COL · · ·

Ibidem.

116

· ·

· · · · · · · · FILIO DIVI COMMODI FRATRI

· · · · · · · · IMP · XII · COS · III · PP · ET

· · · · · · · · RVAE ADNEP · M · AVRELIO ANTO

· · · · · NIN · · ET AVSPICIS DIVINIS F ·

· ·

Ibidem.

117

· · · · · · · PRONEP DIVI TRAIANI · · · ·

· · · · · · · · · I · PERTINACIS · AVG · ARAB · ADIAB · · ·

· · · · · · · I · · · COS III · ET · L · SEPTIMIO SEVERO

· · · · · · · · CIMVM · POCOS · C · V · COLONIA · I · · · ·

Ibi-

Ibidem.

118

D · M · S
EVHEMERIS
PIA FELIX
VIXIT AN
NIS XIIII
M · VIII
H · S · E
NICE··· RVS
MARITVS CO
sic NIVGI NCOM
PARABILI FEC

Apud Bisertam in marm. columna.

119

IMP · CAES
M · AVRELLIVS
ANTONINVS
PIVS FELIX AVG
PARTHICVS · MAX ·
BRITANNICVS·MAX
GERMANICVS·MAX
TRIB · POT · XVIIII
COS · III · P · P ·
RESTITVIT
XLIX

119. Huiusce miliaris columnae inscriptio docet M. Aurelium an. V. C. DCCCCXIX. Christi CLXVI. Pudente & Pollione Consulibus, viam publicam restituisse.

Prope Tlachim.

120

D · N · AVR·····
CONSTANTINO NOBI
LISSIMO CAESARI
MVNIC · AVREL····
······ DEVOT ···
···· MAIEST ···· E ·
EIVS
D · D · P

120. Forsitan: *Municipes Aureliani, sive Aurelianenses devoti Numini Maiestatique eius.*

121 *Ibidem.*

. . . . R V M S A C R V M . . . . .

. . . . P A P I R I A C I L O N I A N V S . . . . .

. . . . . M I V S · H O N O R A R I A S V M M A . . .

. . . M . . . C L Y P . . . . C V M I N S I G N I B V S . . . .

. . . P O S T V L A N T E · P O P V L O D I E M L V D . .

. . . E P V L V M · E D I D I T · D · D ·

121. Ex ipſo cognomine CILONIANVS, forſitan aliquando innoteſcet clari viri nomen, in cuius honorem clypeus cum inſignibus poſitus eſt; qui ob dedicationem ſuſceptumque tam eximium decus, ludos & epulum dedit. Clypei rotunda forma imagines continebant illuſtrium virorum: pro meritis aurei & argentei ponebantur in templis, in curia, in loco maxime honorifico. In clypeorum dedicatione ludos & epulum dari conſueviſſe, edita marmora teſtantur, quibus pauca adfert I. Lipſius in Tacitum Annal. Lib. II. Vide etiam Tomaſinium de Donariis Cap. XX.

In Zaguan pago, in marmoreo cuiusdam oſtii limine.

122

. . . . P I I S S I M O · R O M . . . . P R I N C I P I

. . . . S · C · M I N I S T A T I O N E · P R O C O N S · P A

. . . . INSTITVTIS · NVNC · SOLIO · VNO · IFIMO *ſic*

. . . . C O N G E S T I O N I E T . . . P A R I T . . . I N . . .

. . . . . STVLINVS GENEROSA · FAMILIA · PROGENITVS

PERFECIT · EXCOLVIT · LVDOS · DEDIT · DEDICAVIT

Pro-

Prope eumdem pagum.

123

. . . .
. . . PATRI QVI VIXIT ANN
. . . ET . . . . AE · MATRI
T · AELIVS AEMILIVS NARCI . . .
T · AELIVS AEMILIVS MELANT . . .
M · AELIVS AEMILIVS FVSCVS
P · AELIVS AEMILIVS HOSPES
FILIS POSTERISQVE LIBERTIS

Apud Mnaram prope Mahametta.

124

C · SVELLIO
QVARTO
PATRI SVO

Ibidem.

125

C · SVELLIO
PONTIANO
PATRVELI

126

C · AEMILIO
AFRICANO
AVVNCVLO

Ibidem.

127

M · AEMILIO
PAVLLO

128

AEMILIAE
PIAE VXORI


In pago quodam Tunetano.

129

D · M · S
MEMORIAE SANCTISSI
MAE FEMINAE SEPTIMIAE
DONATAE QVAE VIX ANN
XLI MENSIBVS VIIII

Cinerarium marmoreum pulcherrimis ornamentis exculptum, in Museo Mediceo exstat.

130



Eidem Cinerario adiungendus est ingens marmoreus Cippus, qui nunc exstat in Museo Capitolino.

LEMNO · AVG · L ·
PROC
PATRIMONI · ET
HERED · ET
DOMITIAE · PHYLLIDI
L · DOMITIVS · LEMNVS · F ·

Li-

130. Libuit heic rursus adferre huiusce elegantissimi Cinerarii inscriptionem, ut adnotarem, olim exstasse in Aede Sodalitii Sacri Corporis Christi in Monte Varchio, Etruriae Castro, non uno nomine inclyto, quam ibidem exscripsit Baptista Brunelleschius Florentinus. Postmodum Volaterras translatam fuisse constat; demum in Museum Mediceum.

Sequentes Inscriptiones inter Gudianas adferuntur, & in Palatio Magni Ducis Etruriae exstare dicuntur; sed hodie desiderantur.

131

ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΛ
ΛΙΚΡΑΤΕΙΑ
ΚΑΙ . ΚΟΡΝΗΛΙ
ΟC . ΔΙΑΔΥΜΕ
ΝΟC . ΕΞ ΕΤΙ ΤΑΦ···
ΘΕΟΝ . ΤΟΝ . ΒΩ
ΜΟΝ . ΑΝΕΘΗ
ΚΑΝ

132

D · M
IVNIA · QVIETA
RVFINAE · FILIAE
DVLCISSIMAE
VIXIT · AN · XV
BEN · M · F

131. Inter Gudianas adfertur pag. LXIV. 10. perperam tamen exscriptam fuisse perspicuum est in quincto & sexto versu; in quibus scriptum arbitror: ΕΞ ΕΠΙ ΤΑΓΜΑΤΟC ΘΕΩΝ. Vide quae adnotantur in Parte I. huius Operis pag. 1. & 2. & pag. 235. Eadem epigraphe Latine reddita: *Claudia Callicratea, & Cornelius Diadumenus ex praecepto Deorum hanc aram dedicarunt.*

133

C · FVLVINI
C · L · GLAVCI

134

A · GABINIVS
APOLLONIVS
HIC EST

HIC

134. HIC EST. In ſexcentis lapidibus HIC SITVS EST. Quod vero recte ſcriptum ſit in hoc titulo HIC EST. alter iam adlatus paullo ſuperius pag. 154. num. 168. evincit, qui haec habet: ANTIPATRA DVLCIS TVA HIC SO ET NON SO: videlicet: *hic ſum & non ſum*. Eadem phraſis adnotanda eſt in Graeco epigrammate, quod ſubiicio, neque editum apud Gruterum, & Reineſium invenio. Mecum nuper humaniſſime communicavit vir ingenio & eruditione conſpicuus, mihique amiciſſimus, Rodulphinus Venutus, Patricius Cortonenſis, & Academiae Etruſcae a Secretis meritiſſimus. Scriptum eſſe monuit in praegrandi cippo, e quo deſcripſit, & exſtare Romae penes Carolum Neapoleonium lapidicinam.

Θ · K ·	*Diis Inferis.*
CTHΛHN ЄΘHKAN	*Cippum poſuere*
NIKOMHΔЄI CYNΓЄ	*Nicomedi conſangui-*
NЄIC OC HN APICTOC	*nei. qui fuit optimus*
IHTPOC ЄN ZΩOIC	*Medicus dum vixit.*
OT HN ΠOΛΛOYCTЄ	*quoniam & multos*
CΩCAC ΦAPMA	*ſervavit pharma-*
KOIC ANΩΔYNOIC	*cis dolorem ſedantibus.*
ANΩΔYNONTO CΩ	*doloris expers cor-*
MA NYN ЄXЄI ΘANΩN	*pus nunc habet mortuus;*
ЄYΨYXΩ NIKOMHΔHC	*Bono ſum animo Nicomedes.*
OCTIC OYK HMHN KAI ЄΓЄNO	*qui non eram & na-*
MЄNOYOYKЄIMI KAI OYΛY	*tus ſum. non ſum & non do-*
ΠOYMAI ZHCAC ЄTH MΔ	*leo poſtquam vixi annis XLIV*
KAI HMЄPAC KΓ	*& dies XXIII.*

In Palatio Magni Ducis ex Gudianis pag. CCXLVI. 8.

135

VAREIA
FELICISSIMA
AVRELIAE
ERMIONAE
FILIAE · DVLCISS

Ibidem ex Gudianis pag. CCLIII. 9.

136

TI · C · AVGVSTALIS
FECIT · MATRI · SVAE
CARISSIMAE
ITEM · FRATRI SVO
FELICI · V · A · VIII

In terra Galerae (lege *Galeatae*) *in Etruria , circa Viam Claudiam , ex Gudianis pag.* CCLV. 3.

137

D · M
GRAPHICO PVBLICO MAECIANO SODALIVM TITIVM
SCRIBONIA SYNTYCHE CONIVGI KARISSIMO FECIT
ET SIBI ET SVIS POSTERISQVE EORVM IN FR. P. VII. IN AG. P. XII.

Ibidem.

138

FABVLEIAE · CHRYPE · LIBER
VIXIT · ANN · LVIII · MEN · X · D · XVIIII
M · FABVLEIVS · M · F · EVCARPVS
FABER · FERRARIVS · MATRI · CA
RISSIMAE · EX · TESTAMENTO · P · C
H · M · H · E · N · S

IGI-

137. Inscriptio haec exstare dicitur in Schedis Petri Andreae Andreinii Patricii Florentini *in Museo Mediceo*. Adlata rubrica: *In Terra Galeatae* etc. hic tollenda est, & praeponenda lapidi, qui sequitur num. 138. hic enim lapis, ut in Gudianis adnotatum, exstat *in Terra Galerae* (lege *Galeatae*) Hanc transpositionem, me inconsulto, & ab urbe absente, patravit Typographus: quod heic loco propinquiore monendum censui.

Sequens Inscriptio Florentiae exstabat, ex vetusto Codice Bibliothecae Stroziae; hodie vero non reperitur.

139

L. MAMILIVS
L · L · FAVSTVS · SEVIR · AVG ·
L · MAMILIO · L · F · ARN · MODESTO
SELECTO ET DECVRIONI
VIVOS · SIBI · ET · LIBERTIS · SVIS · FECIT
L · MAMILIO · EPINICO · SEVIR · AVG ·
L · MAMILIO · ACTIO ·
CALLITYCHENI ·
L · MAMILIO · FAVSTO ·
L · MAMILIO · EVTYCHO ·
MAMILIAE · PYRALLIDI

139. Mamiliae familiae originem indicat Festus his verbis: *Mamiliorum familia a Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreaverat*. Meminit Livius Lib. III.

 L. Ma-

L. Mamilii, qui quum esset Tusculi Dictator, Romanis auxilium tulit, quum Capitolium ab Herdonio teneretur. Eamdem familiam in Florentinorum Colonia claram fuisse, docet hoc marmor, in quo Mamilii e libertis orti, inter Seviros Augustales, Selectos, & Decuriones recensentur. Iam Florentinos antequam ex Augusti beneficentia in Scaptiam Tribum transirent, in Arniensi sive Arnensi Tribu, quam ab Arno Etruriae flumine dictum docet Livius Lib. VI. ius suffragii habuisse, adlatis illustratisque vetustis lapidibus, supra ostendi pag. 28. & 29. In eadem Tribu Clusinos censos fuisse adnotavi in Par. II. pag. 409.

140

D · M
T · FL · HYLLO
FL · EPAVXESIS
F I L
PIISSIMO · QVI
VIX · A · XIX · MENS · XI

141

D · M
FL · AQVILIO
HEDONI
CANDELABRARIO
VIXIT · AN · XXXIII
MENS · IV · D · X

141. Numquam in vetustis lapidibus me legere memini CANDELABRARII vocabulum. Candelabrarius is erat qui candelabra aurea, argentea vel aerea, vel etiam marmorea ac lignea, quorum meminit Cicero in Verre, artificiose faciebat. Candelabrorum multiplex usus fuit in templis Deorum, in sacrificiis, in balneis, & in tricliniis. Caput testamenti M. Meconii Leonis, quod adfert Fabrettus Inscript. Cap. V. pag. 404. n. 306. memorat CANDELABRA ET LVCERNAS BILYCHNES, quas arbitrio Augustalium Reipublicae Petelinorum dedit vivens ad ornatum & commodum tricliniorum, quo faci-

facilius Auguſtales ſtrationes publicas, (ita in marmore legitur) nimirum ſtationes ſuas obire poſſent. Candelabrum aereum elegentiſſimi operis, & quidem praealtum, vidi in Muſeo Nobilium Comitum Anſidaeorum Peruſiae, quo nihil pulchrius, nil praeſtantius ars potuit effingere. Si quis Candelabrorum uſum in ſacris, quemadmodum & lucernarum, originem ab Aegyptiis manaſſe arbitretur, Iſiacae menſae, in qua candelabra ſculpta ſunt, auctoritate uti poterit. Sed de his alibi opportunius. Exſtat in Muſeo Magni Ducis Etruriae candelabrum aheneum optime ſculptum, altitudine aequans fere duos pedes, ita inſcriptum in baſi : Μ · ΑΓΡΙΠΠΑ Ο ΥΠΑΤΟΣ ΤΡΙΤΟΝ. Sed inſcriptio νοθείαν manifeſte aperit : nam Graeci auctores ſcribunt ΑΓΡΙΠΠΑΣ, non vero ΑΓΡΙΠΠΑ.

Florentiae in Aedibus C. V. Joannis Baptiſtae Donii, ex eius Schedis authographis; ſed lapides hodie deſiderantur.

142


D · M
TI · CLAVDI
FLORENTINI
NARCISSVS
LIB · ET
FRATER
B · M · F ·

143

ANTISTIAE
L · L · THAIDI
ANIMA SVAVISSIMA
HABE
BENE BALEAS QVISQVIS
ES QVI ME SALVTAS

143. HABE. hoc eſt HAVE BALEAS. i. e. VALEAS. Sexcenta in vetuſtis lapidibus exempla occurrunt frequentis mutationis V. in B. uti etiam

N in M. Lubet adferre exemplum in ſequenti lapide, ni fallor, ad hoc uſque tempus inedito, qui Romae in via Salaria inventus eſt anno MDCCXXII.



Agathopi Auguſti Liberti *Invitatoris* ſepulcralem titulum dedimus in Par. I. pag. 195. num. 8. *Invitatorem* ſervum, eumdem eſſe cenſuit Carolus Datus Patricius Florentinus, ut diximus, ac *Vocatorem*, quem & *Nomenclatorem*, quaſi nominum calatorem veteres dixerunt, qui nomina eorum qui vocati erant, recitabat. Servi Invitatores ad nuptias, & ad cenam in ſacro Evangeliorum Textu memorantur. Invitatores primum locum tenebant inter Officiales ad uſus Scrinii deputatos, qui in leg. ult. Cod. de diverſ. officiis recenſentur: *Item ſcrinii ſacrorum libellorum ſic, officii virorum Magiſtrorum militum utriuſque Praefecti Orientis & Illyrici*, INVITATORVM,

Ad-

Admissionalium, *Memorialium*, *omniumque Paedagogorum*, *Cellariorum*, *Mensorum*, *Lampadiorum. etc.* legendum videtur *Lampadariorum*, auctoritate antiqui marmoris penes Fabrettum Cap. IV. pag. 307. num. 309. in quo ARAPS CAES. N. SER. PECVLIARIS LAMPADAR. hoc est *Lampadarius*, nominatur. De his vide Pignorium de Servis pag. 127. & 128. Aliud tamen est officium Lampadariorum ad usus scrinii, de quibus Bulengerus de Imperat. Romano Lib. II. Cap. XXVI. aliud eorum qui facem & lampada Imperatori noctu iter argenti praeferebant. Ibidem etiam eodem anno inventum est hoc epitaphium, quod utpote ineditum, praetereundum non est.


D  M

IVNIAE EVTICHIAE M · IVNIVS
DECIMIANVS FILIVS ET
M · CLODIVS CANDIDVS MARITVS PRO PARTE DIMI
DIA FECERVNT ET SIBI LIBERTIS LIBERTABVSQ.
SVIS POSTERISQVE EORVM ITEM
ANTONIA RHODINE PRO PARTE DIMIDIA FECIT
SIBI LIBERTIS LIBERTABVSQVE SVIS POSTERISQVE
EORVM PRO PARTE SVA EX SARCOPHAGIS DVOBVS
sic QVE SVNT IVRIS EIVS DONAVIT CLAVDIO
LEONIDI MARITO SVO VNVM QVOD EST PARTE DEX
TERIORE ITA VT IN EO CORPVS EIVS PONI IVSSIT

Mar-

Marmorea ara superne fracta, inventa in Aedibus Leonardi Augustinii Antiquarii Celeberrimi; ex eius autographo in Codice Bibliothecae Stroziae.


144



144. Aliarum inscriptionum exemplo & auctoritate, quae in capite desunt, ita supplenda sunt. LARIBVS · AVG · h. e. *Laribus Augustis*. Leonardi Augustinii patria Senae fuerunt: sed quum Romae per plures annos degisse constet, potius Romae inventam fuisse hanc aram, quam Senis, credendum est. Quum Romae degeret Augustinius pretiosa antiquitatis cimelia undique conquisivit, quibus aucta est Medicea Gaza, iubente Serenissimo Card. Leopoldo Medice, & nullis impendiis parcente.

Flo-

Florentiae, ex antiquo Codice Bibliothecae Nobb. Gaddiorum, hodie non invenitur.



145. Habes hic Ossuarii schema, in quo ossa, & cineres defunctorum componebantur, quamvis diversum sit ab his, quae adfert Fabrettus Cap. I. Inscript. pag. 16. num. 69. & 70. Cineraria quoque quadrata fuisse, ex eorum iam adlata descriptione in Parte I. huius operis, pag. 226. & 227. colliges. In his OSSVA ET CINERES, uti docet vetustum marmor penes Fabrettum Cap. III. pag. 201. num 492. in unum coniiciebantur. In sepulcrali titulo penes Vignolium inter Selectos pag. 276.

P H I L A R G Y R V S
C H R Y S A R I O N I
O S S V A R I V M D E S V O
D A T

Cn. Acceium Felicem, Libertum fuisse arbitror. Cn. Acceii Rufi Lutatii, qui fuit Duumvir Coloniae Florentinorum cum T. Petillio, quorum mentio

tio in vetustissima Tabula, quam protuli in Parte I. pag. 316. n. 34. Pullarii officium fuit, e pullis, quos alebat, in cavea adlatis eductisque, ubi oportebat, auspicia secunda vel adversa nuntiare. Cicero de Divinat. II. 34. *Attulit in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur PVLLARIVS.* De his cum plena sint Lexica, multa notatu digna congerit Pitiscus, ad quem lectores mittimus. Omnium vero luculenter de his Gisbertus Cuperus, qui ad monumenta antiqua pag. 199. & seqq. disserit de Pullariis, notatque cum Reinesio Cl. VI. Inscr. XXXVI. Augures Pullarios in unaquaque Legione Romani exercitus fuisse, itemque VIATORES PVLLARIOS.

Pulcherrima est, & ad hunc diem, in quo scribo, nondum edita, haec inscriptio in Agro Romano inventa hoc anno MDCCXXXIX., in qua ossuaria nominantur, & ne violentur, orant defuncti. Exstat in Museo Cl. V. Francisci Ficoronii, qui exscripsit, & ad me statim perhumaniter misit.

PER DEOS SVPEROS
INFEROSQVE TE ROGO NE
OSSVARIA VELIS VIOLARE
M · CALPVRNIVS · M · L · SVLLA
CALPVRNIA · M · L · FAVSTA LI
B E R T A

Dirae non raro in sepulcralibus titulis contra violatores notantur. In Urnula Musei Suburbani Strozii

zii ita ſcriptum: OLLA. EIVS SI QVI OVVIOLARIT. AD IFEROS. (ſic) NON. RECIPIATVR.

Florentiae: nunc deſideratur.

146

IGILIAE · FLAVIAE
PIISSIMAE · CASTISSIMAE · FEMINAE
L · IGILIVS · SEX · F · ARN · MILO · EQ
PVBLIC · CONIVGI · SIBI · ET · SVIS · FIL
FECIT · ET · IGILIAE · FLAVIANAE · MA
TRI · DVLCISSIMAE · BENEMERENTI
POSVIT

Florentiae, penes DD. de Gentilibus.

147

OTACILIA	v C · OCTAVIVS
M · L · HILARA	C · L · VRBANVS
MATER · VRBANI	PATER RVFI

147. Hic titulus ante duas ollas cinerarias in monumento poſitus, ſcriptus eſt litteris pulcherrimis, qui non redolent Otaciliae uxoris Philippi Imperatoris aetatem, ſed longe ſuperiorem, forſitan, ut auguror, Auguſteam. Ex Otacilia familia clari genere & munerum dignitate viri non pauci prodiere, quos recenſet Glandorpius. Illa littera v ante C. OCTAVIVS, indicat eum viventem, quum ſepulcralem titulum ſibi poſuit.

In Bibliotheca Nobb. de Panciatichis exstat anaglyphum marmoreum Faesulis effossum, in quo nex Priami sculpta est; in ara vero in qua idem Priamus iugulatur, haec epigraphe legitur.

148 AVRELIA SECVNDA
SE VIVA FECIT SIBI ET SV
IS

In Museo Marchionis Riccardii.

149

D · M
TESSIAE · TESSIANAE
EVTACTVS · ET · THISBE
PARENTES · FILIAE
DVLCISSIMAE
QVAE · VIXIT · ANNIS
IIII · M · X · D · II
H · III · FECERVNT

Florentiae, in Aedibus Nicolai Businii, in Viciniis S. Crucis.

150

D · M
RVSTICIANAE
FELICLAE · QVAE
VIXIT ANNIS XVII ·
MENS · VII · DIEB ·
XIIII · DIONYSI
VS CONIVGI
B · M · F ·

149. Postremo versu auctior hic titulus sepulcralis exhibetur ex Marquardo Gudio pag. CCXLV. 7. qui integrum vidit, vel a docto viro exscriptum accepit. Mutilum dedimus in Parte I. huius operis pag. 87. num. 13. uti hodie in Museo Riccardio exstat.

150. Hodie non exstat hic titulus; eum tamen descripsit in suo Codice, quem vidi, Baptista Brunelleschius Florentinus, Petri Zenobii filius, qui floruit initio seculi XVI. qui quum fuerit antiquitatum


tum omnium diligentiſſimus indagator, inter Florentinos, de antiquitatis ſtudiis optime meritos, adnumerandus multa cum laude eſt. Ex hoc innoteſcit Ruſticiana familia, inter priſcas Coloniae Florentinorum recenſenda.

Quae ſequuntur, ſeptem abenea ſigilla, exſtant inter Cimelia V. Cl. Dominici Mariae Mannii.


151



152




153



154



155




156



In ſigillo, quod S figuram refert.

157



151. Prioris ſigilli ſingularia. VT F. ita explicantur: VTERE FELIX. vel VTERE FELICITER. Haec adclamatio plerumque ab opificibus fieri ſolebat, abſoluto opere, eademque adhibebatur in Saturnalibus, in quibus invicem dona ſibi mittebant Romani. Eadem ſculpta in ara, quae Romae nuper effoſſa eſt. Additum etiam AMPLIORA FACIAS. MELIORA DEDICES. FELICITER. Interdum etiam ſcriptum: VTERE FELIX. MVLTIS ANNIS. ET FAVSTE VIVAS. Verba VTERE FELIX, fauſtae adclamatio-

 nis,

nis, bonique ominis gratia dici ſolebant quum ſponſae ſponſis nuptui tradebantur. Ea ſcripta ſunt in antiqua Gemma Medicei Muſei, in qua ſponſus & ſponſa ob fidem coniugalem iunctis dextris exhibentur, quam vide in Parte I. Tab. X. n. III. pag. LXVIII.

In altero adlato n. 154. A. indicat nomen Liberti, qui fuit Diſpenſator in domo Auguſta. A. AVG. N̄ D. hoc eſt: A. *Auguſti noſtri Diſpenſator*; vel *Diſpenſatoris*. Meminit Suetonius Diomedis diſpenſatoris Auguſti, in eius vita c. 67. Meminit Diodorus Lib. XXXVI. Athenionis Cilicis, qui ducentis ſervis praefuit. Hinc diſcimus Libertos quoque, qui officio diſpenſatoris in domo Auguſta, vel etiam in privatorum domibus fungebantur, uſum ſigilli obſignatorii habuiſſe. Fuiſſe diſpenſatores variis officiis ac muneribus deſtinatos, edita vetuſta marmora & Scriptores teſtantur. De his nonnulla obſervavi ad Columbarium, ſive Monumentum Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum pag. 180. & 181. De origine uſuque huiuſmodi ſigillorum egregie diſſerit vir mihi amiciſſimus, & eruditae antiquitatis conſultiſſimus Dominicus Maria Mannius, in Florentino Seminario Etruſcarum Litterarum Profeſſor, qui multa cum nominis ſui laude ſequioris aevi plena eruditionis fruge ſigilla editis iam voluminibus luculenter explanavit: quam ſpartam, quum in me iam recepiſſem, in eum lubentiſſime tranſtuli.

Age vero, quum adclamationum, quae in aereis ſigillis occurrunt, paullo ſuperius mentionem fecerim; non iniucundum fore heic arbitror, ſi adclamationes quoque recenſeam, quae in Gemmis leguntur; quae quum in Florentinis Dactyliothecis adſerventur, eas praeterire conſentaneum non videtur. Primum proferam Gemmas Graecis litteris, mox Latinis inſculptas.

In

In Medicea Dactyliotheca.

In Iaſpide nigro, litteris albis exſtantibus inſcripto.

158

Α Ϲ Τ Ε Ρ Ι Α
ΖΗϹΑΙϹΑϹ
Ι Κ Α Λ Ω Ϲ

In Iaſpide nigro, ſimiliter ſcripto.

159

Μ Α Κ Α Ρ Ι
Μ Ε Α Ι Α Τ
Τ Ι Κ Ο Ν

In Sarda.

160

Χ Ι Ο Ν Ε
Χ Α Ι Ρ Ε

In Granato Orientali.

161

Φ Ι Λ Ω Ν

In Iaſp. Chalc. manus aurem tangens.

162

ΜΝΗΜΟΝΕΤΕ

Heliotropio inſculptus vir ſeminudus, operto capite pileolo, ſtans, columnae innixus, ſignum in manu tenet cum imaginibus Solis & Lunae: pertinet ad Baſilidianorum figmenta.

163




163. Hoc eſt: *Magnum nomen ſolius Domini Dei:* hoc eſt: *Mithrae.*

In Iaſpide Heliotropio, in quo ſculptus Mimus Antiochenus urſum ſaltantem exhibens. In altera vero facie Fortuna, dextera navis gubernaculum, ſiniſtra copiae cornu tenet.


164 ΕΥΤΥΧΙ ΜΑΡΚΕΛΛΕ
ΕΙΡΗΝΗ

Α Υ Ξ Ε Ι Τ Υ Χ Η
Α Ν Τ Ι Ο Χ Ε Ω Ν

165 *In Chryſolito.*



166 *In Iaſpide.*



167 *In Iaspide rubro.*

NAEVIA
CLEMENTINA

168 *In Iasp.*

VERECVNDVS

169 *In Iasp.*

ERYL
LAES

170 *In Sardae.*

APHPODIZI
VS · GEMINIA
PANCARPE


171 *In Iaspide rubro.*

VLPIA
BENERIA

Alias Gemmas, ut aiunt, litteratas, editas a me vide in Volumine secundo Musei Florentini pag. XXXIV. & a Tab. I. usque ad Tab. XXIV.

Florentiae, in Aedibus March. Nicoliniorum prope Nobb. Pactios.

172



172. Rur-

172. Rursus heic proferre eximium hunc lapidem, in quo fabrilia negotiantis Materiarii instrumenta sculpta sunt, inter quae locum habet ascia ad materias dedolandas, operae pretium visum est; quia in instrumento illo, quod post reliqua subiectum est, scriptum habetur PAL quae litterae P. ALFII nomen indicant, non vero PAT, quemadmodum perperam a me editum fuerat in Parte I. harum Inscriptionum pag. 277. num. 1. Id ut animadverterem indicavit vir Eruditissimus Carolus Frederich Armiger Anglus, qui delineandum curavit, me monente, & schema obtulit doctissimo viro Domno Abbati Didaco Revillas, in Romano Archigymnasio Matheseos Professori, a quo de antiquo Romanorum pede, & de veteri milliario, praeter alia luce dignissima, Commentarium exquisita eruditionis fruge refertum paratur. Perspicuum hinc est veteres artifices in praecipuis suae artis, sive negotiationis instrumentis, nomen suum scribere, vel indicare consuevisse. Fabri Materiarii in unico tantum lapide, quem subiicio, fit mentio in Gruteri Thesauro pag. DCXLII. 6.

D · M · S
FVLVIVS · L · F · QVIN
TIANVS · FABER
MATERIARIVS
PIVS · IN · SVOS
VIXIT · ANN · XLVI
RVBRIA · MEROBR
MARITO · B · M · FEC
H · S · E · S · T · T · L

In septima linea vitiose exscriptum videtur MEROBR. Forsitan MEROPE: quod si ita restituatur, haud ineptum videtur.

173. Rur-

173. Rursus etiam heic adferre lubet exemplar minoribus litteris scriptum honestae missionis, & civitatis datae ab Imperatore Servio Galba militibus

173

SER·GALBA·IMPERATOR·CAESAR·AVGVSTVS
PONTIF·MAX·TRIB·POT·COS·DES·II
VETERANIS·QVI·MILITAVERVNT·IN·LEGIONE
I·ADIVTRICE·HONESTAM·MISSIONEM·ET·CIVI
TATEM·DEDIT·QVORVM·NOMINA·SVBSCRIPTA
SVNT·IPSIS·LIBERIS·POSTERISQVE·EORVM
ET·CONVBIVM·CVM·VXORIBVS·QVAS·TVNC
HABVISSENT·CVM·EST·CIVITAS·IIS·DATA·AVT
SI·QVI·CAELIBES·ESSENT·CVM·IIS·QVAS·POSTEA
DVXISSENT·DVMTAXAT·SINGVLI·SINGVLAS
A·D· XI K·IAN
C·BELLICO NATALE P·CORNELIO
SCIPIONE COS
DIOMEDI ARTEMONIS F PHRYGIA VDIC
DESCRIPTVM·ET·RECOGNITVM·EX·TABVLA·AENEA
QVAE·FIXA·EST·ROMAE·IN·CAPITOLIO
IN ARA GENTIS IVLIA

veteranis, qui militaverunt in Legione I. Adiutrice, quod est omnium plane vetustissimum. Exstabat

olim

olim hae plicatiles Tabulae ex aere in Muſeo Andreinio; poſt eius vero obitum, inſigni eius Muſeo comparato ab Ioanne Gaſtone Magno Duce Etruriae, in Mediceo Muſeo nunc adſervantur.

174. Averſam quoque partem huiuſce monumenti propono, ut loca quaedam a doctiſſimo viro egregie illuſtrata, in quibus haeſerat mihi aqua, conſideremus.

174

TI·IVLIUS
C·IULI·CHAR
TI·CLAUDI
C·IULI·C·F·COL
TI·FONTEIUS
P·GRALTI·L·P·F
M·ARRI RUFI

PARDALA·SARD
MI· SARDIAN
QUL·FIDLNI MAO
NIAN
LLBON·SARD
CERIALIS·SARD
AEM·PROVIN
CIAL
IPESIUS
SARDIAN

Is eſt vir celeberrimus, & ad illuſtranda difficiliora veterum inſcriptionum loca, & inſigniora vetuſtatis monumenta, bono litterariae reipublicae natus,

Ioannes Gaſpar Hagenbuchius, in patrio Lyceo Tigurino Eloquentiae, Hiſtoriae, Graecarum humaniorumque litterarum Profeſſor meritiſſimus, quo cum paucis ab hinc annis ſumma ſtudiorum neceſſitudo, & animi benevolentia intercedit. Eximius hic vir, cuius habeo epiſtolas in re antiquaria illuſtranda eruditiſſimas, & quidem non paucas, quas, eo permittente, in lucem proferam, & maxime pertinent ad illuſtrandas, vel emendandas compiures veteres Inſcriptiones in Doniano opere adlatas, hanc ad me nuper miſit, quae inſigniſſimo huic monumento opem medica manu adferunt praeſtantiſſimam.

ANT. FRANC. GORIO

Ioh. Gaſpar Hagenbuchius

S. P. D.

LEonhardus BODMERVS, patriciae gentis iuvenis, non ad eius tantum decus, ſed & ad praeclara reip. noſtrae ſurgens, quem ante biennium a nobis trans Alpes veſtras in terras digreſſum, quo minus iam tunc Florentiam veniret, inſtituti itineris ratio commutata impediverat, Herculis Labronis portum nunc relicturus, Romam & Neapolin ita cogitat, ut ante omnia Florentiam adire, GORIVMque videre conſtituerit. Quare adoleſcentem hunc nobiliſſimum, mihi inprimis carum, moribus probatiſſimis, TIBI, mi GORI, ita commendo, ut TE velim eum ornare atque adiuvare, quibuſcumque rebus poſſis. poteris autem plurimis; indicandis FLORENTIſsimAE urbis veſtrae ἀξιομνημονεύτοις, aperiendis κειμηλίοις eiusdem, quae altera velut Roma

Tan-

———Tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi:

poteris praeterea, dandis etiam, maxime de itinere rite inſtituendo, & feliciter peragendo, conſiliis atque monitis multum profuturis. Multum gens BODMERORVM, *multum ipſe* TIBI *ſumus debituri. Ita mihi omnia quae opto contingant, ut hominem noſtrum* εὐοδοῦσθαι *vehementer velim. Quod ſi veſtratium quidam ad nos veniret, a* TE *nobis commendatus, quantum auctoritatis & ponderis commendatio* TVA *apud nos haberet, revera intelligeret;* TIBI*que redux,* GORIVM *a nobis plurimi fieri, commemoraret. De* BODMERO *meo* TE *amiciſſime cogitaturum, noſtra me amicitia dubitare non ſinit: cogitabo uſque & ipſe, gratam a* TE *gratiam inire. Quae de* δυσνοήτοις *Tabulae aeneae Andreinianae Inſcr. Etr. T. I. pag. 257. num. 45. mihi enotavi, tecum communico. In altera Tabulae facie quid ſit poſt* PHRYGIA. *(in Tabulae ſphalmatis id refers pag. 260. med. quod in altera recte detur* PHRYGIO. *)* VDIC. *ſummopere torſit &* TE, *& doctorem* TVVM *doctiſſimum Salvinium, quod vidi ex pag. 259. & 281. Vide vero, an legendum ſit,* PHRYG. *(i. e.* PHRYGio: *poſſes &* PHRYGia *ſine ſphalmate accipere, elliptice, ſubintelligendo* oriundo, *vel* domo, *vel quid ſimile.)* LAVDIC. *Puto accipiendum de Phrygia* LAODICea *ad Lycum, nobiliſſimo oppido.* L *in his Tabulis eſt ubi ab* I *parum differat. Forte exſcriptoribus, de* PHRYGIA *cogitantibus, impoſuit lineola ſubtilioris ductus, qua* L *ab* I *differt, ut parvum ſpatium putarent interiectum: ſi etiam interiectum ſit, glypten puto, quaſi monere voluiſſe, non* AV *diphthongum ſe dare, ſed* A *ab* V *ſeorſum accipi debere; quae punctis diaereſeos vulgo nunc ſeparamus.* V *enim illud iacet pro* O. ἐναλλάξει, *ut non neſcis, ſexcenties occurrente. Quid? quod in ipſa hac voce occurrit,* LAVDICE, *uxor* MELIORIS: *profertur a*

TE pag. 364. n. 102. pro LAODICE, quod Salvinii verbis opportune monuisti pag. 365. Vt hîc in voce, quae a graeco λαὸς, populus, *est: ita in ipsa hac voce latina* populus, *O cum V mutatur*, Poblicola, Publicola: *quod in exemplis de O & V mutatis idem Salvinius tuus adtulit pag. 340. ad num. 11. LAVDICE in saxis valde frequens.* ΛΑΥΔΙΚΗ *minime frequens: occurrit tamen in eruditissimi & amplissimi Divionensium Praesidis Bouhierii explic. de quelqu. marbr. ant. pag. 4. fin. Est & aliud in altera hac Tabula aenigma. P. GRAITI (an sanum satis?* Graitia *gens antiquariis incognita.* Gratia & Grattia *cognitae. an quasi* Graetia, *nova & ea, accipietur?) P. F. AEMilia tribu PROVINCIALIS (cognomen hoc, & alibi non raro occurrit:) IPESIVS. Ipse HYPAEPESIVS ob Hypaepas, Lydiae urbem, tentas legere pag. 260. moxque, quod literas videbas nimis abeuntes, caelatoris erratum suspicaris intercessisse, ob similitudinem syllabarum PAE. & PE. priorem praetervidentis; quasi* Ipaepesius *daturus, dederit* Ipesius. *Cuius generis truncationes non ignoro interdum occurrere; sed ab Hypaepa gentile sit* Hypaepenus, *non modo in Stephano Byz. quem ipse laudasti, sed & in Plinio & numis, ut adfert Cellar. Not. O. A. T. II. pag. 128. ab Hypaepis etiam nimis distat IPESIVS Tabulae.* Ipsus, *sive* Hipsus, *Phrygiae locus, v. Cell. loc. cit. pag. 168. fin. an inde IPESIVS, quasi IPSIVS. Vt in Tabula MAONIAN pro MAEONIAN. extruso male E; ita hîc non admodum bene intruso E. IPESIVS. Apud Spon. Misc. pag. 116.* Opetatus & Cerispus *pleonasmum* τοῦ *E habent. Neque nos offendat nominativus* Ipesius *cum genitivis praecedentibus non concordans: in his enim Tabulis nomina alia gignendi, alia nominandi casu leguntur: mixtum ergo ex utroque nostrum: multis etiam in saxis, militum, & equitum singularium Aug. inprimis, nominativum patriae subiici, etsi genitivus vel dati-*

ti-

tivus nominum ipsorum praecesserit, non ignoras. Stylus lapidarius sua singularia non raro ostentat. Dum superiora de IPESIVS *huc coniiciebam, subiit alia coniectura, quam mihi verisimiliorem etiam videri non dissimulabo.* I *forte* E *est, quomodo τὸ* E *Tabulae in* IPESIVS*, & alibi non valde ab* I *discrepat: ita exibit* EPESIVS*, pro* EPhESIVS*. Saepe* PILIPPVS *pro* PhILIPPVS *in saxis legitur, & alia multa habent* P *pro* PH *seu Graecorum* Φ*. V. Fabr. Inscr. pag. 307. Ita duae nobilissimae minoris Asiae civitates Laodicea ad Lycum, & Ephesus, in Tabula* TVA *legerentur.*

Haec Hagenbuchius tuus, qui novit, se Hagenbuchium esse, non Oedipum. Ipse, qui Sphingem praestitisti, quas posuisti quaestiones, diligentius etiam inspecta Tabula, solves facillime. Ita optime, vale. Tiguri, ipsis Idibus Ianuariis MDCCXL. *anni, quem* TIBI *precor faustissimum, felicissimumque.*

Insigne hoc monumentum publici iuris feci, ut antea dixi in Parte I. huius operis pag. 257. quae prodiit anno MDCCXXVI. Iterum post annum MDCCXXVII. illud pervulgavit Cl. Marchio Scipio Maffeius in opere, quod inscribitur: *Istoria Diplomatica* pag. 30. & quamvis iam a me editum vidisset (nam ei eodem anno MDCCXXVI. eamdem Partem I. Inscript. ant. Etruriae, Veronam transmiseram, quam accepisse mihi constat) tamen iam inde mihi infensus, sonora voce adfirmavit, nondum a nemine in lucem prolatum fuisse. Tabulas plicatiles Mediceis simillimas nuper nactus est idem Maffeius, quae continent honestam eiusdem Imperatoris Galbae missionem, & civitatem ab eo datam militibus veteranis Legionis I. Adiutricis, & quidem, ut in Medicea legitur A. D. XI. K IANVAR iisdemque Consulibus C. Bellico Natale, & P. Cornelio Scipione; qui Consules suffecti fuere anno V. C. DCCCXX. Christi vero LXVIII. Non eadem, sed di-

ver-

versa sunt militum Veteranorum nomina, quae in ea recensentur. Has idem primus protulit in Opere *Verona illustrata* Par. II. Lib. V. pag. 270. num. 8. Antequam vero eas sibi compararet, quum Romae in manus docti viri Francisci Victorii Equitis venissent, is ad me antigraphis litteris diligentissime exceptas misit; quibus postea conlatis cum Masseiana editione, vidi duodecim ferme in locis ab archetypo eam differre, quibus ipse medebitur si aere incisam iterum adferet. Has quoque edidit Vir Celeb. Ludovicus Antonius Muratorius in Tomo I. novi Thesauri veterum Inscriptionum pag. CCCVII. 1. sed non paucis in locis & ipse inemendatam; adnotavit tamen, quod Masseius silentio praeteriit, has aereas tabulas effossas fuisse anno Christi MDCCXXVIII. in Castello a mare. Notandum quod scriptum est AD. ARAM. hoc est AD ARAM: non AD. ARMA. Perrarum honestae missionis monumentum, adnotatis Consulibus, & patriis civitatibus militum habetur in sequenti ara, quae Romae exstat in Hortis Iustinianis; in qua observare lubet honesta missione donatos milites Cohortis Primae Praetoriae.

GALLICANO · ET · VETERE · CoS
VII · ID · IAN · CoH · I · PR · ⅃
SATRI · GENIO · > · MISSI
HONESTA MISSIONE · VII
HIBERO · CoS

P. CENSORIVS. IVSTVS. VIRVNO
L. VOLCEIVS.. SEVERVS. SESTINO
Q. SEXTILIVS. VETVS. FLANONA
C. VALERIVS. VERANVS. TRIDENT

SERVIANO · III COS

T. ANNIVS · CRISPINVS. CVPRAMAR
T. ANTONIVS. PRIMVS. PERINTHO

Fa-

Fabrettus, qui hanc adfert Inscr. ant. Cap. VII. num. 121. notat exemplum inscribendi unicum Consulem brevitatis gratia, quem vide. Dicata est haec ara Genio Centuriae. Constat ex aliis compluribus inscriptionibus, quae iam editae sunt, milites missos honesta missione, aras pro gratiarum actione dedicasse Diis, quos colebant, tamquam praesidibus Legionis vel Cohortis, praesertim vero Genio Centuriae.

Apud Amplifs. Senat. Carolum Ginorium, Marchionem Riparbellae & Caecinae etc. titulus marmoreus inter rudera Caecinae repertus anno MDCCXXXIX.

175

B E N ✓ M E R
I V V E N T A T I
S O R O R I E T F I S *sic*
T I V E C O N M A
R C I A N V S ✓ F E C I T


175. Hoc est: *Benemerenti Iuventati Sorori & Festivae Coniugi Marcianus fecit.* Pervulgatum est tum homines, tum feminas interdum nomen a Diis Deabusque desumsisse. Iuventas nomen accepit a Iuventate seu Iuventa Dea, quam Romani coluerunt. Memorantur a P. Victore aediculae ei dedicatae in Regione IV. & VIII. Habuit etiam aedem in Circo Maximo, quam tamen idem P. Victor in Regione XI. aediculam adpellat; aedem vero T. Livius Lib. XXXVI. 36. & liquet vetustissimam fuisse. *Iuventatis aedem in Circo Maximo Licinius Lucullus Duumvir dedicavit; voverat enim sedecim annis ante M. Livius Consul, quo die Asdrubalem exercitumque eius cecidit: idem Censor eam faciendam lo-*

ca-

cavit, *M. Cornelio*, *P. Sempronio Consulibus*. In viciniis Caecinae, auspice Clarissimo Senatore & Marchione Carolo Ginorio, ex Equestri itidem Ordine S. Stephani, inter parietinarum veterum rudera detectae sunt complures Officinae Figlinariae, quae refertae erant fictilibus vasculis, praesertim amphoris praegrandibus, inter quas non paucas & ipse vidi, quas idem Nobilissimus Marchio Florentiam asportari iussit, adservatque in suo Museo; atque unam ex his humanitate in me singulari mihi dono dedit. Romanos pedes III. altitudine excedunt. Ex his amphoris aliquae in collo impressum habent nomen Fictiliarii; nonnullae etiam adiunctam notam Officinae, nimirum lituum, augurum insigne, ut videre est in sequenti Tabula num. III.

His in locis, in quibus amphorae inventae sunt, adhuc visuntur cumuli fragmentorum eorumdem vasculorum, & amphorarum. Os unius amphorae intrinsecus obturatum vidi subere, quod ita eidem inhaeret, ut non facile extrahi possit. Ex his amphoris aliquot repertae sunt inscriptae nominibus opificum Figlinariorum, quos tres fuisse hinc discimus, nimirum *Felicem*, *Rufum & Iucundum*. Fabrettus Cap. VII. Inscript. ant. qui nomina Officinarum recenset, notat pag. 498. distinctionem Officinae superioris & inferioris; veteris & novae; maioris & minoris. Nomen suum hi Figlinarii adnotare consueverunt in amphoris, ut videmus, in doliis, in tegulis, in lateribus, in urnis, patellis, vasculis, calicibus, atque in his praedium indicarunt, & tempus, adnotatis Consulibus: qui mos etiam sub Christianis Imperatoribus duravit, ut observat Fabrettus pag. 502. & 503. Praeterea aliquam notam in his sigillandis addidere, nimirum pineam nucem, coronam, ramusculum palmae, capita quadrupedum, aliaque his similia: interdum etiam vel

signa



FELIX



ſRVFIſ

IVCVND




ſigna Deorum Dearumque, vel eorum ſymbola. Id etiam factum ab opificibus lucernarum fictilium, itemque ab his qui vaſcula vitrea conficiebant. His adcenſenda ſunt vaſcula in ſepulcris recondita, in quibus ſcriptum nomen defuncti, non impreſſis aereo ſigillo litteris, ſed cultro vel graphio inciſis, quorum ſchemata adfert erudiriſſimus Antonius Maria Vulpius, Societatis Ieſu Presbyter, in Diſſert. in Epitaphium S. Severae Martyris Tab. XII. XIII. & XIV. & pag. 89. & ſequentibus.

Variae fuere apud veteres, forma tamen inter ſe fere ſimiles, amphorae, uti & varia fuere liquida, quae in his ponebantur. Fuere amphorae vinariae; quarum ſchema exhibui pag. LXXXII. in opere Donianarum Inſcriptionum, ex archetypo Muſei Victorii, in cuius collo notatum cellae & cellarii nomen: nec ſemper impreſſis litteris, verum etiam atramento ſcriptis. Plura de amphoris fictilibus vinariis Iulius Pollux Lib. VI. Cap. II. Lib. VII. Cap. XXIX. & XXXIII. In amphoris conditum ſervatumque oleum legimus. Amphorae oleariae iconiſmum adfert Gruterus pag. DCCCCXXIX. Conditum quoque in his acetum, mel & lac quoque repoſitum, ut ad Inſcriptiones Donianas obſervavi pag. LXXXII. & ſequentibus. Amphoras quoque in funeribus adhibitas legimus, vel ad libationes in parentalibus fundendas, vel pro condendis cineribus, vel victimarum ſanguine colligendo pro expiatione mortuorum. Suprema haec officia declarant vetuſta anaglypha, inter quae ſingulare illud eſt, in Dempſteriano Opere adlatum Tab. LXXXV. n. 1. in quo duo viri amphoram humi condunt. Alterum exemplum, quod ſubiicio n. V. doliolum vinarium refert, in quo vinum condebatur. Exſtat hoc doliolum cum altero adſimili in meo Muſeo. Haec effoſſa ſunt in agro Volaterrano, eaque mihi dono dedit vir humaniſſimus Hippolytus

Maria Cigna. Notatu dignum censeo, quod intrinsecus pice picata sunt, & quidem adeo crassa, ut corticis aliquantulum abstulerim, qui in ignem iniectus, odorem picis reddidit. Haec de amphoris, & doliis vinariis satis sunto.

Pisis, in Basilica e regione pulpiti, prope quoddam altare: ex Codice Brunelleschio.

176



176. Protulit hanc inscriptionem, primusque omnium illustravit, Franciscus Robortellus, ut monui in Parte II. huius operis pag. 20. num. 14. Lubet nunc ea, quae eruditus vir adnotavit, iterum adferre. *Sed ego Pisis in antiquissimo marmore animadverto de Equo publico fieri mentionem: quod ut facilius cognoscatur, apponendam inscriptionem ipsam putavi.* (Hic adlatam adfert inscriptionem, nonnullis tamen maculis adspersam). *Est vero & illud observandum* DECVRIS, *poni pro* Decuriis, *quae quinque erant Equitum; cum quatuor ab Augusto constitutis, unam adiecisset postea Caius Augustus; de qua re, praeter ceteros, breviter agit Plinius Libro* XXXIII. *Cap. II. his ver-*

verbis. „ *Propterque haec discrimina, Caius Princeps*
„ *Decuriam quintam adiecit, tantumque natum est fa-*
„ *stus, ut quae sub Divo Augusto impleri non potue-*
„ *rant Decuriae, non capiant eum ordinem, passim-*
„ *que ad ornamenta ea etiam servitute liberati tran-*
„ *siliant, quod antea nunquam erat factum; quoniam*
„ *in ferreo anulo Equites Iudicesque intelligebantur:*
„ *adeoque promiscuum id esse coepit, ut apud Claudium*
„ *Caesarem in censura eius unus ex Equitibus Flavius*
„ *Proculus* CCCC. *ex ea causa reos postularet. Ita,*
„ *dum separatur ordo ab ingenuis, communicatus est cum*
„ *servitiis. Idem Plinius eodem libro Cap.* I. *Nec*
„ *pridem id factum: Divo Augusto Decurias ordinante,*
„ *maior pars Iudicum in ferreo anulo fuit: iique non*
„ *Equites, sed Iudices vocabantur. Equitum nomen sub-*
„ *sistebat in turmis Equorum publicorum. Iudicum quoque*
„ *non nisi quatuor Decuriae fuere primo: vixque singula*
„ *milia in Decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad*
„ *hoc munus admissis. Aperte, opinor, perspicitur in his Plinii verbis, quae fuerint Decuriae hae Equitum. Praeterea de Equis publicis fit mentio. Adde quod apparet delectus Equitum habitus, ascitusque ex provincialibus; ut non mireris illum Picentem esse. De Saturio quodam, Domitiani Augusti Cubiculario, meminit Suetonius.* P. P. Patrem Patratum *puto per has notas significari, adeo ut Augur hic Saturius, Saturii P. P. dicatur filius.* FAB. *puto nomen esse Tribus, quod apponi eo ferme modo solebat, ut etiam in Philipp. Oratione* IX. Sulpitius Q. F. Lemonia. Rufus. *Tribus enim nomini postponi consueverat cognomen, sicuti etiam in hac.* FAB. SECVNDVS. Astyras *vero ego puto intelligi Equites, qui Hispanis, ab Asturia regione, uterentur equis, de quibus Plinius meminit Libro* VIII. *Cap.* XLII. *&* *ait* Asturcones, *vocatos: nisi fortasse malis, ab Astura oppido Latii vocatos* Asturas. *Vergilius, opinor, ad hos Equites alludens, nomen illud ita protulit cum ait:* Astur


equo fidens: *& si ille Latinus non erat. Requireret fortasse aliquis a me, ut postquam magna ex parte inscriptionem illam explicavi, declararem etiam, quales essent Coloniarum patroni, & unde haec fluxerit consuetudo. Verum quia in animo est in alio libello multa de Coloniis disserere; hic de ea re in praesentia silebo.* De Patronis Coloniarum non pauca, quae adnotari possunt, in medium protuli ex antiquitatis penu depromta, in Parte II. Inscript. ant. Etruriae Vrbium, a pag. 198. ad 210. deque eorum origine, iure, honore, favore, & hospitali tessera disserui.

P. P in prima inscriptionis linea haec singularia, ut opinor, potius explicanda sunt *Primopili*, seu *Primipili*, vel *Primopilaris*. Eadem habentur in lapidibus Donianis Class. V. n. 226. & Class. VI. num. 62. P. P. LEG. & n. 61. Oliverius Vir. Cl. in marmora Pisaurensia, pag. 146. num. LV. P P. LEG. IIII FLAV. interpretatur *Praepositus Legionis* IV. *Flaviae*. Haec quoque interpretatio, perspecta militarium officiorum ratione, quadrare potest. In meo Indice Doniano error, me oscitante, irrepsit: P P LEG. *Propraetor Legionis*, de quo me amice admonuit idem Oliverius, adeoque emendandum videtur: *Praepositus Legionis*, vel *Primipilus Legionis*.


Standum itaque arbitror fidei Baptistae Brunelleschii, qui hoc ipsum marmor, & alia fere trecenta in suo Codice scripsit, suaque tempestare, nimirum circa annum MDX. illud vidisse credendum est; nam & locatum describit in Pisana Basilica, quod silentio praeteriit Robortellus, qui non satis adcuratus in eo exscribendo fuisse perspicue adparet. Hodie hoc ipsum epitaphium desideratur, & credibile est periisse, Aedilium incuria; quae, quum poenis ullis auctoritate Principum coerceatur, multeturque, patria monumenta semper everti ac labefactari necesse est.

Pro-

Prope Pisas, in Abbatia S. Savini: ex Codice Brunelleschio: hodie desideratur.

177 

Pisis, in Campo Sancto: ex Codice Brunelleschio: hodie desideratur.

178 

In


In Agro Pisano, in Horto Villae Nobb. Lanfranchiorum, prope Plebem SS. Hippolyti, & Cassiani, ex antiquo Codice.

179

DIS MANIBVS
OCTAVIAE CN · L · FLORIL···
ARBITRATV
L · OCTAVI · P · F · AVITIANI

In Portu Labronis, vulgo Livorno: *in Aede S. Mariae, ex Codice Brunelleschio: hodie desideratur.*

180



Volaterris, ex Codice Bibliothecae Stroziae: hodie tamen non exstat.

181

D · M
L · POMPILIVS · APER · ET · APRILIS ET
LARGIA · GEMINIA · VOLATERRIAE
THALIAE SORORI CARISSIMAE · B · M

Ibi-

Ibidem, ex eodem Codice: exstat in Aedibus Nobb. Maffeiorum.

182

Q · AVLINNA
SEX · F · SAB ·

Ibidem.

183

C · CAECINA
C · L · BARO
V · A · XXXIIX

In Agro Volaterrano, in praediis DD. Franceschiniorum, anno MDCCXXXIX. *inventum est Hypogaeum Sepulcretum, Urnis marmoreis refertum: quarum nonnullae Etruscis litteris, nonnullae etiam Latinis vetustissimis inscriptae erant.*

184

L · CAECINA L F
TLABONI · VIX · ANN · XXX ·

185

A · CAECINA SELCIA
ANNOS XII

186

A·CAECINA CESAVLA
ANNORVM LXX

187

∴ CAECINA · O ∴ CAPSO
VIX · ANNO X

187. Adlatae inscriptiones brevissimae, quales vetustissimis temporibus concipi solebant, quum nondum superbos titulos admisissent sobrii eius aetatis homines, docent hoc sepulcrum fuisse Caecinae gentis, e qua magnae auctoritatis in Romana republica, & apud Caesares inclyti nominis viri prodiere. Haec ad hanc diem Volaterris perennat, servatque antiquae virtutis & dignitatis nomen in viro nobilissimo, mihique amicissimo D. Aulo Laurentio Caecina Iurisconsulto, patriae Historiae peritissimo.

Fae-

Faesulis, ex Gudio pag. XC. 9.

188
IMP · CAES · T · AELIO HADRIANO
ANTONINO · AVG · PIO
PONTIF · MAXIMO · TRIB · POTEST · $\overline{II}$
COS · $\overline{III}$ · IMP · $\overline{II}$ · P · P
SENATVS POPVLVSQVE
FAESVLANVS

188. Pedestrem statuam Antonino Pio dedicasse Faesulanos, indicare videtur haec inscriptio, quae in basi eiusdem statuae sculpta fuit.

Ex ruinis Faesularum, inscriptio ex Schedis Manutianis, quae exstant in Bibliotheca Vaticana; item ex Codice Bibliothecae Cardinalis de Carpineo.

M · ANNIVS · M · F · PAL · AVFVSTIANVS
PROCVRATOR COLL · DENDROPH ·
ROMANORVM · H · V · IN
$\overline{QQ}$ EPVLVM D · D · ET ✕ Ɖ DIVIS
PER GRAD ·

189. H. V. Hoc est: *Honore usus*. In Quinquennalium epulum pecuniam divisam per gradus marmor docet.

Fae-

Faesulis, ex Gudio pag. CXVI. 1.

190

T · AVERRIVS · Q · F · SCAPT
FLACCVS · EQ · ROM
FAESVLANVS · VI · VIR
AVGVSTALIS
PATRONVS MVNICIP
- - - - - - - - - - - - - - - - -

190. Legendum T. VERRIVS, non vero T. AVERRIVS, auctoritate Faesulani lapidis, qui sequitur. Huius lapidis occasione memorandi sunt Verrius Flaccus, iuris Pontificii peritissimus, quem laudat Varro, Sex. Pompeius, Macrobius & Gellius; itemque M. Verrius Flaccus insignis Grammaticus, quem Augustus praeceptorem dedit suis nepotibus, qui docuit in atrio Catilinae domus, quae pars Palatii tunc erat, & sestertia centena in annum recepit, teste Suetonio. Decessit aetatis exactae sub Tiberio. Statuam habuit Praeneste (alii legunt ad Vestae) in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo Fastos a se ordinatos, & marmoreo parieti incisos, publicarat. Volunt etiam (ut refert Glandorpius) illius esse tabularum fragmenta, egregio commentario a Carolo Sigonio illustrata. Scripsit inter alia *de verborum significatione*, unde collecta ea sunt, quae hodie Sex. Pompei Festi nomine leguntur. Eo forsitan tempore claruit hic T. Verrius Flaccus Eques Romanus, Sexvir Augustalis, & Patronus Municipii Faesulanorum.

Faesulis, ex Gudio pag. CLXXXVI. 2.

191

P · VERRIO · P · F · SCAP · SEPTIMIO
VETERANO · COH · VII · PRAET
7 · MVCRONI · RAVCI · VIX
ANN · LII · M · IX · D · XXI · HOR · III
MILIT · ANN · XIIX · M · VI · D · XVII
C · VERRIVS · P · F · SCAPT · MOLON
PATRI · OPTIMO · POSVIT
CVM · VERRIAE · SEPTIMIANAE · P · F
sic FESVLANAE · VIX · ANN
VIIII · M · X

191. SEPTIMIO. Pagus adhuc prope Faesulas, hinc adhuc nomen retinet, & adpellatur *Septimianus*; vulgo *Settignano*. Ex eo clari sculptores prodierunt. Incolae putant ab Imperatore Septimio Severo nomen accepisse. Sunt tamen qui negant: sed venia danda est his qui fabulas Historiae veritati miscentes, ut consecrent origines suas, urbium oppidorumque gloriam augustiorem faciunt.

Faesulis, ex Gudio pag. CLXV. 7.

192


DIS · MANIBVS
M · FERVIO · M · F · SCAP · GRA
TO · VETERANO · PRAEF ·
FABR · LEG · XXII · AVG ·
FAESVLANO
VIX · ANN · LXVIIII · M · VIII
DIEB · IIII · MILITAVIT · ANN
XX · M · X · D · XVI · MANIA
FERVIA · SOROR · FIDELISS
EX · TESTAMENTO · F · C

FAE-

192. FAESVLANO. Patriae M. Fervii nominandae proprius locus erat, aliorum lapidum exemplo, post cognomen GRATO, vel DOMO FAESVLIS, vel ut in hoc FAESVLANO. Mendum irrepsisse arbitror exscriptoris incuria, qui alio patriae nomen transtulit.

In lapide arenario alt. quatuor & amplius ped. Rom. lat. vero fere duorum, qui in aedibus DD. Campaniorum exstat in Etruriae oppido Marradio.

193



193. VIV. Hoc est *Viventibus*. Familiarum heic habes nomina, antiquariis ad hoc tempus ignota, nempe *Calesternae*, & *Trabenniae*.

Marmor inventum in Coemeterio antiquo S. Mustiolae prope Clusium; nunc exstat Perusiae in Aedibus D. Scipionis Staffae.

194

VLPIAE · FAVSTI
NAE · VIRGINI · NAE *sic*
OFYTAE · QVAE · VIX
AN · XIIII · MEN · II
DIEB · XXV · DE
POSITA · VI · IDVS
IVL · IN · PACE

In marmore nuper effosso in Agro Cortonensi, nunc exstat in Museo Academicorum Etruscorum.

195

C · TITIO · C L · CELERI
DOMO CORTONA
VI · VIR · AVGV
LIBERTI EIVS

195. Hoc est *C. Titio Caii Liberto Celeri*. Satis exploratum est libertos habuisse alios libertos, qui eis servirent. Sexcenta exempla iam edita sunt. Videndus Fabrettus Inscript. Cap. VI. pag. 474.

Mar-

Marmor inventum Romae an. MDCCXXXVI. *inter rudera S. Joannis Lateranensis, nunc exstat Cortonae apud Nobiles Venutos.*

196 ONESIMVS · ATILI · COLLEGIO
SILVANI CRATERAM
CVM SVA BASI · DONVM
DEDIT

196. Craterae, sive crateris schema, qui Silvano sacrari solebat, habes penes Senatorem Philippum Bonarrotium in Observationibus ad Vasa vitrea veterum Christianorum, quae in Coemeteriis antiquis reperta sunt pag. 31. qui in planitie superioris labri, ita inscriptus est: SILVANO SACRVM AEBVRIA ARTEMISIA D. D. Eiusdem crateris schema iterum produxit Clarissimus Muratorius in Classe I. novi Thesauri veterum Inscriptionum Tom. I. pag. LXVII. 3. Herculi quoque crateras dedicatas fuisse, testantur vetusta marmora penes Hesselium ex Gudianis pag. XXXII. 8. & pag. XXXIII. 3. Habes heic basis tantum iconismum, in cuius cavitate cratera in usum Collegii, cuius numen fuit Silvanus, dedicata est ab Onesimo Atilii, ut reor, liberto. Illud vide in Tabula superius adlata pag. 153. num. VI.

Cortonae, inter rudera, in muris civitatis: ex Gudio pag. CCLXXV. 4.

197 D · M · S
IVLIAE · GRAMMAE · VXORI
INCOMPARABILI
SEX · IVLIVS · PRIMVS


Mon-

Montis Politiani, in tabula abenea, litteris argenteis, quam olim possidebat Episcopus, hodie alibi adservatur: ex Gudio pag. XXI. 5.

198 MATRIS · MAGNAE · MATVTAE
CONSERVAT · MATVTIN · LVDION
TITVS · TETTIVS · T · F · ESQ · CALVINVS
PROCVRATOR · LVD · MAT · PRISC · ANN · X
SIGN · AEN · REST

Arretii, ex Gudio pag. XLVI. 2.


199



199. MAG. CORP. LVTORVM. Hoc est: *Magistri Corporis Lotorum.* Frequens in vetustis saxis O in V conversio, & e contrario. V. in O. Lotores,


res ſunt, qui veſtimenta lavabant & pannos. In Ara Aricina penes Fabrettum Inſcript. Cap. VI. pag. 435. num. 19. DIANAE. AVG. COLLEG. LOTOR. SACR.

Arretii, ex Gudio XXXIV. 7.

200


200. LEG. II ITALICAE. P. FEL. Hoc eſt: *Legionis ſecundae Italicae Piae Felicis.*

Arretii, in arca marmorea, in qua corpus, quod in ea poſitum erat, adhuc integrum eſt Regii; ex vetuſto Codice Bibliothecae C. V. Equitis Redii.

201


Ar-

Arretii, lapis erutus anno MDXLI. *egesta terra, dum arcis substructiones fierent: ex Codice Brunelleschio.*

202

P · AVILLIO · L · L ·
PHILEROTI
IN FR · P · XII
IN A · P · XII

Tiferni, ex Gudio pag. IV. 9.

203

IOVI · FVLGERATORI
OPTVMO · MAXSVMO
SACRVM
L · FVFICIVS · L · FIL ·
TERENTIANVS
TIFERN · IIII · VIR
QVINQVEN

Lapides, qui sequuntur, nuper effossi in praedio quodam in Etruria, prope Sarsinam.

204

D · M ·
L · VAFRII · L · F ·
CLEMENTIS
VET · COH · X PR
AELIA PHILETE
CONIVGI DESIDERATISS

205

D · M ·
Q · BAEBI
NEPOTIS
C · F · M · S ·
B · M

D · M

206

D · M ·
C · MARIO EVCARPO
FECIT CVPRESSEN
A SERVANDA COIVGI

207

T · V······ T · F
· · · · · · · ·
MILITI COHOR · VII
AVFIDIA RESTITVTA

205. M̅. S̅. Hoc est: *Municipis Sassinatis*. Haec singularia frequenter occurrunt in saxis Sassinatibus, quae publici iuris fecit & illustravit Philippus Antoninus, quibus haec quoque addenda sunt, quae mecum V. Cl. Dominicus Maria Mannius communicavit, ei vero D. Ioannes Michaël Meius, Medicinae Professor, anno MDCCXXXIV.

Orbitelli in Tuscia maritima, marmoris fragmentum, inventum anno MDCCXVI *dum novae substructiones fierent prope viam Aureliam; quod locatum est dextrorsum in fronte interioris parietis primae portae eiusdem civitatis.*

208

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO
AVG · PIO · FELICI ·
PARTH · MAX · BRIT · MAX · PONT · MAX ·
TRIB · POT · XVI · IMP · II · COS · III ·
P · P · RESPVBLICA COSANORVM
INFATICABILI ICENTIA EIVS

208. Hoc marmor longitudine Romanos pedes circiter tres, altitudine vero fere duos, aequat. Eximiam hanc inscriptionem, accurate exscriptam ex archetypo, Eques Ascanius Lippius Patricius Arretinus, antiquitatum studiosissimus, communicavit cum

Petro Andrea Andreinio, is vero mecum. Hinc discimus M. Aurelium Imperatorem Aureliam viam, Roma Lunam deducentem, lapidibus sterni iussisse, vel reficiundam curasse, anno V. C. DCCCCXVI. Christi vero CLXIII. In postremo versu supplendum videtur: INFATIGABILI BENEFICENTIA EIVS: vel etiam MVNIFICENTIA. Quae de Cosanorum urbe, inter primores Etruriae incluta, dici possunt, ea occupavit Cluverius Italiae antiquae Lib. II. Cap. II. Plurali numero, & unica S scribendum COSAE, non *Cossae*, ut apud Strabonem Lib. V. praeter hoc vetustum marmor, docet etiam Virgilii Medicei codex vetustissimus. Huius quoque auctoritate emendandum est marmor a Reinesio adlatum ex Donio Cl. III. num. XXXVII. in quo delenda est lineola supra Ā COSANORVM, perperam scripta. Ea ita se habet.

IMP · CAES · M · ANTONINO
GORDIANO · P · F ·
AVG · PONT · MAX ·
TRIB · POT · II
P · P ·
RESPVBLICA COSANO
RVM DEVOTA
NVMINI MAIES
TATIQVE EIVS
D · D ·

Dedicatum hoc marmor videtur anno ab. V. C. DCCCCXCII. Christi CCXXXIX.


Pro-

Prope Silvam, hodie dictam Baccana, *in Etruria, ex Gudio pag.* CC. 8.

209 DIS MANIBVS
C · LVCCEIO · C · L · PHYLLISTO
TI · CLAV · VILICO · PRAED
CAESANENS · VIX · ANN · LXI
M · LVCCEIVS · TI · AVG · LIBERTVS
SVCCESSVS · T · P · I

In marmorea basi apud Caesana in Etruria, prope Silvam dictam Baccana; *ex Gudio pag.* XVIII. 3.

210




Fragmenta duo in Etruria reperta; ex Gudio pag. CCCXIII. 22.


211 M · AGORIVS · M · F · L · N
THERMET

AGORIA · TORQVATA · C · F

Urna parva marmorea cineraria lat. Rom. ped. unc. XIV. *alt. unc.* X. *penes* **D. Bartholomaeum** *Arrigonium Florent. S.Th.D. ab eo inventa an.* MDCCXL. *in quadam domo rustici prope Ecclesiam S. Iacobi, vulgo a Pratolino,* VII. *ab urbe Florentia lapide. In utroque latere larvae capillis fastigiatis & calamistratis; sub iisdem aviculae, aliaeque duae encarpo pendenti insident.*

212 

In basi marmorea reperta in littore Tyrrheno; in cuius dextro latere cantharus cum lynce & thyrso: in sinistro autem duo delphini infra cistulam, e qua pendent uvae, & se proripit serpens, quae omnia Baccho sacra: ex Gudio pag. XLIV. 4.

213 

213. In tertio versu pro A. ANGVLNIVS, scriptum suspicor A. AGVLNIVS. Ex aliis saxis cognita est antiquariis Agulnia familia. De clientibus Caesarum & eorum procuratoribus, alibi. Tiberius Claudius quartum Consul fuit cum L. Vitellio Nepote, tertium Consule, anno V. C. DCCC. Christi XLVII.

Ta-

Tabula marmorea long. Rom. ped. III. *& unc.* I. *alta vero unc.* XIV. *circiter, eruta est prope Caecinam in Agro Lunensi, ditionis Magni Ducis Etruriae, olim adservata in Aedibus Moreschiorum; anno* MDCCXL. *Florentiam translata, nunc exstat in Museo Marchionum Nicoliniorum, quam pretio sibi comparavit Illustriss. D. Abbas Antonius Nicolinius e Marchionibus Pontis Sacci Camuliani, veterum elegantiarum studiosissimus.*

Dextra parte eiusdem Tabulae.

214

DIVAE · POPPEAE · AVGVSTAE
IMP · NERONIS · CAESARIS · AVGVST

L. TITINIVS. L. F. GAL. GLAVCVS. LVCRETIANVS. FLAM. ROMAE
ET. AVG. II. VIR. IV. P. C. SEVIR EQ R CVRIO PRAEF FABR COS TR MILIT
LEG. XXII. PRIMIG. PRAEF . . . . . . ATO INSVLARVM BALIARVM TR MIL
LEG. VI. VICTRICIS. EX VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE IMP NERONIS
QVOD BALIARIBVS VOVERAT ANNO A. LICINIO NERVA. COS II VIR
. . . . ET Q A....VRIO NEPOTE VBE VELLET PONERE/. VOTO COMPOS
. . . . MINERVAE FELICITATI ROMAE DIVO AVG.

Laeva parte eiusdem Tabulae.

IMP · NERONI · CLAVDIO · DIVI · CLAVDI · F · GERM
CAESARIS · N · TI · CAESARIS · AVG · PRO · N · DIVI · AVG · AB · N

CAESARI. AVG. GERM. P. M. TR. POT. XIII. IMP. XI. COS. IIII
L. TITINIVS. L. F. GAL. GLAVCVS. LVCRETIANVS. FLAM. ROMAE. ET. AVG. II. VIR
IIII.P.C.SEVIR.EQ R CVRIO.PRAEF.FABR.COS.TR.MIL LEG.XXII.PRIMIG.PRAEF.PRAELEGATO
INSVLAR. BALIARVM. TR. MIL. LEG. VI. VICTRICIS. EX. VÓTO. SVSCEPTO. PRO SALVTE IMP
NERONIS. QVOD. BALIARIBVS VOVERAT.ANNO. A. LICINIO NERVA.COS. II.VIRIS.L. SAVFETO
VEGETO. ET. Q ABVRIO. NEPOTE VBE.VELLET. PONERET.VOTO. COMPOS. POSIT.IOVI IVNO.:
MINERVAE FELICITATI ROMAE DIVO AVGVSTO

In-


214. Insignem hanc tabulam in lucem protuli in Parte II. huius Operis pag. 46. Post me iterum vulgavit Cl. Muratorius in novo Thesauro Inscriptionum antiquarum pag. CCXXVII. 4. sed quum in his editionibus irrepserint nonnulla menda, delenda nunc sunt, me fidem faciente, qui ipsam archetypam tabulam vidi, peraccurate exscripsi, & exscriptam diligentissime contuli. Manifeste scriptum est in secunda vel tertia linea L. TITINIVS L. F. GAL. GLAVCVS. LVCRETIANVS. non vero uti antea editum aliorum fide, L. LICINIVS. etc. Hic L. *Titinius* Consul dicitur; sed quum in Fastis non nominetur, suffectum credere cogimur. Positus fuit hic lapis, ut observat Cl. Muratorius, anno Christi LXVI. Praecedenti *Poppea Augusta*, Neronis uxor, e vivis sublata fuerat, atque inter Deos relata; hinc illi DIVAE POPPEAE nomen. Anno Christi LXV. A. LICINIVS NERVA Consul processerat, eodemque Consule votum a *L. Titinio Glauco Lucretiano*, patria *Pisis*, quam indicat Tribus Galeria, conceptum, completum postea fuit anno Christi LXVI. quo elogium hoc marmore scriptum videmus. Exceptis duabus prioribus lineis, in utraque tabulae facie litterae perparvae sunt. Non raro occurrit A scripta absque transversa linea in hunc modum Λ: interdum etiam E, sed rarius, ita E. Littera G constanter ita C sulpta est. In quincta linea manifeste in marmore scriptum, post spatium fere trium unciarum, PROLEGATO. INSVLARVM. In septima linea marmor vitio suo, vel temporis corrosum; sed exemplo alterius inscriptionis, quae sequitur, suppletur lacuena, nimirum L. SAVFETO VEGETO. ET. Q. ABVRIO. In postrema linea ita supplendum quod deest: POSIT IOVI. IVNONI. Quum heic nominentur Duumviri, non dubito, Pisanorum Coloniae intelligi oportere: & facile crediderim hanc tabulam marmoream votivam Pisis positam

sitam fuisse, Caecinam postea translatam; demum Florentiam. Quod deest in prima facie tabulae, suppletur ex alia sequenti; quae in ima parte sinistra inferiori in angulo aliquantulum fracta est.

In Columna marmorea, quae hodie exstat in Coemeterio S. Michaëlis ad Lucianum in Agro Florentino inter Malmantilem & Montem Lupum, prope Villam Nobb. de Antinoris.
215



Pisis, ex Cl. Muratorio pag. CC. 7.
216



215. Hanc inscriptionem primus omnium edidi in Parte II. huius operis pag. 460. num. 84. ex me protulit doctissimus Muratorius in suo Thesauro pag. DCCXXXIX. 5. Iterum profero, quia in linea secunda perperam editum fuerat FLAMINIVS · marmor enim habet FLAMININVS; de qua scriptura minime dubitandum monuit Cl. Dominicus Maria Mannius, qui vidit, & accurate exscripsit. T. Quintius Flamininus in Consulatu Conlegam habuit Q. Caecilium Metellum, cognomento Balearicum anno V. C. DCXXX. ante aeram Christianam CXXIII. Muratorio non videtur tantae antiquitatis haec, ut ipse ait, inscriptiuncula, quam suo loco in Fastis Consularibus editis in Tomo I. pag. CCLXXXVIII. praetermisit. In fine fractura ipsa indicat aliquid aliud scriptum fuisse; & forsitan columna haec miliaria censenda est.

In

In Vico Pisano.

217

DIS · MANIB·

L · CALPVRNI L · L · TIBYCI

QVINTRIMATV · DECES

217. Protuli hunc lapidem in Parte II. huius Operis pag. 31. n. 26. & nonnulla adnotavi. Obſervandus antiquus mos elidendi: QVINTRIMATV h. e. *qui in trimatu*. idem poſtea in familiari ſermone & in ſcriptis maiorum noſtrum, Linguae Etruſce auctorum, invaluit. Iterum adferre operae pretium viſum eſt; quia idem lapis apud Cl. Muratorium ita deformatus legitur: D. M L. CALPHVRNI L. F. IBERI QVI IN TVRMA T. VDRES .... quem vide Claſſ. XI. pag. DCCCI. num. 7.

In ruinis Lunenſibus: ex Schedis Cyriaci adfert Cl. Muratorius Claſſ. XVI. pag. MCXII 3.

218

A · OCTAVIO ERONI MAIORI

COLONI ET INQVILINI

218. Muratorius haec adnotat: *Nulla, ut puto, monumenta ſuperſunt, a quibus doceamur*, Lunam *Etruriae, Civitatem accepiſſe, Romanorum Coloniam. Ad id certo prodeundum nunc lapis iſte idoneus videtur*. Quamvis de hoc minime dubitem; mutilum tamen marmor eſſe arbitror in fine.

Ar-

Arretii, ex Cl. Muratorii Thesauro pag. MCI. 5.

219

GENIO · INVICTO
L · AVSIMVS · L · FILI
VS · PVB · PARRIAN
VS · C · C · MVNICIP
ARRETIN · ANN
X V
SVA PECVN · D · D

In Castro Novo Tusciae, ex eodem pag. XIII. *n.*

220

IVNIVS · EVTYCHVS
VNA · CVM · IVNIA
FRONTINA · VXORE
ET · TYCHE · CONTVBER
IOVI · ET · FORTVNAE
VOTVM · LIBENS · SOL
V I T
L · D · D · D ·

Arretii, in aedibus Leonardi Brandalii circa marginem urnae marmoreae, erutae anno MDCIV. *dum puteus foderetur. Ex Schedis Donianis.*

221

D · M · CASIRICI · PE · · · · · · · ·
RVFI MARINI QVI · V · A · III · M · X D · · ·
CASIRICIA MAVRA SOROR
FRATRI PIISSIMO ERGA
SE B · M · FEC ·

Prope Sestinum, apud Comitem Carpineum, ex Cl. Muratorio Cl. X. pag DCLXXVIII. 7.

222

D · M
P ATTI P F CLV
APRI AED · Q · III VIR
IVR · DIC · EQVO PVBL
VOLVSENA C FIL
AVGVRINA
CONIVG OPTIM

Lunae, in Hortis Montecatiniorum, ex Cl. Muratorio pag. MCCCXXI.

223

DIS MANIBVS
L · CATIO
VELOCI
IVNIA PHYLLIS
CONIVGI SVO B · M
FECIT

Arretii in Cathedrali Ecclesia.

224

P · HELVIO A · F · RVFI
NO
SEX VIR · AR · · · · ·

Florentiae, in columella trilatera in avita domo Nobb. Valoriorum, ex Schedis autographis Donianis.

225

M · COSSVTIVS · M · L · DOA · · · · ·
E VALERIVS · L · L · ANTIOC · · · ·
MARMORARI
F · P · D · D · L · M

Sigillum aereum olim apud Cl. Petrum Andream Andreinium; ex eius Schedis.

226

KAPITONIS
CAES · N Ꝏ
SER · DISP

226. *Kapitonis* (forte *Karitonis*) *Caesaris Nostri Servi Dispensatoris*.

Ar-

Arretii, in atrio domus ubi nunc Collegium Patrum Soc. Iesu, ex Schedis Cl. Muratorii Tom. III. *pag.* MCCXLIX. 4.

227

D · M
CLAVDIAE
GALLAE
OPTIMAE
MATRI
GALLVS ET
POSTVMA
FILI

Ibidem, apud Eq. Gamurrinium m. 1655.

228

V V
M · CINCIVS · M · F ·
P O M
CLEMENS SIBI

Tiferni, ex Cl. Muratorio pag. MDVIII.

229

VENIAE P · F · TIFERNIAE
SABINAE · FIL · TIF · PRVDEN
TIS · EX · TESTAMENTO PA
TRIS · ANNVNTIA · AMPIANA
NEPTIS · AMPI · DEXTE
HEREDIS · POSVIT
L · D · D D

Sestini, ex Muratorio V. C. Tom. III. *Thes. pag.* MCCLI. 5.

230

DIS MAN
C TRISIMPED
COGITATI ET
VMBRIAE MAN
SVETAE PARENTIB
TRISIMPEDI APER
IVSTVS PVDENS
PRVDENS FILI
PIISSIMI

Bertinori, in Ecclesia Cathedrali, ex Muratorio pag. MDC.

231

M · SCOEDIVS · M · L ·
RVFIO · MISETIA · C · L
ASTADIVM · MISETIA · C · L
PAMPHILA · SCOEDIA · M · L
PRISCA · SCOEDIA · L ·

Clusii, apud Nobb. de Deiis, ex Cl. Muratorio Tom. III. *Thes. pag.* MCCLV.

232

D · M
L · FAELERO
CAELERI
FILI PAT
B M

Clusii, apud eosdem, ex Cl. Muratorio Tom. III. *Thes. pag.* MCCLVII.

233

D · M
FONTEIAE
SEPTIMAE
MATRI
FONTEIVS
DIONYSIVS
FILIVS

232. CAELERI. Legendum proculdubio CELERI.

LA-

L A C O N I C I

S E V   S V D A T I O N I S

QVAE ADHVC VISITVR IN RVINA BALNEARVM
PISANAE VRBIS

E X P L I C A T I O N E S

FRANCISCI ROBORTELLI. FRANCISCI MARIAE EQ. CEFFINII.
IOANNIS RHODII. HIERONYMI BACCII. HENRICI NORIS.

I T E R V M   E D I T A E

C V R A N T E

ANTONIO FRANCISCO GORIO

Qui integrum antiquum aedificium tribus Tabulis nunc
primum adcurate delineatum dedit, & ſuas
quoque nonnullas Obſervationes adiecit.

ANT. FRANCISCI GORI
AD NOBILISSIMVM
SPECTATISSIMVMQVE VIRVM
D. CAROLVM FREDERICK
ANGLVM.

EPISTOLA.



Erpaucos esse hac aetate, qui studiosorum hominum curis faveant, ac manus adiutrices adferant, communis Italorum ingeniorum querela est. Indulsit mihi aliquando adrisitque amica fortuna, atque, ut veteres dixere, obsequens, ut in Te, VIR PRAESTANTISSIME, *quae ad mea studia augenda, illustrandaque maximo adiumento sunt, feliciter invenirem. Vix annus elapsus est, ex quo te Florentiae novi, cognitum ob eruditionis praestantiam, ob acre limatumque iudicium, ob eximiam in observandis prisci aevi monumentis difficillimisque Numismatis peritiam; ob egregiam comitatem, humanitatemque prorsus incredibilem ac singularem, statim dilexi. Investiganti mihi vetustissima Etruscorum monumenta, quae secundis curis meo Museo adiiciam, quum ob virium ac facultatum mearum tenuitatem per Italiam, atque Europam iter suscipere minime possem, id pro me Te facturum egregio animo, bonaque voluntate recepisti, iamque maxima ex parte implesti, missis illustrioribus ad me Nationis nostrae monumentis, quae Bononiae, Venetiis, & Mediolani invenisti, & ea quoque,*

que, quae tuis sumtibus redemta, in tuum Museum locupletissimum intulisti. Haec laus tua eximia est, bene de optimis artibus, bene de amicis tuis mereri. Testis Britannia tua, testis quoque Italia ac literatissimi homines, qui Te suspexere, tecumque amicitia coniungi voluerunt. Priscae eruditionis thesauros omnes, quos Romae diuturna mora conquisivisti, eaque omnia monumenta, quae ipse diligentissime delineasti, vel a pictore tuo summa cura delineanda curasti, quum Florentiae esses, lubentissimo animo mihi aperuisti. Illustranti mihi Numismata maximi, ut aiunt, moduli, quae in Cimeliarchio Magni Ducis Etruriae adservantur, quum archetypa omnia adcuratissime expendisses, observationes tuas, quae ad eorum opificium, raritatem, fidem, ac sinceritatem spectant, humanissime, ut adnotarem, declarasti. Huiusmodi quoque eximium in me tuae eruditionis & amoris pignus, silentio minime praetereundem censeo; sed mentionem grato animo faciam in Praefatione eiusdem Operis, quod in publicum quantocius prodibit. Accedit quod Te favente, amicitia iunctus sum viro genere, atque eruditione conspicuo D. Smart Lethieullier Anglo Nobilissimo; cui etiam quae, & quanta debeam ob singularem in me eius benevolentiam, egregiumque bonas litteras iuvandi studium, opportunior *alibi sese offeret id publice testandi locus. Est enim, ut scis, a Plinio in Praefatione Historiae suae praeclare dictum:* benignum & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris. *Vt igitur publice fatear, quantum, Te auspice, ac favente, ex tuo Italico Itinere, tuaque mecum necessitudine profecerim, offero Tibi munusculum, quod tuum est, Tibique maxime debetur, nimirum* LACONICVM, SIVE SVDATIONEM PISANAM: *quo monumento, (ad haec siquidem tempora perennat) nihil illustrius, nil tua cura dignius esse potest. Quum Florentiae versareris illud diligenter delineatum mihi ostendisti, animumque*

que

que meum, ut in publicum proferrem, vehementer accendisti. Ne quid huic operi deesset, multa notatu digna, quae ad Icnographiam interioremque prospectum pertinent, Pisis curarunt nobilissimi ornatissimique fratres Franciscus Canonicus Pisanus, & Thomas Albizzii. Nunc igitur alia facie prodit, quam editum sit, curis, & observationibus insigne celeberrimorum virorum Francisci Robortelli Vtinensis, qui illud primus omnium illustravit; deinde Francisci Mariae Ceffinii Patricii Florentini, ex Equestri Ordine S. Stephani, Ioannis Rhodii, demum Hieronymi Bacci, & Henrici Noris. Neque etiam illud notatu dignum praetermittam, Te Amphitheatrum Lucense summa fide in pluribus Tabulis delineandum curasse: Te, ut sperare lubet, auspice, in lucem edendum. Has omnes lucubrationes heic congerere volui, & nonnullas quoque observationes meas adiicere, quo auspicatius tuam, atque eruditorum hominum gratiam inirem. Quod enim Tu probaveris, qui eximio iudicio, exquisitaque eruditione polles, id etiam ab aliis probatum iri confido. Amicitiam nostram, quam Genius Antiquitatis mirifice conciliavit, hilari sereneque animo, accepta hac singularis meae in Te benevolentiae tessera, aeternum serva, meque adversus invidiam tuere, & vale.

FLORENTIAE.

Dabam e meo Museo VIII. Kalendas Septembres Anno CIƆ.IƆ.CC.XXXVIIII.

LA-

LACONICI
SEV SVDATIONIS
QVAE ADHVC VISITVR IN RVINA BALNEARVM PISANAE VRBIS
AD FRANCISCVM LOTINVM
VOLATERRANVM
FRANCISCI ROBORTELLI VTINENSIS
EXPLICATIO.

§ I.



Vanti veterum Romanorum monimenta, ſi quae adhuc noſtra aetate alicubi exſtant, ſint facienda, tum propter admirabile artificium, quod in iis exſtruendis perſpicitur, a ſummis architectis, & peritiſſimis fabris adhibitum; tum propter elegantiam ipſorum operum, & vetuſtatem, tute ipſe ſcis, Lotine praeſtantiſſime, aut nemo potius teipſo melius ſcit: habuit enim olim quaedam aetas ſub optimis principibus, & Imperatoribus architectos, fabros, artificeſque omnium rerum peritiſſimos. Quaedam rurſus alia aetas, culpa plane, ut ego exiſtimo, principum, qui ea negligebant, prorſus ineptos, ac rudes: veriſſimum enim illud eſt, honore ali artes, iacereque ea, ac dediſci, prorſuſque ignorari, quae negliguntur: atque maioribus ſane Illuſtriſs. ac Maximi Ducis Florent. II. COSMI, quem honoris cauſa nomino, viris Clariſs. ipſi Optimo Duci COSMO, tota non modo Etruria, ſed univerſa

etiam Italia, hac aetate, quicquid ubique venustatis est, ac nitoris in omni genere, non solum scientiarum & artium, quae litteris continentur, verum & harum, quae aut pigmentis, aut aere, aut marmore opera effingunt, posteris spectanda, acceptum referre debet; multos enim magno sumptu alit architectos, aerarios fabros, marmorarios, pictores, qui antiquitatem illam non modo apte imitantur, sed etiam adaequant, & superant. Exstabunt igitur passim in illius urbibus praeclara monimenta, quae annis permaneant innumerabilibus; & testatum relinquant apud posteros, quam multae eius generis artes, quae fere exstinctae videbantur, virtute illius rursus excitatae, & singulari liberalitate sustentatae, amplissimisque honoribus cohonestatae viguerint. Verum haec, aut agam ego alias diligentius, aut alii, qui me doctiores sunt, de illo copiosius praedicabunt: nunc te oro, & obsecro, mi Lotine, ut haec mea, quae ad te mitto, libenter legas; Illustrissimoque Duci nostro, si videbitur, legenda tradas. Is enim, quod a multis audivi, ita omnem totius antiquitatis rationem tenet, ut nihil sit aut aere, aut auro, aut argento, aut marmore effictum, aut litteris vetustioribus consignatum, quod ille non exacte calleat, dignoscat, ac diiudicet. Verum audi quaeso, quid me impulerit ad scribendum. In Pisana hac civitate antiquissima, si qua in Etruria est, monimentum exstat perantiquum ad portam Lucensem, ipso etiam aspectu sanctum prope, ac venerandum: atque utinam superioribus annis maior aliquanto eius habita fuisset ratio a publicis Aedilibus, & Curatoribus viarum; aut enim integrum esset, aut in eius ruina saltem appareret vestigium aliquod formae illius aedificii; ut quicquid ab antiquis de eo genere, summo ingenio scriptum fuit, facile perspici posset. Atque, ut propius rem ipsam attingam,

bal-

balneas exaedificabant veteres, quibus tum propter curationem corporum, tum propter oblectationem etiam (ut opinor) plurimum utebantur. Earum vero aedificandarum eadem ubique semper fuit ratio ab antiquis architectis, Romae primum, mox in aliis urbibus instituta; tanto quidem artificio excogitata, ut non difficile sit ad iudicandum, quantum ea aetas in omni genere artium excelluerit. Balnearum vero situs ac forma huiusmodi erat. Domicilia quatuor construebantur; quorum nomina haec erant: *Frigidarium*, *Tepidarium*, *Caldarium*, *Sudatio*, sive *Laconicum*; quae inserviebant viris, & totidem rursus, quae inserviebant feminis: ita inter se disposita, ut *Tepidarium virile* coniunctum esset *Tepidario muliebri*, & reliqua eodem modo cohaererent. De his quatuor domiciliis, praeter Vitruvium Lib. V. meminit etiam Lucianus in Hippia: eam descriptionem, qui conferet cum hac, videbit belle convenire. Nec non Galenus Lib. X. Methodi, declarat his verbis: Εἰσελθόντες μὲν γαρ̀ ὁμιλοῦσιν ἀέρι θερμῷ,
„ ἐπὶ δὲ ταῦτα εἰς ὕδωρ εἰσιᾶσι θερμὸν, εἶτ᾽ ἐξελθόντες εἰς ψυχρόν.
„ εἶτ᾽ ἀπομάττονται τὸν ἱδρῶτα: (1) & quae sequuntur. Paulo
„ post idem undecimo ait: Ἐκ μὲν δὴ πρώτου μέρους τῶν λουτρῶν
„ μεμνῆσθαι χρὴ ταῦθ᾽ ὑπάρξαντα ὅταν ἐν καιρῷ λούονται: (2) & quae
„ sequuntur: intelligit *Caldarium*: Μετίωμεν δήπου πρὸς τὸ
„ δεύτερον αὐτῶν μέρος ὅπερ ἐστὶν αὐτὸ τὸ κυριώτατον προσαγορευόμενον
„ λουτρόν: (3) intelligit *Tepidarium*: Μετέλθωμεν οὖν αὖθις ἐπὶ τὸ
„ τρίτον ἐν ᾧ ψύχεται μὲν ἀλύπως τὰ τεθερμασμένα: (4) intelligit *Fri-*

(1) Doctissimus Antonius M. Salvinius ita ad marginem libri: *Ingressi, fervido in aere versantur: mox aquam ingrediuntur calidam: deinde exeunt in frigidam. Postremo sudorem detergunt &c.* (2) *E prima balneorum parte meminisse oportet haec evenire, quando in tempore lavent &c. Transeamus iam ad secundam eorum partem, quae ipsum praecipue balneum dicitur:* (da' nostri Stufaiuoli si dice il Bagno) (3) *Deveniamus rursus ad tertiam; in qua quae calefacta sunt, sine noxa refrigerantur &c.* (4) *Omnia vero ad naturalem modum redeant, quemadmodum balnei pars quarta declarat; in quibus enim cun-*

,, *gidarium*: Πάντα δὲ εἰς τὴν κατὰ φύσιν ἐπανέρχεται συμμετρίαν, ,, ὡς δηλοῖ καὶ τὸ τέταρτον τοῦ λουτροῦ μέρος, ἐφ᾽ ὧν γὰρ ἐπράχθη καλῶς ,, πάντα, καὶ μετὰ τὴν τοῦ ψυχροῦ χρῆσιν ἱδροῦσιν ἔτι: (5) intelligit *Sudationem*, ſeu *Laconicum*, de quo nos in praeſentia loquimur. Idem Galenus non multo poſt, inquit: Εἰ μὲν οὖν αὐτάρκως εἴη θερμὸς ὁ πρῶτος οἶκος ἐν αὐτῷ γυμνωθεὶς ὁ κάμνων εἰς τὸν δεύτερον εἰσκομιζέσθω: (6) in his verbis *Caldarium* innuit, & *Tepidarium* ſicuti prius, & ordinem ipſorum demonſtrat: Ἔστω δὲ ὁ μέσος οἶκος οὐ μόνον τῇ θέσει, ἀλλὰ καὶ τῇ κράσει τοσούτω τοῦ προτέρου θερμότερος ὅσω τοῦ τρίτου ψυχρότερος. ἔστω δὲ ἀὴρ τῶν οἴκων ἁπάντων μήτε θερμὸς ἄκρως μήτε ψυχρὸς ἀλλ᾽ εὔκρατος ἱκανῶς καὶ μετρίως ὑγρός. ἔσται δὲ καὶ τοῦτο προεκχυθέντος ὕδατος εὐκράτους δαψιλῶς ἐκ τῆς δεξαμενῆς ὡς διαῤῥῆναι διὰ πάντων τῶν οἴκων. (7) Haec verba diligenter adnotanda, quia omnia ex iis facile intelligi poſſunt, quae ad balnearum antiquitatem ſpectant. Paulo poſt: Ἐκκομισθεὶς δ᾽ ἐντεῦθεν εἰς ὕδωρ ψυχρὸν ἀθρόως βαπτέσθω μηδ᾽ ἐπὶ βραχὺ χρονίζων ἐν αὐτῷ: (8) in prioribus verbis de *Tepidario*, & *Caldario* locutus eſt; in his poſtremis de *Frigidario*. Erant igitur (ut redeam ad rem) balnearum ſimul aedificata domicilia octo, ſicuti etiam nunc Piſis ex amplitudine loci, ubi parietinae ſunt, & rudera, cognoſci poteſt. Exſtat vero hoc tempore ibidem inter parietinas integrum ferme Laconicum, ſeu Sudatio a veteribus dicta; de qua praeter Vitruvium Lib. V. meminit etiam Cornelius Celſus Lib. II. Cap. XVI. his verbis. ,, Sudor etiam duobus modis elicitur, aut ,, ſicco calore, aut balneo. Siccus calor eſt, & ha- ,, renae calidae, & laconici, & clibani, & quorun- ,, dam

cta bene peracta ſunt, & poſt frigidae uſum, ſudant adhuc. (5) *Si igitur ſatis calidus ſit primus oecos, in eo nudatus aeger in ſecundum inferatur &c.* (6) *Eſto autem medius oecos non ſolum poſitu, verum etiam temperatura tantum priore frigidior, quantum calidior tertio* (*lego:* ψυχρότερος, & τοῦ τρίτου θερμότερος) (7) *Eſto omnium oecorum aër, neque calidus acriter, neque rarior & frigidus, ſed modice humidus: id vero continget, ſi aqua antea ubertim effundatur bene temperata e ciſterna* (*l.* ὡς διαῤῥυῆναι) *ita ut perfluat per omnes oecos &c.* (8) *Elatus hinc, in frigidam ſtatim immergatur; ne exiguo quidem temporis ſpatio in ea commorans.*

„ dam naturalium sudationes, ubi e terra profusus „ calidus vapor aedificio includitur, sicut super Ba- „ ias in myrtetis habemus. In Laconico hoc Pisano, quoniam ante congesta terra, & ruderibus erat oppletum, praeter hemisphaerium superius, nulla pars conspiciebatur; nunc vero postquam Aedilium opera effodi locus coepit, omnes ipsius partes visuntur, & pavimentum etiam ipsum, & pilae, quae pavimentum sustinent, & testudines, quae sub pavimento sunt, & alvei quidam, qui inter parietem sunt, & pluteum, & concameratae quaedam structurae, quorum omnium singillatim explicare rationem conabor, ita, ut si cum antiquorum descriptione, ac Vitruvii praesertim (etsi breviter de ea re scripsit) voluerit aliquis conferre, plane videat omnia belle convenire. Ac primum eorum explodenda sententia, qui quod nunc sub pavimento in testudinibus aqua visitur, aquaeductum fuisse putant, per quem ex balneis calidis, quae ad tertium lapidem ab urbe Pisana absunt, sub Iuliani montis radicibus, positae aquae, in balneas urbanas influerent; nam satis constat, cum esset Sudatio, non opus fuisse aqua: deinde quis credat sub testudines pavimenti aquas defluxisse; cui enim usui fuissent? aut quis veterum de tali ductu, & fluxu aquarum est locutus? Ea igitur, aqua pluvia est, ibi stagnans, quod eminentior propter ruinas erat ille locus factus; sicuti nunc satis patet intuentibus pavimentum. Verum de hac re satis: nunc reliqua persequor. Laconici usus hic erat, ut homines in loco eo, vaporibus flammae a testudinibus concameratis per alveolos egredientibus excalfacto, desudarent; & mox aut in Tepidario, aut in Frigidario, aut in Caldario lavarentur. Eius vero aedificandi ratio haec fuit; ut rotundum esset, seu potius octogonum: id vero necesse erat, cum hemisphaerium esset superstruendum: altitudo tanta parietum

usque

usque ad hemisphaerii inclinationem, quanta latitudo erat in inferioribus pavimenti partibus; id quod aperte visitur in hoc Pisano Laconico. Hemisphaerium in medio lumen ad circinum factum habebat, ad quod vapores, qui ascenderant per alveolos, communi concursu ferrentur, & exirent. Obstruebatur vero lumen illud in hemisphaerio magno quodam aereo instrumento, quod clypeum vocabant: erat enim, clypei militaris instar, rotundum; nam eiusmodi fuisse clypeum satis declarat Polybius in Lib. de castrametatione Romanorum, etsi Lascares parum apte vertit: neque quale esset scutum, qualis clypeus apud Romanos scisse videtur. Clypeum igitur catena ferrea aut reducebant, aut demittebant, ut pro hominum arbitrio, qui lavabantur, caloris temperatura fieret. Verba Vitruvii haec sunt: „ Mediumque lumen in hemisphaerio relinquatur, „ ex eoque clypeum aeneum catenis pendeat, per „ cuius reductiones, & demissiones perficietur sudationis temperatura. Visuntur vero Pisis in Laconico etiam minora quaedam, & crebra lumina circa hemisphaerii lumen medium rotundum; de quibus etsi Vitruvius nullam facit mentionem, facile tamen credi potest, ea facta, ut facilius exirent vapores e Sudatione: atque sane id postulabat magnitudo caloris, cum praesertim hemisphaerium clypeo erat obstructum. Ea vero lumina crebra, cum sesquipedalia fere sint, contecta crediderim operculo aereo, ita tamen, ut ab una parte, quae ad hemisphaerii summitatem vergit, exitus pateret vaporibus. Hemisphaerii curvatura ima innititur firmo parieti, ubi altitudo Sudationis tanta est, quanta latitudo. Concamerationum solum sesquipedalibus sternebatur tegulis, quae in Pisana hac Sudatione non obscure cernuntur. Erant super eo solo exstructae pilae laterculis bessalibus, aut aliquanto etiam minori-

ribus; dispositae aequalibus inter se intervallis, adeo latis, ut supra binas pilas collocarentur singulae tegulae bipedales. Pilas vero vocamus fulcra quaedam, seu columnas parvas, quae eo, quo diximus, modo collocatae, & exstructae pavimentum sustinebant. Altitudo earum pilarum erat duorum pedum; nam testudinum concamerationem ampliorem esse non oportebat; ut facilius excalfieri posset Sudatio. De his pilis intellexit Statius, cum ait:

Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas; ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem volvunt Hypocausta vaporem:

dicant alii quicquid velint; nam etiam Rhodiginus Lib. XVI. Cap. XLVII. locum hunc aliter interpretatur; meam vero sententiam verissimam esse demonstrabunt multo magis ea, quae postea a me dicentur. Pavimentum supra testudinem superstruebatur innixum pilis, & tegulis bipedalibus; atque eius conficiendi ratio haec erat. Trullissabatur testa calci mista; sicuti & hac nostra aetate fit in aedium pavimentis. Eam vero compactam esse oportebat ita, ut in tantam crassitiem excresceret pavimentum, quanta esset opus; tectorio, seu albario opere, ex marmore ita exsciso, ut eius altitudo tenuis esset unius ferme digiti; quales laminae plumbeae, aut ferreae visuntur; si enim maior tectorii illius operis altitudo fuisset, pervadere ad summum vis caloris non potuisset. Iam vero, cum tanta esset pavimenti altitudo, & tectorii operis, mira quadam proportione tantus conficiebat calor, ut superstantium pedes oblectaret, & cum esset marmore ad unguem exciso politum, facile stratos etiam, ac iacentes homines recipiebat. Haec omnia apertissime visuntur; & conveniunt cum antiquorum descriptionibus Pavi-

vi-

vimentum inclinatum esse oportet ad hypocausin mediam; sicuti etiam in Sudatione Pisana nunc licet videre. Hypocausin voco locum, ubi subter testudines pavimenti ignis subiiciebatur, a quo digrediens flamma sese per totam suspensionem sursum elevati pavimenti diffundebat, & evagabatur, donec ad alveolos pervenisset. Alveoli inter parietem Sudationis, & pluteum collocabantur ex testa facti; pluteum voco alterum veluti quendam parietem e regione alterius aedificatum, non admodum latum, sed simplici tantum transversarum tegularum positione exstructum: crebri autem erant alveoli, ut a multis partibus vapor se posset tollere. Longitudo alveolorum adaequabat altitudinem pavimenti; neque enim pertingebant solum testudinis; nam recipere non potuissent vapores. Alveolos hos, tubulos vocat Proculus titulo de Servit. Vrb. praed. ubi ait. „ Quidam Iberius nomine, qui habebat post hor„ rea mea insulam, balneariam fecit secundum pa„ rietem communem; non licet autem tubulos ha„ bere admotos ad parietem communem, sicuti ne„ que parietem quoque suum super parietem com„ munem: de tubulis eo amplius hoc iuris est, quia „ per eos flamma torretur paries. Huius loci me monuit Ioannes Ronchegallus Iurisconsultus clarissimus, dixitque, cum ante difficilis haberetur, mire illustrari posse inspectione eorum alveolorum, qui in Laconico Pisano sunt; atque ideo inserendum putavi. Unum me angit, quod video scriptum apud Vitruvium, inter parietem, & pluteum esse latitudinem sex pedum; cum exigua latitudo cernatur, ne unius quidem pedis. Crediderim igitur, aut Vitruvium respexisse ad multo maiores Sudationes, quales Romae erant propter hominum frequentiam; aut dictionem eo in loco esse corruptam: diligentius igitur res tota consideranda. Super alveolorum situ paries

ries

ries Sudationis cavatus, concameratusque fiebat, eo ferme modo, quo solet fieri, cum simulacrum aliquod marmoreum, aut ligneum alicubi statuendum est. Suprema autem superficies eius concamerationis sursum versus vergebat ad hemisphaerium: atque id sane optima ratione videtur factum; nam vapor sese attollens in eam cameratam superficiem illidebatur, & repercussus ab ea ad medium hemisphaerii provolvebatur. Patet spectantibus res tota; nam adhuc fumosa fuligine camerae illae nigrae visuntur. Praefurnii cuiusdam os satis amplum cernitur in Sudatione hac Pisana, quod omnino sub pavimento erat: atque per illud a balneatoribus (opinor) ignis subiiciebatur, cumque Caldarium, aut Tepidarium esset coniunctum Sudationi, ab altera quoque parte usum Caldario, aut Tepidario praebebat; de quibus, quoniam nullum ipsorum exstat vestigium, non ausim quippiam pro certo affirmare. Haec ego diligenter in Sudatione Pisana intuitus sum, quamvis a Vitruvio omnia non exprimantur. Vir enim ille, quod suae aetatis hominibus nota esse putabat, multa praetermisit, neque posteritatem respexit, dum ea scriberet; argutius enim & subtilius fuissent singula describenda. Te autem oratum velim, mi LOTINE, ut pro tua authoritate, qua maxima es, ob incredibilem virtutem tuam, & sapientiam apud Illustr. Florent. Ducem, ei suadeas, ut Aedilibus Pisanae urbis mandet, curent loca ea omnia quamprimum effodienda, & expurganda. Sic enim, si ad pavimentum (quod erit facile factu) deventum fuerit, omnia fortasse perspici poterunt, & cum antiquorum descriptione conferri. Non contemnenda haec est antiquitas monimenti huius in hac praesertim vetustissima, & nobilissima urbe, in qua Optimus Dux omnium liberalium artium studia, pro sua singulari clementia, & liberalitate constituit, sedem-

que esse voluit Musarum, hoc est, ut ego interpretor, omnium earum disciplinarum, quae litteris continentur. Spectabunt studiosi antiquitatis, qui plurimi sunt, Sudationem hanc, seu Laconicum Pisanum, magna cum animi voluptate, & miris modis ad totum hoc studiorum genus excitabuntur. Effice igitur, ut Optimus Dux velit, iubeatque Laconicum hoc, uti integrum nunc est, diligenter asservari, & occludi, ne in illud passim ab omnibus eatur, rursusque superstrui tectorium, quod nuper inde ablatum fuit: &, si libuerit etiam, clypeum ad medium lumen apponi, & omnia, quae videbuntur diruta, resarciri. Hoc si ab Optimo Duce (uti plane confido) impetraris, non solum me, sed etiam omnes antiquitatis studiosos in perpetuum beneficio tuo tibi devinxeris. Confido autem, quoniam iamdiu perspexi, nihil maiore studio illum curare, quam eorum commoda & voluptatem, qui sese litteris totos dediderunt. Vale. In Pisana Academia. Idibus Ianuarii MDXLVIII.

§ . II. §

Hanc ipsam Laconici seu Sudationis, quae adhuc visitur in ruinis Balnearum Pisanae Vrbis, explicationem, quam edidit Franciscus Robortellus, postmodum in lucem iterum protulit Ioannes Rhodius vir doctissimus, subiecitque num. LX. post Emendationes & Notas ad Scribonium Largum, ibique pag. 114. haec subiungit.

„ Optatissimum sane votum. Sed non respondit
„ exitus temporum iniuria: qua non ruinas modo
„ edidit quotidie, sed in privatos abiectosque usus
„ tandem cessit aedificium. Quod olim inspectum
„ a me levius, ne curiosorum memoriam effugeret,
„ ele-

„ elegantiſſimi Viri Franciſci Mariae Ceffini, Patri-
„ cii Florentini humanitate factum, quod in poſte-
„ rum eruditis heic pateant, quae Robortellus for-
„ taſſe negotioſior praeterierat.

§. III.

IOANNI RHODIO
VIRO CLARISSIMO
FRANCISCVS MARIA CEFFINVS S.



„ INter vetuſtiora civitatis huius praecla-
„ riſſima monumenta inconcuſſum ad-
„ huc & nobile veſtigium antiquitatis
„ conſpicitur apud Lucenſem Portam
„ ex ſuperſtitibus Balneorum fragmentis
„ SVDATORIVM omni ex parte incolume, licet incuria
„ neglectum publicorum Aedilium, ac paene notum
„ nulli indigenarum; vel quia ſordeſcant domi, quae
„ foris gnaviter inquiruntur; vel quia, pauci quum
„ ſint Piſani ſtudiis hiſce navantes operam, pauci
„ etiam ſunt, qui venerandum iſtum ac fere ſacro-
„ ſanctum locum animadvertant. Ampliſſimum ibi
„ Thermarum ſpatium occupant parietinae ac rude-
„ ra, infelices ruinarum reliquiae, quae ſpinis &
„ urtica penitus obrutae obliterarent omnino quam-
„ cumque priſcam memoriam, niſi ſolum hortenſi-
„ bus areis deſtinatum palam faceret aliquando ab-
„ ſconditos vetuſtatis theſauros, & excitaret fabri-
„ cam inter congeſtos lapides, deſiectaque funda-
„ menta iacentem, in quam quum inſcii cultores
„ offendunt, aut bipalium laedunt, aut ligonem ob-
„ tundunt. Numquam ibi balnea credidiſſem, niſi

„ curiosa quadam indagatione, quum Pisas tiro me
„ contuli, rogassem huius Studii Professores, ut stru-
„ cturam illam docerent, quam ingenti ruina fuisse
„ quondam coniectabam insignem. Mirabar lateri-
„ tiam molem, gliscente bellorum rabie, & irato tem-
„ poris morsu, in duas partes discissam, efformare
„ duas veluti turres, ubi cellarum apparerent vesti-
„ gia, & fornicum arcuatae testudines, & ductiles
„ tubulorum canales conspicerentur. Earum altitu-
„ do iam decurtata ad XXX. fere ulnas accedit: cras-
„ situdo quaquaversum decempedalis est; sed an-
„ gulos, aut versuras crediderim, vel aliquam bal-
„ nei partem, qua camerae iungerentur, quum ibi
„ nullus sit murus, aut alterius formae dignoscatur
„ figura. Exsterior superficies ex lateribus constat:
„ interior materies ex duro tenacissimoque caemen-
„ to. Supremum verticem caprificus oleaeque silve-
„ stris frutex obumbrant; inferiorem partem herbosi
„ virentesque cespites circumcingunt: ad dextram
„ Lucensem portam ingresso muri humiliores visun-
„ tur iucundi specie, sed deformati fracturis: quo-
„ rum fundamentis nititur casa, & salgamarii cu-
„ iusdam officina, ut magnificam Laconici substru-
„ ctionem imbricato tecto novisque parietibus indu-
„ ctis undequaque celatam tegat. Per angustum ta-
„ men ostiolum ad augustum patet aditus aedificium:
„ quod tam priscam redolet maiestatem, ut, si ni-
„ hil ei detractum aut additum foret, horreret qui-
„ cumque ad aspectum loci tam affabre fabrefacti
„ perculsus. Minuit aliquid formae furnus ibi olim
„ a pistore constructus, admotosque impedit gres-
„ sus lignorum & focularium fascium coacervata con-
„ geries. Mirifice tamen oculos recreat testudo, nul-
„ lo visum effringente impedimento, caligine ac fu-
„ mo aliquantisper ad fenestras & hemisphaerium
„ denigrata. Heic ego saepius cum auditoribus meis

„ ad

„ ad animi fatigati levamen ſingillatim ſum con-
„ templatus unamquamque loci particulam. Heic
„ Rinaldinus noſter, egregius Phyſices Matheſiſque
„ Profeſſor, remotis per amicas manus impeditioni-
„ bus, ut potuit, formam ad vivum delineavit.
„ Delineaverat etiam meis precibus Navarrettus
„ Eques, & equeſtribus ornamentis & pictura prae-
„ cipue inſignis. Sed antequam poſtremam appoſu-
„ iſſet tabulae manum, mors admota falce fatali &
„ lineas & vitam delevit. Heic videre eſt cuicum-
„ que, ut per alligatam graphidem cernes, non
„ rotunda, ſed octogona forma Sudationem conſtru-
„ ctam, tum ad pulcritudinem augendam, cum
„ etiam ad praebendam ſudandi commoditatem. Vi-
„ debis eam in octo partes diſtingui, totidemque
„ feneſtras in hemiſphaerii pandere curvatura, ut
„ lucidiori fulgore conveſtiretur: quadratas animad-
„ vertes, & eo ordine concinnatas, ut ſingulae ſin-
„ gulis reſpondeant, & orbiculare foramen in te-
„ ſtudinis ſummitate cavatum apta circumvallatione
„ coronent. Vnaquaeque pars concavo muro ac ſu-
„ perficie uſque ad inclinationem concamerata adin-
„ ſtar ſtatuariae thecae ſeſſionem ſtruit mirificam,
„ qua quum balneatores inſiſterent, vapor rotundi-
„ tate illiſus ac repercuſſus ſudorem facilius e ſu-
„ biectis corporibus eliceret. Pavimentum inclina-
„ tur ad hypocauſin; ubi ſubter teſtudineas caveas
„ ignis per propnigaeum, quod non longe abeſt,
„ paulatim ingreſſus per ſuſpenſionem ſurſum ſubli-
„ mem ubique intus ad tubulos vagaretur. Teſta-
„ cei enim crebrique, ſeu tubulos, ſeu canaliculos
„ voces, exſteriori muro Sudationiſque pariete con-
„ cluſi, uſque ad ſolum teſtudinis exſtenduntur, ut
„ calor facilius per eos loculamentis infunderetur.
„ Solum ipſum pedum iactatione percuſſum gemi-
„ tum edit non iniucundum, & concamerationem,

„ quam

„ quam fodiendo inveni, per semetipsum ostendit.
„ Sustinetur testudine, nititur pilis, & bipedalibus
„ tegulis, & iisdem sesquipedalibus aliquibus in lo-
„ cis consternebatur, crassitie non admodum pin-
„ gui calce trullissatum, & testa, ut admota intus
„ flamma levior superstantium titillaret pedes, &
„ iacentium membra moderato calore foveret. Eius
„ latitudo eadem est cum altitudine Sudatorii, si eam
„ usque ad hemisphaerii curvaturam firmo parieti ni-
„ xam dimetiaris; non autem ad summitatem, ul-
„ narum scilicet undecim, sive, si malis, palmis
„ Romanis metari XXXVI.

„ Haec omnia ad exquisitam trutinam si perpen-
„ dantur, Vitruvii, Celsi, Galeni, aliisque scri-
„ ptorum locis respondent, nec ab erudito Balneo-
„ rum Tractatu Baccii separantur, neque ab huius
„ Laconici descriptione a Robortello confecta di-
„ screpant. Duae tamen animum ancipiti dubieta-
„ te difficultates discruciant. Vnum, quod pilas
„ ab eo accurate delineatas invenire mihi non licuit,
„ diruto pavimento; forsan insciorum manibus dissi-
„ patas, ruderibusque sepultas. Alterum, quod tot
„ luminum usum investigare adhuc sedula indaga-
„ tione non valui; quum foramen illud in circinum
„ excavatum satis amplum ad illustrandam ex he-
„ misphaerio cellam videatur. Nec praeter illud,
„ ex quo aereus clypeus apte suspensus catenis pro
„ cuiusque arbitrio demissione ac reductione perfi-
„ ciebat sudationis temperaturam, ullum aliud apud
„ scriptores invenio. Robortellus sesquipedales ha-
„ sce fenestras ita contectas aereo putavit operculo,
„ ut ex superna parte ad testudinis culmen vergen-
„ te exitus pateret vaporibus, ne ignei vis caloris
„ sudantes opprimeret aut suffocaret. Sed eius sen-
„ tentiam meis calculis approbare vix possum, quum
„ potius ad ornatum, quam ad necessitatem factas

„ in-

„ indicent ſatis ſcriptores, qui eas omnino praetermittunt. Poteſt tamen facile fieri, ut obicibus vitreis, aut lucidis lapidibus, quos ſpeculares appellat Plinius, conveſtitae vaporem retinerent vagantem, & lucem luculentiorem admitterent, vapore nimio per amplius foramen emiſſo. Ego tamen id lubentiſſime doctiorum coniecturis, & tuis remitto, ſola loci deſcriptione contentus.

„ Habes igitur V. Cl. poſt longum temporis intervallum exoptatam diu Piſanae Sudationis imaginem, ſin minus ad vivum expreſſam, certe iis coloribus adumbratam, qui eam in tenebris latitantem non ſinent. Verum Te, RHODI amantiſſime, precor atque obteſtor, Scribonium Largum quamprimum expurgatum, auctum, illuſtratum tuis notis, ſpicilegiis, lucubrationibus reddas; quibus Romanus Archiater tandem integer, incorruptus Medicinae Latinaeque linguae ſtudioſis reſtituatur. Vale diu. Datum Piſis, Nonis Aprilis. Anno CIↃ IↃCLII. ſtylo Piſano.

§. IV.

IOANNIS RHODII SELECTA DE ANTIQVIS BALNEIS

Ex Emendationibus & Notis eiusdem ad Scribonium Largum num. LX. *pag.* 103.



Ornace balneariorum,] Huius vice fungitur apud medicos noſtra aetate chymicorum ignis, quem *reverberii* appellant; maiori etiam compendio fornax calcaria. Enim vero calore opus eſt vehementi, cuiuſmodi balneariorum: quae loca olim balneis deſtinata. Eorum hunc ſitum Columella rei ruſticae Lib. I. Cap. VI. praecepit: *Balnearia occidenti aeſtivo advertantur, ut ſint poſt meridiem & uſque in veſperum inluſtria*. Et Vitruvius Architect. Lib. VI. Cap. VII. *Balnearia occidentem hibernum ſpectent*. Itemque ad uberiorem fortaſſis calorem, Cap. IX. *Balnearia coniuncta ſint culinae*. Uterque bene; lavacra enim apud antiquos veſperi celebrata, ubi quovis anni tempore ſpecularibus labentem diem excipere opus erat. Quod potiſſimum de privatis balneis intelligo; cuiuſmodi Tullius ad Atticum Lib. XIII. Ep. XXIX. in villa etiam balnearia memorat hiberna: quae cum aeſtivis forſan Plinius eleganter Lib. II. Epiſt. XVII. & Lib. V. Epiſt. VI. clarius ob oculos ponit, meritoria collaudans e publicis; quae non oppidorum modo, liberali Imperatorum indulgentia populo exhibita; etiamſi ne haec quidem ſemper fuere ſine mercede, aerario nempe Caeſarum prodigalitate, bellique cladibus

bus exhausto, & crescentibus immane tot dilinimentorum sumtibus; verum etiam civium, qui ea locabant: qualia Martialis memorat Lib. I. Ep. LX.

Lupi, tenebrosaque balnea Grylli.

Quibus & gratuita ab Agrippa primum instituta hospitibus accessisse planum faciunt lapidum tituli: quae etiam privata lautioribus interdum fuerunt. Sed quoniam populus non ad solam valetudinem, verum ad delicias frequens in publicis lavabatur, variique non optimae interdum notae sese intermiscebant, Catullus lepide Carm. XXXIV. *O furum optime balneariorum.* Vestium nempe insidiatorem versutissimum notat; quem Iul. Paulus receptar. Sententiar. Lib. V. Tit. III. *furem* sive *raptorem balnearum:* Tertullianus in Apologetico *lavantium praedonem;* & Lib. de Fuga in persecutione Cap. XIII. *furem balnearum* nominat: cui sceleri Aristoteles mortalem sancitam refert legem Probl. XXIX. Sect. XIV. Mitiori tamen iudicio Vlpianus in L. I. D. De fur. baln. eos extra ordinem audiendos pronunciat. Nec facinus praeteriit Epictetus, integerrimae vitae philosophus, Enchiridii Cap. IX. Singulas quidem balneariorum partes heic persequi non est mei instituti, quanquam & in tanta priscorum rituum obscuritate foret operae. Balneorum nihilominus formam Ioannis Antonii Sicci Cremensis diligentia vulgatam inspicere iuvabit: quandoquidem Frigidarii, Tepidarii, & Caldarii veriorem ostendit speciem, quam e Vitruvii Lib. V. Cap. X. Gulielmus Choul, & Andreas Baccius. At vero perspicaciorem Seneca videtur Caldarii modum docere Natural. Quaest. Lib III. Cap. XXIV. *Facere solemus dracones & miliaria, & complures formas, in quibus aere tenui fistulas struimus per declive circumdatas; ut saepe eumdem ignem*

ambiens aqua per tantum fluat ſpatii, quantum efficiendo calori ſat eſt. Vbi miliarium vas altum & anguſtum colliges e Palladio de re ruſt. Lib. V. Tit. IIX. quod Lib. I. Tit. XI. plane deſcripſit. Nec fortaſſis praeter ſententiam apud Senecam legeris *circumductas*. Fornacis autem ſtructura, non uſque adhuc manifeſta, paulo curioſius inveſtiganda. Imam ea partem aedificii ſub pavimento hypocauſti occupabat, quemadmodum & hodie in balneis populorum Orientalium. Apud Romanos vero tubulis fictilibus undique parieti ſurſum inſertis, per omnes thermarum cellas vapor ferebatur: unde calor pro ignis modo varie temperatus. Nec aliter apud Stoicorum principem in Naturalibus balnearia ſine igne caleſiunt. Addit enim: *Spiritus in illa fervens loco aeſtuanti infunditur. Hic per tubos lapſus, non aliter quam igne ſubdito, parietes & vaſa balnei calefacit.* Meliori conſilio ſatiſque ingenioſe nuper Dominicus Panarolus Medicus Romanus, Deſpotici Calathini nomine, tubulorum orificia ſuadet obturari tegula, ut vaporibus fumoſis exhalantibus per infundibulum peculiare, ſolo ſpiritu incaleſcant; cui pariter ſpiramentis magis minuſve occluſis ex arbitrio modum ponere licebit. Eundem ſuſpicatur Laurentius Ioubertus De Gymnaſiis Cap. II. fuiſſe clypei aenei uſum apud Vitruvium Architect. Lib. V. Cap. X. quem pauci hactenus aſſequuti, imo interpretes obſcuritate rei deterriti praeterierunt omnes, neque Choul attigit. Illorum etiam nunc in thermis Diocletianis, non longe a Quirinali, Romae quidem ſuperſunt fragmenta: ſed omnium evidentiſſime in veteris Hypocauſti veſtigiis Claudius Menetrius Biſuntinus celebris non ita dudum apud Eminentiſſimum Franciſcum Barberinum omnis antiquitatis condus in Caſtri Candolfi civitatis Albanae territorio vidit. Romanum vero luxum iure inſectatur Annaeus Epiſt. LXXXVI. quando

do non calere, ſed ardere balnea queritur. Inde Lampridius de Commodo: *quum tepidius forte locus eſſet, balneatorem in fornacem coniici iuſſit.* Immane facinus! At quidvis in ſervos licuit, qualis fornacator ille, cui ſuccedendi ignis cura fuit. Nec mirum, inſignem fuiſſe vim caloris, modo ei pabulum non deeſſet. Plumbeos enim canales frequentes ac ſpiſſos eoſque quadratos monſtrat Romae Laconicum aedi S. Ceciliae contiguum, in quo ſub Clemente IIX. Summo Pontifice corpus eius fuit repertum. Incomparabili Equitis a Puteo humanitate orthographia eius curioſis a me oculis fideliter committitur. Ex his optime intelligitur Proculus in L. *Quidam Iberius* XII. ff. de Servit. urb. praed. *Quidam Iberius nomine, qui habet poſt horrea mea inſulam, balneariam fecit ſecundum parietem communem. Non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, ſicut nec parietem quoque ſuum ſuper parietem communem. De tubulis eo amplius hoc iuris eſt, quia per eos flamma torretur paries.* Mihi vero locus hic de mendo ſemper fuit ſuſpectus. Legendum quippe cenſui *balnearia.* Nec aliter in Pandectis Florentinis, tametſi Accurſius *balneariam facere* interpretur balneum omnibus praebere, ea notionis forma qua receptum eſt *argentariam exercere.* Quidquid ſit, eiuſmodi occultum iter Vlpiano in L. III. §. Hoc interdictum ff. de Rivis, vere appellatur *cuniculus, per quem vapor trahitur in valneariis vaporibus,* ubi in vulgatis codicibus eſt *balneariis vaporariis.* Notius enim quam ut multis probem, veteres B in V commutaſſe. Iuriſconſulto autem praeivit Plinius, apud quem Lib. XX. Cap. XXXIIX. *cuniculi fornacis longinqui.* At ſolis tamen balneis eiuſmodi tubulos non fuiſſe aptatos, indicat Seneca de Providentia Cap. IV. *Cuius caenationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperavit: hunc levis aura non ſine*

periculo ſtringet. Quanquam & aliam rationem oſtendit Plin. Lib. V. Ep. VI. *Cubiculum hieme tepidiſſimum, quia plurimo ſole perfunditur. Cohaeret Hypocauſtum, & ſi dies nubilus immiſſo vapore ſolis vicem ſupplet*. Suorum vero temporum inventis adſcribit Annaeus Epiſt. XC. *Quaedam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus: ut ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret aequaliter*. Quanto frugalior Hippocratis aetate Laconici fabrica, qui Lib. de Victu acut. Comm. IV. T. XLIV. σκέπης ἀκαπνοῦ δεῖ: *Tugurio ſine fumo opus eſt*. Alii *Tecto opus eſt ſine fumo*. Verius, *operimento*. Nec ea ceſſiſſe Graecis Romanorum primos, fatetur idem Ep. LXXXVI. quando *in Scipionis Africani villa balneolum anguſtum, tenebricoſum ex conſuetudine antiqua memorat*. Quid vero σκέπη Coo, non uſque conſtat. Galenus etiam rem obviam brevitatis forte ſtudio non expoſuit. Formae orbicularis tale quidem tectum ex vitreis laminis in Ægipto viſum perhibet Proſper Alpinus Med. Ægypt. Lib. III. Cap. XIV. cuius generis in Orientalibus etiam plagis paſſim. Nec de balnei ſplendore aliter accipiendum arbitror Stoicum: *Vitro abſcondi cameram, latiſque ſpecularibus in caldarium diem admitti*. Adeo temporis proceſſu plurima nata ſunt, iam creſcente luxuria! Tholum autem fuiſſe, quales templorum Italiae, ſuadet balnei amplitudo, cui tectum vitreum non modo foret ſumtuoſum, ſed minus ab iniuriis tutum. Et ſane Caldarium Galenus de Sanit. tuenda Lib. III. Cap. XIII. ad Quinti mentem ξηρὸν βαλανεῖον: *ſiccum balneum* dixit. Fumum ſuis igitur ſpiramentis ita avertendum praecipit Cous, ut ne lucis uſum intervertat. Vetuſtatis inventum ingenioſe, ut cetera, imitatus recta victus ratione, μακρόβιος ille nobilitatis Venetae ſplendor Aloyſius Cornelius in aedibus Patavii ſuis, ad D. Antonii baſili-

ſilicam Muſeum ſubterraneis tubis inſtruxit: quod Sebaſtianus Serlius Bononienſis Architect. Lib. VII. Cap. III. fidibus aptiſſimum praedicat. Argumento per quam obſcuro facem praeferet Laconici Piſani deſcriptio, quam paucis obviam Viri eruditiſſimi Franciſci Robortelli diligentiae debemus, digna quae hoc loco reponatur.

§. V.

ANDREAE BACCII
ELPIDIANI CIVIS ROMANI
DE LACONICO
ET DE SOLIIS BALNEORVM

Ex eius Opere de Thermis Lib. VII. *Cap.* X.



ORdines quidem balnearum in Thermis duos diximus, utrinque ſcilicet ab Hypocauſto unum, teſte Vitruvio: alterum virilium, alterum muliebrium; nam ut ſcribit Gellius Lib. X. Cap. III. auctoritate Varronis. 2. de Analogia, pudor non patiebatur utrumque ſexum ſimul lavari; ſed commoditas coniungi deſiderabat. Quanquam in his, quae poſt Varronis, & poſt Vitruvii aetatem factae ſunt, haec diſtinctio non fit mihi veriſimilis: quando aucto ritu exercitationum, ac lautitia in Thermis, vix publicas potuiſſe virorum frequentiae ſufficere videtur. Itaque promiſcuas potius ex eo tempore fuiſſe reor, ac honeſtis mulieribus ſatis feciſſe privatas, vel quas principes matronas con-

constituisse iam scripsimus, Agrippinae Neronis matris balneas, Olympiadis, atque alias. Camerae in quoque ordine quaternae, Laconicum, Calidarium, Frigidarium, & Tepidarium: vel ternae ad minus. Hoc enim non videtur dubitandum, non fuisse Thermas uno stilo ubique, neque uno ordine partium, & tam in publicis, quam in privatis: & hinc in auctoribus tanta earum invenitur varietas: quatenus ponit Celsus lib. 1. cap. 4. dum scribit, sub veste primum paululum in Tepidario sudare solitos: tum transire ad Calidarium, ubi sudabatur largius, quod ponit pro Laconico: tumque aut in Calidam descendere, aut in Tepidam; deinde in Frigidam. Easdem ponit Galenus Lib. X. Methodi, a Laconico incipiens: *Primum enim*, inquit, *ingredientes in aëre versantur calido: hinc secundo in aquam calidam descendunt*, *quod proprie* λουτρόν ait appellari. *Ab hac mox in tertiam Frigidam ibant: & tandem in quarta sudorem detergebant*, quod erat Tepidarium, seu Apodyterium graece dictum; in quo & Celsus dicit, se novissime, qui se lavissent, abstergere, & ungere consuevisse. Quem plane ordinem & in his Thermis, quarum videmus vestigia, servatum invenimus. Exstat Laconicum ad sudationes in quoque primae faciei angulo unum, idque non adeo magnum; huius enim partis non erat usus communis, neque adeo necessarius omnibus, ut quibus satis ad sudandum exercitia fecissent. Sed imbecillis proprius, & qui minus validi ad exercitia, sudores hoc loco exscitabant: subinde intrabant ad ceteras balneas. Nomen autem deduxit a Laconibus: quos hunc ritum primo instituisse, Plutarchus in Alcybiadis Lacedemonii vita est testis. Graeci aliquando πυριατήριον, & nonnullis ὑποκαυστόν dictum, ob igneum in eo vaporem: Latinis modo *Calidarium*, modo *Cella calidaria*: Senecae *Sudatorium*, *Laconicum* vero commu-

muniter omnibus, & Ciceroni quodam loco ad Atticum. Suetonius in Vespasiani Caes. vita, *Sphaeristerium* hanc partem appellat a figurae rotunditate. Locus quippe concameratus ac rotunda specie, habens, auctore Vitruvio, in hemisphaerio lumen, ex eoque clypeum aeneum cathenis pendens, per cuius reductiones, ac demissiones perficeretur sudationum temperatura, vaporibus nimirum sic retentis, vel difflatis. Erat autem huius instituti ratio, ut scribit Dion in Annalibus, ut fuse intrantes in hac parte sudarent, & subinde unctione adhibita, statim descenderent in frigidam. Quod plane clarius ex Galeno fiet postea, ac a Martiali obiter tangitur in Etrusci Thermis, ad Oppianum tribus versibus.

Ritus, si placeant tibi, Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda Virgine, Martiaque mergi.

Virginem dixit, & Martiam in his balneis Romanas aquas blandissimi frigoris. Videtur autem Laconici aërem, siccum quidem fuisse, atque igneum; tepidum tamen aquarum vaporem potuisse suscipere. Proinde Celsus in eo, *assas* dixit *sudationes* Lib. III. Cap. XXVII. alibi *exsiccari* dixit corpora: Seneca *examinari*, Galenus & alii medici interdum *elixari*, Oribasius plane aërem fervidum dixit, ac praehumidum in Laconico. Quod rationi consonum fit: nam ex aestuariis, partim quidem siccis, ex quibus iam diximus ab Hypocausto occultos penetrare ignes in cameras; partim aqueis per suos tubos ac spiracula, vapores misti ad hemisphaerium Laconici petentes, sub curvatura magni clypei in tenuissimas convertantur aspergines, quae imbrium modo super capita eorum, qui morabantur in Laconico depluebant. Idipsum obiter, sed claro exemplo expli-

plicat Aristoteles, seu quivis alius author in 11. de Plantis. *Quemadmodum*, inquit, *calor in balneis humorem trahit, & in vaporem convertit, qui elevatus, ac multiplicatus* (nimirum sub clypeo Laconici) *in guttas vertitur*. Potest autem haec prima pars suo tenui calore (dicebat Galenus X. Methodi) reseratis undique meatibus, liquatisque per totum superfluis, sudores, utilesque madores elicere, quae inaequalia sunt aequare, cutim laxare, & multa, quae sub hac detenta erant, vacuare. Ex Laconico aditus in Calidarium, quod proprie λουτρὸν, hoc est lavacrum dicitur, eodem teste, & calidum solium. Patet autem haec pars, duplex magnitudine ad ceteras cameras: ut cuius in balneis maior erat necessitas, longior in eo fiebat mora, ac usus frequentior, praesertim minus validis ac imbecillis. Vbi meminisse oportet ex Celsi verbis, quae paulo ante retulimus, vel in calidam fieri descensum, vel in tepidam, & quasi ad utentis arbitrium potuisse temperari. Et Galenus in 3. de San. tuenda idem videtur asserere, nimirum quod in calido solio aqua, ex vasis, quae diximus, miliariorum calidis, tepidis, ac frigidis, poterat ad usum trifariam comparari, nempe temperatam fieri, tepidam, ac iusto calidiorem. Quam tamen varietatem non video potuisse fieri in publicis lavationibus; sed in privatis, vel ad privatos usus. Nam in Thermis, parabatur a Balneatore aqua ad usum publicum, uno tenore calida: vel attemperata semel pro multis. Quod declarant auctoritates scriptorum, qui alias Thermas appellant frigidas, alias blandas, alias fervidas: uti frigidas significavit Martialis in primo Epigrammatum.

Aestivo serves, ubi piscem tempore quaeris,
In Thermis serva, Ceciliane, tuis.

Idem

Idem in X. Neronianas indicat fuisse calidissimas, eo epigrammate.

Temperat haec Thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Meminit Plutarchus in Symposiis Graecos primum, & item Romanos lenibus, ac tepidis dumtaxat usos, quasi pro modestia: ut Alexander Magnus in balneo febricitans dormierit, & Galatarum mulieres pultem cum pueris suis inter lavandum esitare consuevisse. Postea acerrimas, ac laniantibus similes corpora parari aquas coepisse. Atque hinc usui erat Frigidarium, seu frigidum Solium tertio loco, in quo aqua exquisite, ad hunc videlicet usum, inquit Galenus X. Methodi, ut quae fuerant excalefacta, sive in anterioribus Soliis, sive in exercitiis, hic refrigerarentur, ac vires densata cuti firmarentur. Qui enim, subdit, hoc modo a calidis lavationibus, sudationibusque Laconicis statim in frigidam non descendissent, paullo post transpirato immoderatius calido innato, totum corpus frigidius evasisse sentiebant. Quod sane frigidae lavatio fieri prohibebat, totum semel corpus constringendo, & constipando, non secus atque accidere solet calenti ferro, quod quum in frigidam mittitur, & refrigeratur, & induratur. Atque huius rei caussa potissimum constat inventa fuisse balnea, pro imbecillium videlicet corporum robore: hoc est ut imbecilla corpora praecalfacerent, itâque ad frigidam Solium praepararent: adeoque praevaluit semper frigidarum usus, ut vix quidam aliis balneis uterentur. Charmis Massiliensis Medicus, aetate Neronis, scribit Plinius Lib. XXIX. Cap. I. dāmnatis prioribus medicis, ac balneis, frigida lavari hibernis etiam algoribus persuasit: mersit aegros in lacus. Videbamus senes consulares in

ostentationem usque rigentes. Ex frigido tandem Solio erat exitus in Tepidarium, tepidi scilicet aëris, quod diximus Apodyterium, sive Spoliatorium; & erat finis in balneo. Ante Tepidarium tamen in Diocletianis commode est (ut videtur) Cella Olearia, eademque Tonstrinae fortasse locus, ubi nimirum olea servarentur, atque unguenta, aliique odores ad opportunos usus, ut qui vellent, barbae, & capillorum cultui vacarent. Erat autem haec pars una de necessariis, ac essentialibus (ut ita loquuntur) in toto ritu Thermarum, quando hic mos erat communissimus, ut quisque lotus, simplicis saltem olei unctione uteretur; tum ut sudores inhiberet, tum ut se ab extrinsecus ambientis iniuria vendicare posset. Hunc enim tenorem in omnibus fere, quae huc sparsim adductæ sunt, auctoritatibus observabis: primum legitur exercitium, deinde balneum, ubi frictio fiebat, & detersio; mox statim frigidae lavatio; postea cibus & potus, ultimo somnus. Proinde recolo me legisse pluries in vitis Principum, sicut inter munera publica erat Congiarium, erat Recta, erat Sportula, ita oleum aliquando publice donatum, quo in communi veluti gaudio, quisque frueretur in balneis; nimirum vel Thermis tum primum dicatis, vel fastu aliquo Principis. Vnctionum vero, quas quisque sibi privatim deferebat ad balneum, luxus legitur inaestimabilis. Qui delicate viverent, vel imbecilles, odoratis unguentis refovebant spiritus. Quosdam legimus iussisse spargi parietes unguento; ut simul (equidem puto) & lavarentur, proiectis in alveos ita imbutos aquis ipsis, & ungerentur; sic penetrante exactius unguento, & odorem, virtutemque suam diutius servante in corpore. Atque ita Caium Principem solitum lavari, testis est Suetonius. Scribit Lampridius, Heliogabalum nunquam in Piscinis lavari solitum, nisi illae cro-

croco, aliisve preciosis unguentis perfusae fuissent. Vel plane conspersis eo modo ad luxum parietibus utebantur, ut dum quis se parieti confricaret (quod aliqui facere solebant, ut apud Spartianum in Hadriano legimus) sine ministris, ac etiam propriis manibus perungi liceret. Nero autem profusissimus, non solum calidis balneas spargebat odoribus; sed frigidis quoque unguentis lavabatur, scribit Plinius. Recensentur autem hoc in genere unguentorum per multa; quae (ut Galenus sentit III. de San. tuen.) Romanorum lautitia invenisse videtur. Complura tamen eorum nomina invenio apud Graecos auctores antiquiora, Megalium, Mendesium, Metopium, Oenanthinum, Erotinum, Rhodium, Amaracinum, Cyprinum, quorum Plinius meminit; & alia postea, quae apud Reges Parthos afferit comparari solita, ut Regale, idcirco nuncupatum; Susinum, a patria, & Nardinum, quod & Foliatum dictum fuisse, alterum Spicatum, quod idem Nardi Pisticae preciosi legitur in Evangelio. Testatur Dioscorides in oleo Iasmino, haec preciosa, tam unguenta, quam olea, non in balneis solum usurpari solita, sed apud Persas inter epulandum quoque dari odoris gratia: quem morem fuse prosequitur Athenaeus in libro Dipnosophistarum quintodecimo, & ante ipsum ex nostris Valerius Maximus Libro II. titulo unguenti, coronarumque in convivio dandarum, secundis mensis. Emanasse id (inquit) a Parthis, quorum deliciarum plenae sunt historiae: ac Medos, & Syros, ac diu Spartanos, ac Ionas eo ritu convivari consuevisse. Donabantur autem inter bellaria discumbentes tum coronis capiti impositis ex viridantibus herbis, fragrantibusque flosculis contextis, Leucoio, Baccare, Helichryso, Hyacintho, Narcisso, Anemone, & coronariis eiusmodi vel pluribus his, vel singulis. Tum unguentis id genus suavissimis, pre-

ciosissimisque capite, ac facie praesertim per pueros inunctis, nec solum ad odorem, & gratiam conciliandam dicit Athenaeus; verum etiam ut sensus exscitarentur suavitate, ac puriores, sanioresque post dapes efficerentur. Coronarum ritum legimus, & apud Romanos inter apophoreta in conviviis: unguentorum vero solum in balneis; quae primum in alabastris, gutisque aureis, vel etiam corneis pueri anteferebant in balneum: mox ob luxum, quem diximus principum, in tantam venere copiam, ut usus eorum ad vulgares quoque defluxerit, quod serio arguit Iuvenalis:

Maechis foliata parantur.

Porro ad cutim detergendam erant strigiles, & smegmata, quae graece dicebant, varia, moris (ut legitur apud Danielem) antiquissimi in balneis. *Adferte ad me*, dixit Susanna puellis, *oleum & Smegmata, ut laver*, quorum varia erat materia. Alia ex farinis, quae erant in stuphis familiaria: alia liquida, alia concreta, ac solida, ut sapo. Ad sudores autem cohibendos, & conciliandam a balneo gratiam, quaedam siccis constabant odoribus, quae (ut Plinius aliquando meminit) *diapasmata* dicebantur, quasi *conspersoria*, Cyprini pulveris, instar, quo hodie utimur odoratissimi: de quo ad ebriam, putidamque Fescenniam, alludit Martialis 1. Epigrammatum, eo carmine.

Quid? quod olet gravius mistum diapasmate virus.

Vt redeamus ergo ad cameras, Apodyterium erat principium, & finis in balneo. Principium quidem; nam ibi primum se exuebant, ac vestes deponebant, deputatis ibi capsariis, vel propriis pueris, qui eas ser-

ſervarent. Ad vitanda autem veſtium, ac aliorum utenſilium furta, lege erat cautum, ut balnearii fures morte multarentur. Quae antiquiſſima fuit promulgatio, ac ſingulare de ea exſtat problema apud Ariſtotelem Sect. 29. Cur qui ex balneis furatus eſſet, aut ex palaeſtra, aut ex foro, aut ex eiuſmodi loco publico, gravius puniretur? vel quia impudentiores (inquit) ſint; vel quia nulla diligentia a publicis furibus cavere poſſumus: & quia gravatum furtum turpi contumelia, ut cogantur domini inde nudi diſcedere, ac ludibrio fore videntibus. Idem vero Apodyterium finis erat in balneo: eodem nimirum revertentes, ubi ante balnearum veſtimenta conſignaſſent. Idemque ex Galeni verbis plane intelligitur X. Methodi: hic enim dum cunctarentur, ac tergerentur, corpus adhuc per ſudorem innoxie, ac citra refrigerationem vacuabatur, ac in naturalem redibat mediocritatem. Porro vana quorundam controverſia eſt, ponere Avicennam tres caſas (ita enim interpretantur) in balneo, eaſque longe aliter diſpoſitas, quam diximus. Cui enim dubium, non fuiſſe balneas uno ſtylo ubique, neque uno ordine? Deſiiſſe tamen pariter apud Arabes hunc ritum, teſtatur Averroes in Canticis, ac non mirum imperfectas tum eos habuiſſe balneas. Neque in antiquiſſimis exemplis ea diſtinctio quaerenda eſt: quando Hippocratis aetate non adeo rite balnea parabantur, quod & ipſe innuit 3. de ratione victus in morbis acutis. Neque in privatis multo minus, quas Galenus idcirco aliquando perinde damnat ac incommodas.

§. VI. §

HENRICI NORIS

IN PISANVM

LACONICVM SIVE SVDATIONEM

OBSERVATIONES

Quas edidit in Dissert. IV. in Pisana Cenotaphia.



Raeter templa, publicas etiam balneas, durante luctu, claudi iusserunt: BALNEISQVE PVBLICIS *clausis*. Cum veteres ad valetudinem primum, dein ad delicias lavarentur, non modo Romae, verum etiam in coloniis ceterisque oppidis balneae publicae visebantur, quarum aliquas Caesares, vel ditissimi civium gratuitas populo exstruebant, cum aliae essent meritoriae. Romae quidem Diocletiani, Severi, aliorumque Thermae etiamnum visuntur, quas inter Diocletianeae ob magnitudinem oppidi instar sunt. Balnearum in coloniis tituli prostant apud Gruterum pag. 180. & seq. pag. 376. 5. 494. 5. Pisanae in Caiano Cenotaphio laudantur. Harum ruinae adhuc Pisis visuntur ad portam Lucensem, ex quibus vasta earumdem moles intelligitur; praesertim cum in vicinis hortis illarum fundamenta admirabilis artificii, turrim maioris Basilicae usque ducantur. Haec quidem subtus terram latent; verum unicum balnearum Hypocauston adhuc integrum superest, quod olim Franciscus Robortellus, litigiis, contra celeberrimos suae aetatis scriptores ultro susceptis, famosus; ac postea Franciscus Maria Ceffinius Equestris Ordinis vir, ac in Academia Pisana princeps

ceps

ceps Iuris Professor vespertinus, literarum eruditione ac morum elegantia domi forisque celebratus, datis ad viros doctissimos literis, descripserunt, quas Ioannes Rhodius magnae vir lectionis, suis in Scribonium Largum commentariis inseruit. Porro Hypocauston octogona forma constructum visitur, altum pedes Romanos XXXI. ac dimidium: longum vero P. XXXIV. itidem cum dimidio. Tubuli intra parietem surgunt, per quos igneus vapor e praefurnio receptus, parietem circumquaque calefaciens, sursum ad hemisphaerium ascendebat. Loculamenta in modum statuariae thecae intra parietem interiorem a pavimento surgentia visuntur, in quibus consistentes sudabant. Hemisphaerium in summitate rotundam fenestram habet, quae aereo clypeo catena suspenso, obstruebatur. Cuius rei causam aperit Vitruvius lib. 5. *Mediumque*, inquit, *lumen in hemisphaerio relinquatur, ex eoque clypeum aeneum catenis pendeat, per cuius reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura*. Plinius lib. 2. Epist. 17. Laurentinum suum describens, ait: *Applicitum est cubiculo Hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet*. In medio vero fornicis ea fenestra aperiebatur, ut aequaliter in Hypocausto calor temperaretur, nec cuilibet vento directe exposita esset. In inferiori autem curvatura hemisphaerii octo fenestrae, & quidem quadratae panduntur, aequaliter in gyrum dispositae, eaeque sesquipedales. Robortellus putavit hasce etiam fenestras aeneis clypeis tectas fuisse ad vim caloris temperandam. Verum orbicularum in fastigio foramen id commode praestabat, nec tot fenestrae eum in usum multiplicandae erant. Rectius Eques Cessinius ad ornatum easdem factas censuit; nempe ut specularibus convestitae, calorem retinerent, ac maiorem lucem admitterent. Addit tamen eas-

easdem a vetustis scriptoribus omnino praetermissas, suamque de iisdem opinionem *doctiorum coniecturis* remittere. Hanc sane eruditissimi atque amicissimi viri sententiam non equidem uti doctior, sed tanquam curiosior paucis firmabo. Balneas antiquitus obscuras fuisse testatur Seneca Epist. 86. scribens de balineo Scipionis Africani: *Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Non videbatur maioribus nostris caldum, nisi obscurum.* At posteriori aetate cum universa Romae luxus occupasset, intra balneas etiam admissus est. Hinc fenestrae ac specularia in eisdem ad aedificii pulchritudinem multiplicata. Audiatur iterum Seneca: *In hoc balneo Scipionis minimae sunt rimae magis, quam fenestrae, muro lapideo exsectae, ut sine iniuria munimenti lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si quae non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi & lavantur, simul & colorantur, nisi ex solio agros & maria prospiciant.* Hinc non tantum Baptisterium describit, in quo lavabantur, sed etiam Hypocauston, in quo & sudabant, & ungebantur; unde laudato Plinio idem dicitur *unctuarium Hypocauston*. At fenestrae, quas Seneca appellat, non erant circa fornicem, sed paullo supra pavimentum aperiebantur, cum e solio maria atque agri prospicerentur. Statius tamen Lib. I. Sylvarum describens balneum Etrusci, fenestras in superiori concameratione sitas, non obscure indicat, scribens:

Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio Sol improbus uritur aestu.

Hic loquitur de Hypocausto, dum igneo aestu solem uri dicit; illis vero verbis *multus ubique dies*; fenestras in gyrum circumquaque dispositas innuit, per quas Sol toto die in balneariam cellam admitte-

tebatur. Martialis Lib. VI. Epigr. 42. easdem Etrusci balneas describens, ait:

Lux ipsa est tibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit.

Quod Solis radii per aliquas fenestrarum quacumque hora diei in balneum admittebantur, seu uti dicebat de Balneis Seneca, *totius diei solem fenestris* recipiebant. Dum vero Statius scribit a Sole *culmina totis radiis perforata*, easdem fenestras in curvatura hemisphaerii, uti in Pisano Laconico apparent, fuisse aperte significat. Sane sequiori aetate sub imperio Caesarum balneae obscuriores contemptui erant. Hinc Martialis tenebricosas Grylli cuiuspiam balneas irridet Lib. I. Epigr. 60.

Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli.

Et rursus Lib. III. Epigr. 14. de Selio ubique se lavante, ut ubique ad coenam invitaretur, scribit:

Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Aeoliamque Lupi.

Seneca laudatus: *Quantae nunc*, inquit, *aliqui rusticitatis damnant Scipionem, quod non in Caldarium suum latis specularibus diem admiserit? quod non in multa luce decoqueretur*. Hinc colligo Pisanas thermas post Augusti imperium exstructas, & si coniecturae indulgere liceat, Antonino Pio imperante. Nam plurium lapidum fragmenta in exteriori parte maioris Basilicae visuntur, eiusdem Principis nomine inscripta, quae ex thermarum ruinis illuc deportata suspicor, quod nulla alia vetustiora monumenta Pisis supersint. Cum doctissimus Cessinius Pisa-

num Laconicum perlustraret, a vicino pistore sarmentis ac virgultorum fascibus oppletum locum offendit; Aedilibus indignatus, qui unicum veterum Pisarum aedificium, virorum illustrium scriptis commendatum, vilibus adeo usibus deputassent. Verum in praesentia asinorum stabulum evasit: tanta rerum vetustarum incuria cives manet. Ita summa imis longa dies miscuit, ut gratuitum Pisanae Coloniae Balneum nostra aetate in meritorium rudentium animalium stabulum versum, vix prae foetore, venerandae antiquitatis studiosorum aspectum admittat. Pisani Hypocausti figuram exhibeo.

Heic Norisius exhibet interiorem Laconici formam, cuius alt. palm. Rom. XXXI. *cum dimidio: long. Palm.* XXXIV. *cum dimidio. A. Loculamenta in quibus homines ad sudandum consistebant. B. Fornix. C. Fenestrae quadratae. D. Fastigium subdivale & apertum, ex quo clypeus dependebat.*

Ceterum, ut ad intermissam narrationem revertar, Thermae publicae Pisis, tempore iustitii, clausae fuerunt; neque enim decebat, homines sordidas ac squalentes vestes indutos, interiores corporis maculas lavacris eluere. Caius Caesar, Drusilla sorore, teste Suetonio Cap. 24. defuncta, *iustitium indixit: in quo risisse, lavisse, coenasse cum parentibus, aut coniuge, liberisve, capitale fuit*; ut universis non modo balneis publicis, verum etiam privatis interdictum fuerit. Mortuo Constantino, Eusebius Lib. IV. Cap. 69. de vita eiusdem scribit: *Balnea & fora rerum venalium clausa*. Nullus ignorat in balneis odoratis unguentis corpora perungi solita, quae inter lugubria cessabant. Regum II. 14. *Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum*. Praeterea

Esther

Esther 14. 2. *Cumque depoſuiſset veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro unguentis variis cinere & ſtercore implevit caput, & corpus ſuum humiliavit ieiuniis*. Quod vero Hebraei cum moesti ac lugentes ieiunabant, unguentis abſtinebant, Martialis Lib. IV. Epigr. 4. eosdem inter peſſime olentia referens, ait:

Quod ieiunia Sabbatariorum:
Moeſtorum quod anhelitus reorum.

Huc revoco illa Plinii ex Lib. XIII. Cap. 13. *Aquilae certe ac ſigna pulverulenta illa & cuſtodiis horrida, unguntur feſtis diebus*, ut maiori laetitia dies feſti celebrarentur.

Non ſolum templa ac balneas, verum etiam & tabernas occludi iuſserunt: ET TABERNIS OMNIBVS CLAVSIS. Tabernas in ſignum publici moeroris claudere Romani iam inde a primis ſaeculis conditae urbis conſueverunt. Cum Sabini Conſulem ac legiones intra caſtra obſiderent, L. Quintius Dictator, *iuſtitium*, inquit Livius Lib. III. *edicit; claudi tabernas tota Vrbe iubet*. Cum primum intellexere legiones ad furcas Caudinas ſub iugum a Samnitibus miſsas, *extemplo, ſine ulla publica auctoritate, conceſsus in omnem formam luctus eſt. Tabernae circa forum clauſae, iuſtitiumque in foro ſua ſponte coeptum prius quam indictum; laticlavi, annuli aurei poſiti*; ex eodem lib. IX. Cum caeſi Poſtumii Conſulis, ac fugatarum legionum nuntium accepiſsent, tabernas occluſere. Verum Senatus iniunxit Aedilibus, *ut Vrbem circumirent, aperirique tabernas, & moeſtitiae ſpeciem publice urbi demi iuberent*. Idem Lib. XXIII Cum Caligula ob mortem ſororis Druſillae iuſtitium indixiſſet, auctor eſt Philo in libro de legatione ad Caium, Alexandriae *officinas propter luctum in morte Dru-*

fillae clausas fuisse. Hinc Pisani publicae moestitiae speciem in acerba Caii morte ostensuri, tabernas omnes occluserunt.

Hactenus vir summus Henricus Norisius. Inter edita opera Hieronymi Mercurialis Medici ac Philosophi praestantissimi, & in Pisano Atheneo Medicinae loco supraordinario Professoris celeberrimi, exstat eiusdem Tractatus de Balneis Pisanis luculentissimus; verum quae in eo adnotat non ad Pisanum Laconicum, sed ad alia Pisanorum Balnea saluberrima, a Pisarum urbe longe distantia pertinent, quae quidem Cap. IV. enumerat, & diligenter describit; quare de natura aquarum, eorumdem commodis, utilitate ac salubritate accuratam tractationem praeclaris Medicis nostri temporis relinquo: quandoquidem meus Optimus ac Providentissimus Princeps FRANCISCVS III. Lotharingiae & Barri Dux, Rex Hierusalem, Etruriae Magnus Dux, publici boni commodique studiosissimus, sublato superiorum temporum squalore, incuria ac negligentia, ac praesertim ex illis, quae ad radices Montis S. Iuliani exstructa sunt, in pristinam dignitatem, utilitatemque ea restitui & ampliari mandavit.

ANT.

VII.

ANT. FRANCISCI GORI

IN PISANVM

LACONICVM SIVE SVDATORIVM

OBSERVATIONES

ADIECTA SYLLOGE

ANTIQVARVM INSCRIPTIONVM BALNEARIVM

CVM NOTIS.

I. ACONICI in antiquis Inscriptionibus, quae in lucem hactenus prodiere, nullam mentionem factam reperio; sed neque etiam in vetustis scriptis marmoribus Pisanorum; quamquam Pisis prope portam, quam a proxima urbe, *Lucensem* vocitant, exstet ad haec usque tempora integrum eleganti opere exstructum LACONICVM, quo antiqui Pisani usi sunt. Quum enim Laconicum (quod Graeci, & ex his Latini veteres *Hypocaustum*, & *Caldarium* dixere, quo nomine Scipionis Laconicum vocat Seneca) universum Balineorum aedificium in plures partes dispositum complectatur; idcirco antiqua marmora litteris exarata dum ipsa Balinea, seu Balnea nominant, de reliquis partibus, quibus constant, expressam mentionem non faciunt; quod & insignia Pisanorum monumenta, quae immortalis Norisius *Cenotaphia* adpellavit, non obscure declarant; nam in his generica adpellatione Pisana publica Bal-

nea

nea laudantur, quae Pisanorum Colonia ac Respublica, fatis erepto Caio Augusti filio, in signum publici luctus claudi mandavit; ita enim in altero ex his scriptum legimus: CVNCTOS VESTE MVTATA TEMPLISQVE DEORVM IMMORTALIVM BALINEISQVE PVBLICIS ET TABERNIS OMNIBVS CLAVSIS CONVICTIBVS SE SE APSTINERE. Patet igitur ex his celeberrimis Tabulis marmoreis, quas emendatiores edidi in Parte II. huius Operis post pag. 10. Augusto imperium Romanum moderante, publica Pisanorum Balnea exstructa iam fuisse, eaque in publico luctu, non secus ac templa Deorum, ac tabernas, clausa fuisse; quare liceat mihi magno Norisio eiusque coniecturis non adquiescere, qui, ut supra scriptum legimus, colligit, *Pisanas thermas post Augusti imperium exstructas*, & ut coniicit, *Antonino Pio imperante*. Ea vero, quae idem Norisius memorat, antiquorum marmorum fragmenta (a me iam edita in Parte II. huius Operis pag. 12.) quae in exteriori parte maioris Basilicae adhuc visuntur, quamvis eiusdem Principis nomen scriptum palmaribus fere litteris praeferant, alia aedificia indicare promtius crediderim, nempe templum aliquod nomini maiestatique eiusdem Antonini Pii optimi Principis, seu verius Hadriani, a Pisanis dedicatum: Si qui vero sunt, qui cum Norisio censeant ea marmorum fragmenta ex Thermarum ruinis illuc deportata; subspicari liceat potius ea innuere eiusdem Principis beneficentia easdem Thermas in pristinam elegantiam ac dignitatem a Pisanis restitutas fuisse, quam eo imperante exstructas. Laconici quidem structura, cui dumtaxat edax tempus pepercit, eam, quae Augusti aetate viguit optimam Architecturae rationem scitissimamque elegantiam & dignitatem praesefert; nec facile quicquam alibi in hoc genere inveniri posse perfectius, qui illud viderint, adfirmabunt.

II. Iu-

II. Iustae Norisii querelae, quod tam vetustum, tamque insigne, totoque orbe percelebre Pisanorum Coloniae aedificium, civium incuria vilibus usibus deputatum, tempestate sua in asinorum stabulum evasisset, tanti ponderis fuere, ut Cosmus III. Magnus Dux Etruriae in pristinam dignitatem ac splendorem restituendum mandarit anno MDCXCIII. quod testantur iam a me editae marmoreae Tabulae in Par. II. pag. 3. & 4. quae expositae sunt in exteriore eiusdem Laconici facie, quae ea occasione exstructa est, ut ostendit Tab. I. pag. 240. a me edita, & huic Commentario adsignata. Exteriorem alteram Laconici faciem, quam ipsum Laconicum praeferebat, anno MDCLV. aeri incisam exhibuit V. C. Ioannes Rhodius in praelaudato Opere suo pag. 117. quo schemate discimus cum eodem Laconico coniunctas fuisse reliquas Balneorum Pisanorum partes, quorum ruinas, ac rudera idem Rhodius in adlato schemate suo littera A. designat.

III. Quae fuerit antiqui Laconici interior structura, & quae forma, ex hoc nunc primum in lucem prolato exemplo peraccurate discere possumus, in quo quidem multum peccat schema a Rhodio & Norisio adlatum. De cultu vero audiendus est Vitruvius, qui de eo haec diligentissime observat, Lib. VII. Cap. X. ubi agit de coloribus, qui arte fiunt: *Namque* (inquit) *aedificatur locus, uti* LACONICVM, *& expolitur marmore subtiliter, & laevigatur: ante id fornacula habens in* LACONICVM *nares; & eius praefurnium magna diligentia comprimitur, ne flamma extra dissipetur.* Hinc igitur colligimus Laconici tum parietes, tum camerae curvaturam tectorio opere marmoris pulvere commixto, perpoliri ac laevigari consuevisse. Ostium, quo ad subterranea praefurnia patebat aditus, exhibet Tab. II. a me adlata. Praefurniorum nares ignis vaporem emittebant per tu-

tubulos, quorum orificium ad foliorum planitiem pertingebat in cellulis in hemciycli formam exſtructis, in quibus ſtantes homines ſudorem emittebant. Horum his verbis meminit Annaeus Seneca Epiſt. XC. *Quaedam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus: ut ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret aequaliter*. Extrema horum tuborum capita ex aere in Muſeis aliquot Florentinis conſpexi; quod vero exſtat in Muſeo Mediceo ſenſim in acumen deſinens, in cuius medio orificium eſt, litteris in orbe ſcriptis, ad Caldaria Antonini Caracallae ex eius adſcripto nomine pertinere conieci. Neque abſurdum videtur in ſplendidioribus Laconicis ex aere ſaltem in ſummitate tubulos fabrefactos fuiſſe; quamvis Rhodius, qui eorumdem tubulorum iconiſmum adfert pag. 103. plumbeos fuiſſe doceat, eoſque frequentes, & forma quadratos inveniri, quales ſua tempeſtate oſtendit Laconicum aedi S. Caeciliae contiguum, in quo ſub Clemente VIII. ſummo Pontifice corpus eius fuit repertum.

IV. Quod adtinet ad formam ac figuram Laconici, eam diligenter exponit Robortellus. Ea ſiquidem frequentius rotunda, & interdum octogona fuit; quam priſci Chriſti Fideles in ſacris quoque Baptiſteriis conſtruendis ſervarunt. Laconici fabrica ſuperne in hemiſphaerium erat concamerata, ſive teſtudinata, ad quod vapores, qui per alveolos aſcendebant, communi concurſu ferebantur; exibant vero ſi aheneus clypeus ex ipſo hemiſphaerii lumine reduceretur: quod perſpicue oſtendit Vitruvius Lib. V. Cap. X. ubi de Balnearum diſpoſitionibus & partibus pertractat; LACONICVM, *ſudationeſque ſunt coniungendae Tepidario: eaeque quam latae fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam hemiſphaerii; mediumque lumen in hemiſphaerio*

re-

relinquatur, ex eoque clypeum aeneum pendeat; per cuius reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura: ipsumque ad circinum fieri oportere videtur, ut aequaliter a medio flammae vaporisque vis per curvaturae rotundationes pervagetur. Pisanum Laconicum medium lumen in hemisphaerio habuisse ad circinum factum, quod clypeo demisso obstrueretur, vel reducto ad temperaturam aperiretur, Tabulae II. & III. a me adlatae ostendunt. Fuisse tamen Laconica quaedam apud veteres sine clypeo, qualia Philander in Thermis Antonini Caracallae observavit, cuius iconem exhibet, & ex eo repetit Bernardinus Baldius Vrbinas Guastallae Abbas in suo Lexico Vitruviano in v. LACONICVM.

V. Praeter rotundum lumen in umbilico hemisphaerii relictum, Pisanum Hypocauston habet alia quaedam minora & crebra lumina fere sesquipedalia circa illud per curvaturam, & sub his alia quaedam disposita. Robortellus credit ea quoque pro sudationum temperatura aereo operculo contegi consuevisse; ita tamen, ut ab una parte, quae ad hemisphaerii summitatem vergit, exitus pateret vaporibus. Eques Cessinius eas octo fenestras ad ornatum factas esse censuit, nempe ut specularibus convestitae calorem retinerent, ac maiorem lucem admitterent. Hanc opinionem, quam ipse levi digito adtingit, liceat mihi aliis exemplis, & veterum Scriptorum auctoritatibus confirmare, & eam, quam Robortellus adfert, omnino reiicere. Hanc quoque reiecit Norisius; quum enim orbiculatum in fastigio foramen, sive fenestra maior, quae aereo clypeo catena suspenso obstruebatur, huiusmodi beneficium praestaret, facile adparet, reliquas fenestras minores non aereis tabulis, sed specularibus clausas fuisse. Antiqui specularibus, a lapide speculari natura translucido ita dictis, usi sunt, quos nos Itali *scagliola*

la dicimus, qui idem praestabant quod nunc vitra, sive orbicularia, sive quadrata in fenestrarum usum. Lipsius ad Senecae Epist. XC. adnotat olim speculares lapides in Hispania, Cypro, Cappadocia, & Africa crebros fuisse; sua vero tempestate nescire num in notitia sint, vix in usu, quum olim frequentes esset; non enim coenationes tantum aut cubicula eo lapide veteres illustrabant; sed totas porticus, pomaria, hortos atque etiam BALNEA. Sed non paucis in locis Etruriae, praesertim vero Volaterrano in agro optimi lapides speculares maxime pellucidi innascuntur, quos non semel diligenter observavi.

VI. Artifices, qui huiusmodi specularia fenestris aptabant, SPECLARII sive SPECVLARII dicebantur, quorum non raro in antiquis inscriptionibus mentio occurrit, ut in lapide Musei Suburbani Strozii, qui haec habet:

C·POMPONIVS
APOLLONIVS
SPECLAR·V·A·XLV

Hos SPECLARIOS opifices Romae Collegium, quemadmodum & reliquos artifices, habuisse, docet antiquum saxum a me inter Doniana editum Class. IX. num. 36. quod haec habet.

MOGVLNIO·FEROCI
AEDITVO·AEDIS·CONCORDIAE
COLLEGIVM
SPECLARIORVM
PATRONO OPTIMO·D·D

Hunc ipsum singularem lapidem ex Donianis adfert Vir Praeclarissimus Muratorius in suo Thesau-

ſauro Tom. I. Claſs. VII. pag. DCCIX. n. 6. qui adnotat in l. *Artifices* C. *de Excuſationibus Artificum*, quod inter alios recenſentur *Specularii*.

VII. Quod vero antiqui ſpecularia feneſtris aptaverint, ex hoc Senecae loco Lib. de Providentia Cap. IV. colligi poteſt: *Fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, qua animi permadeſcunt, niſi aliquid intervenit, quod humanae ſortis admoneat, velut perpetua ebrietate ſopiti. Quem* SPECVLARIA *ſemper ab adflatu vindicarunt, cuius pedes inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt; cuius coenationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperavit, hunc levis aura non ſine periculo ſtringet.* Sed propius ad rem noſtram haec idem Seneca Epiſt. XC. *Quaedam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus; ut* SPECVLARIORVM *uſum, perlucente teſta, clarum tranſmittentibus lumen: ut ſuſpenſuras* BALNEORVM *& impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret aequaliter.* Olim Balnea, Caldaria ſive Sudatoria obſcura fuiſſe, & gregali tectorio inducta, memorat idem Philoſophus in Epiſt. LXXXVI. quibus, ut ipſe obſervat, contenti fuere Cato, aut Fabius Maximus, aut e Corneliis aliquis; poſtmodum vero Romani deliciis & luxu marceſcentes, balneis multo ſole impletis, ac bene luminoſis adſueſcere, mirumque in modum gaudere coeperunt. *Nihil* (inquit) *mihi videtur, iam intereſſe, ardeat* BALNEVM, *an caleat. Quantae nunc aliqui ruſticitatis damnant Scipionem, quod non in* CALDARIVM *ſuum* LATIS SPECVLARIBVS *diem admiſerat? quod non in multa luce decoquebatur, & expectabat, ut in Balneo concoqueret?* His igitur fretus veterum Scriptorum teſtimoniis, reiiciendam eſſe cenſeo Robortelli opinionem, qui ea quae viſuntur in Piſano Laconico minora lumina, cenſet aereis operculis contecta fuiſſe. Probabilius igitur videtur tum miaora in hemiſphae-

ior lumina, tum fenestellas specularibus ita ornari consuevisse, ut luminosum redderent Laconicum, quae ad augendum servandum temperandumque calorem facile obduci ac reducique possent; quod subindicat Plinius Caecilius Secundus Lib. II. Epist. XVII. *Adplicitum est cubiculo* HYPOCAVSTVM *perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exegit, aut effundit, aut retinet.* Et paullo superius in laudata Epistola, ex qua usus colligitur SPECVLARIORVM in aliis cum domorum tum villarum aedificiis, ut in sua in Laurentino agro. *In hac heliocaminus quidem, alia xystum, alia mare, utraque solem: cubiculum autem valvis, cryptoporticum fenestra prospicit: qua mare contra parietem medium zotheca perquameleganter recedit, quae* SPECVLARIBVS *& velis obductis reductisque modo adiicitur cubiculo, modo aufertur.*

VIII. Desciscentibus a prisca patrum parsimonia morumque severitate Romanis, prolata toto terrarum orbe imperii maiestate, in eum luxum prolapsi sunt, praecipue imperante Nerone, ut & privati cum Romae in suis aedibus, tum in villis Balnea cum suis omnibus partibus, & aedificiis habuerint; quam rem idem Plinius exemplo suo, ubi villam suam in Laurentino describit, Lib. II. Epist. XVII. aperte ostendit: *Ex alio latere cubiculum est politissimum; deinde vel cubiculum grande, vel modica coenatio, quae plurimo Sole, plurimo mari lucet. Post hanc cubiculum cum procoetone, altitudine aestivum, munimentis hibernum: est enim subductum omnibus ventis. Huic cubiculo aliud, & procoeton communi pariete iunguntur. Inde* BALINEI, *cella frigidaria spatiosa & effusa, cuius in contrariis parietibus duo baptisteria, velut eiecta, sinuantur, abunde capacia si innare in proximo cogites. Adiacet Vnctorium,* HYPOCAVSTVM, *adiacet propnigeon balinei: mox duae cellae magis ele-*

gan-

gantes, quam ſumtuoſae: cohaeret calida piſcina mirifice, ex qua natantes mare adſpiciunt. Nec procul Sphaeriſterium, quod calidiſſimo ſoli, inclinato iam die, occurrit. De antiquorum Balneis, ſi quis poſt Baccium multa notatu digna legere cupit, adeat Ioannis Antonii Panthei Veronenſis Confabulationes de Thermis Caldarianis, quae ſunt in Veronenſi agro.

IX. Haec eo adtuli conſilio, ut hinc coniiciamus cum Piſano Laconico ſingulas Balneorum partes, quas Robortellus & Andreas Baccius expendunt, fuiſſe coniunctas. Sed quam immaniter creverit Balneorum luxus, his, qui Senecae Epiſtolam ad Lucillum LXXXVI. legere voluerint, perſpicue patebit. LACONICVM vero huius generis Balneum dictum eſt a Laconibus, quod ex Aſiaticis, ut Baccius obſervat, hi omnium primi conſueverint nudi, oleo pulvereque conſperſi, in luctam deſcendere, ac poſtea lavari; quum antea ad ludos Olympicos, linteo ſubcincti amictu ac fibula, deſcenderent, a quibus aliae poſtea nationes id inſtitutum accepere. Id tangit Martialis, qui laudat & deſcribit Etruſci Thermas omni luxu & elegantia ſplendidiſſimas Lib. VI. Epigr. XLII.

Ritus, ſi placeant tibi, LACONVM,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Martiaque mergi.

Cum Balneis coniuncta erant gymnaſia ſcholae ac palaeſtrae; in his enim communia erant cum animi tum corporis ſtudia & exercitamenta, quae ad balnea praeparatoria cenſebantur, quod & laudatus Martialis indicat Lib. VII. Epigr. XXXI. ad Atticum:

Non pila, non follis, nec te paganica Thermis
Praeparat, aut nudi ſtipitis ictus habes:

Ve-

Vera nec iniecto caeromate brachia tendis;
Non harpasta manu pulverulenta rapis.

Hae veterum tum animi tum corporis exercitia, quantum opis conferrent ad tuendam sanitatem ostendit praelaudatus Baccius: nostris vero temporibus, in quibus inertia & turpe otium quammaxime vigent, sedentes cives tabellas, trochos, fritillos, aleas tractant. Priscorum Italorum, quae a teneris unguiculis fuerint exercitia, quae in armis gloria, in Turno ostendit Virgilius Aeneid. Lib. IX. vers. 603.

Durum ab stirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, saevoque gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum parvosque adsueta iuventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne aevom ferro teritur, versaque iuvencûm
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recenteis
Comportare iuvat praedas, & vivere rapto.
Vobis picta croco & fulgenti murice vestis,
Desidiae cordi; iuvat indulgere choreis:
Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges. ———

X. In meo Commentario ad Inscriptiones antiquas Donianas adtuli in Tab. IX. pag. 143. non paucas Gemmas, quas *Balneares* adpellavi, quod in his non solum vasa, & instrumenta ad Balneorum usus, verum & imagines palaestritarum, unctorum, balneatorum, feminarum in balneis sedentium, discobulorum spectentur, & in fronte Praefationis pag. IX. Halteristas armatos plumbeis massis

in

in manibus primus exhibui, de quibus ibi sermo pag. XCV. Eas vero Gemmas explicavi a pag. CI. ad CVI. Nunc vero in mentem venit in studiosorum venerandae Vetustatis gratiam praecipuos aliquot congerere antiquos lapides balnearios, quorum eruditionis luce multa, quae ad Balnea antiquorum illustranda pertinent, colligi possunt. Primum occurrit sepulcralis ille titulus, inventus in Sepulcro sive Columbario Libertorum ac Servorum Liviae Augustae & Caesarum, quem adtuli, & explicavi pag. 128. num. LXXXIV. sed alio ad rem Senecae loco inspecto lubet hunc secundis curis illustrare. Ita se habet:

ANTEROS ....
LIVIAE ....
COLORATOR ....

Iam adnotavi COLORATORES apud veteres, Medicorum quoddam genus fuisse, qui Aliptarum, & Iatraliptarum sub censu forsitan fuere; quorum ars in eo erat, ut in hominum & feminarum corpore vires, florem, venustatem sanitatemque quibusdam unctionibus, aliisve medicamentis tempestive sciteque datis, inducerent, servarentque. Id, ut aiebam, confirmat notatu dignus apud Senecam locus in Epist. LXXXVI. ad Lucillum, in qua de Balneorum luxu & splendore pertractat, quamvis ad solis effectum in Balneis valde luminosis aliqui trahere possint; tamen lubet adnotare, quia verbum *colorari* nunc primum apud veteres Scriptores observo. *At nunc blattaria vocant Balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant; nisi lavantur simul &* COLORANTVR *; nisi ex solio agros & maria prospiciunt. Itaque, quae concursum &* ad-

admirationem habuerant, quum dedicarentur, haec in antiquorum numerum reiiciuntur, quum aliquid novi luxuria commenta est, quo ipsa se obrueret. Quod vero coloratio ad medicinam pertineret, argui ex hoc etiam Ciceronis loco poteſt in Oratore: *Ipſa ſe poſtea* (oratio) COLORAT, *&* *roborat.* Colorationes vero ex inſolatione potiſſimum pendebant; quare haud abſurdum mihi videtur, hoc officium COLORATORIS ad Iatraliptas, ſive Aliptas, qui in balneis medicam artem ſuam exercebant, traducere.

XI. Cum Balneis coniunctae erant piſcinae; nam poſt ſudationes frigidis aquis refrigerari volebant; quod ſi cum ratione & conſilio id non fieret, periculum mortis aliquando intercedebat, quod ex ſequenti lapide Florentino, qui Florentiae exſtat in Hortis Excell. Principum Corſiniorum colligi poteſt.

DAPHNVS · ET
CHRYSEIS
LACONIS · LIBERTI
FORTVNATO · SVO · V · A · VIII
BALNEO · MARTIS · PISCINA
PERIT

Muratorius V. C. in Cl. VI. ſui Theſauri n. 5. pag. CDXC. fragmentum marmoris adfert, quod Balneis coniunctas fuiſſe piſcinas docet; at in Florentino a me adlato adnotare lubet, Balnea ornari ſolita ſimulacris ſtatuiſque Deorum, a quibus denominationem ea accipiebant, uti ex hoc, BALNEO MARTIS, colligimus.

Piſcinae etiam ad tutelam Sepulcrorum conſtitutae leguntur auctoritate ſequentis marmoris, quod

quod exhibeo ex Schedis V. C. Bonarrotii Senatoris, qui accuratius exſcripſit quam Fabrettus Cap. III. pag. 223. num. 594. in quo ROSARIVM omiſit in quarta linea.

LICTORIAE. CHERVSAE. VIXIT. ANNIS. XV
MENSIBVS. VII. DIEBVS. V. FECER. L. VETVRIVS. PVDEN
VIR. ET. LARCIA. AVCTA. MATER. HVIC. MONIMENTO
CEDIT. ROSARIVM. CVM VINIOLA. SOLA. SVO. FINE. VINIAE
ET. E REGION. PISCINAE. ET · CANALIS. VSQVE. AD. ARIAM
ſic ET. AREA. CVM EDIFICIS. ET · HORREO. ET. CISTERNAE. IN
SOLAR. ET. E REGION. EIVS. VSQVE. AT. AD. ARVNDINETVM. CVM ITIN
QVAE. SVN. DETERMINATA. ET COLLIGE. IVG

Sequens quoque inſcriptio, quam profero ex Bonarrotianis Schedis, magis emendata quam apud eumdem Fabrettum Cap. III. pag. 211. num. 533. id quod obſervabam confirmat; nimirum monumenta interdum cum balneis aliiſque aedificiis fuiſſe coniuncta, ut facile ex eorum proventu annua parentalia defunctis parari & fieri poſſent.

T · FLAVIO · T · F · QVIR · FLAVIANO
AEDILI · QVAESTORI · DESIGNATO
MVNICIPIO · CAPENAE · FOEDERATO
T · FLAVIVS · AVG · LIB. MYTHVS · ET
FLAVIA · DIOGIS · PARENTES · FILIO PIISSIMO
FECERVNT · ET · SIBI · ET · SVIS · LIBERTIS · LIBERTABVSQVE
VTRIVSQVE · SEXVS · POSTERISQVE · EORVM
CVM · BALINEO · ET · AEDIFICIS · QVAE · SVNT · IVNCTA
EX · VTRAQVE · PARTE · SECVS · VIAM · CVM · AQVAE
DVCTV · EX · FVNDO · CATVLENIANO · ET IVGERA
AGRI · CATVLENIANI · P · M · IIII · ITA · VTI · DEPALATVM · EST
H · M · H · N · S

Huiusmodi aedificia, ut coniicio, designat marmor eximium & singulare, quod exstat in Museo March. Gaddiorum Florentiae, quod habes in Par. I. huius Operis pag. 459. num. 19. quod Ichnographiam eorumdem aedificiorum ad sepulcri tuitionem ac tutelam spectantium exhibet, quam videat eruditus Lector. Gratuito munere ac beneficio Balnea interdum donabantur, & publico sumtu sine cuiusquam impensa praebebantur. Publicum Balneum, quod Hispellates concedebant, addito etiam hospitii iure & honore, memorat Plinius Secundus Lib. VIII. Epist. VIII. ad Romanum: *Balineum Hispellates, quibus illum locum Divus Augustus dono dedit, publice praebent, praebent & hospitium.* Frequens quoque in antiquis saxis mentio Balineorum, quae publice dabantur, hoc est publico sumtu, & quandoque etiam gratuito beneficio a privatis, qui lumina candelabra, lucernas, & oleum civium bono commodoque in iisdem Balneis ministrabant, vel testamento reliquebant, quod declarat marmor apud Tifernates a me editum in Par. II. pag. 339. & hoc ipsum in basi utrinque scripta ad Plebem Carpineae, quod adfert Fabrettus Cap. VI. pag. 486. n. 164.

C · CAESIDIO
C · F · CRV · DEXTRO
EQ · COH · VIII · PRAET
COH · I · LINGONVM
EQVITAT · TRIB · MIL
LEG · I · ITALICAE

Sex versus heic desperatae lectionis.

CVIVS · DEDICA
TIONE DECV
RIONIBVS VR
AVG · ET · PLEBI · VRB ·
EPVLAS · DEDIT
ET OLEVM IN BA
LINEO POPVLO
ITEM PLEBI
PANES ET VINVM

Bal-

Balnea vetuſtate vel temporum iniuriis corrupta ab optimis civibus ſuis impenſis reſtituebantur, teſte hoc Novarienſi marmore inter Doniana Cl. II. n. 31.

C VALERIVS C F CLAVD PANSA FLAMEN
DIVORVM VESPASIAN TRAIANI HADRIANI P P BIS
TRIB COH VIIII PR PROC AVG PROVINC BRITANNIAE
BALINEVM QVOD VI CONSVMPTVM FVERAT AMPLIATIS SOLO
ET OPERIBVS INTRA BIENNIVM PECVNIA SVA RESTITVIT ET DEDICAVIT
IN QVOD OPVS LEGATA QVOQVE REIP TESTAMENTO ALBVCIAE CANDIDAE
VXORIS SVAE HS CC CONSENSV ORDINIS AMPLIVS EROGAVIT

Ex aliis ſaxis colligimus Balinea, quum dedicarentur, diviſiones, ſportulas, panem & vinum in publicae laetitiae argumentum gratis data fuiſſe; quibus muneribus viri optime de civibus meriti ſummos honores, nempe biſellium, decurionatus ornamenta, ſtatuam aliaque honorifica conſequebantur, quod liquet ex ſequenti marmore, quod vulgavit Vir eximius Muratorius in ſuo Theſauro Cl. VI. pag. CDLXXXIV. n. 3.

M · SENLIO CRISPINO C · V ·
OMNIBVS HONORIBVS IN R · P · FVNCTO
ORDO ET VNIVERSVS POPVLVS
OB MERITA ET LABORES EIVS
HONOREM BISELLIATVS
ET ORNAMENTA DECV
RIONATVS GRATVITA OBTVLERVNT
QVOD OPERA THERMARVM AES
TIVALIVM VETVSTATE CORRVP
TA S · P · RESTITVIT EXORNAVIT
PORTICVS ETIAM CIRCVM
CINGERE ESCOLIMBVM A COLO
CONSTITVIT · STATVAM AMICI
DICANDAM ET MEMORIAM EIVS
PONENDAM CENSVERVNT
L · D · D · D ·

In prima linea forte M. SENTIO. Menda quoque cubare in linea 12. minime dubium est. A COLO. legendum videtur A SOLO. Quod vero ad ornatum ante Thermas porticus essent, inter alias multas, perspicue ostendit sequens inscriptio Vasionensis penes Fabrettum Cap. IX. pag. 644. num. 378.

V A S I E N · V O C ·
C · S A P P I O · C · F I L · V O L
F L A V O
PRAEFECT · IVLIENSIVM · TRIBVN
MILITVM · LEG · XXI · RAPACIS · PRAEF
ALAE · THRACVM · HERCVLANIAE · PRAEF
RIPAE · FLVMINIS · EVPHRATIS
QVI · H-S [XII] REI · PVBLICAE. IVLIENSIVM
QVOD · HS [XXXX] VSVRIS PERDV
CERETVR · TESTAMENTO · RELIQVIT · IDEM
HS · L · AD · PORTICVM · ANTE · THERMAS
MARMORIBVS · ORNANDAM · LEGAVIT

Sequens quoque marmor ab eodem Fabretto adlatum Cap. III. pag. 242. num. 656. statuam honoris gratia positam M. Valerio, ob egregia eius in municipes suos Compitenses beneficia, testatur, & quod Balnea virilia, & muliebre feminis destinatum refecerit.

M · VA-

M · VALERIO · M · F
AED · DICT
PRAEF · IVVENTVTIS
MVNICIPES · COMPITENSES · VEICORVM
QVINQVE · QVOD · SPECVS · MILLIA
PASSVS ∞ ∞ ∞ PVRGAVIT · REFECIT
FISTVLAS · REPOSVIT · BALNEA · VIRILIA
VTRAQVE · ET · MVLIEBRE · DE · SVA
PECVNIA · REFECIT · POPVLO · VISCERATI
GLADIATORES · DEDIT · LVMINA · LVDOS
I · S · M · R · SOLVS · FECIT

In ultima linea ſingularia ſic interpetratur Fabrettus: *Iunoni Siſpitae Magnae Reginae*.

Balneis cum publicis tum privatis Servi cuſtodes adſignabantur, qui ea ſervarent & ornatiſſima adſidue redderent, quod ex hoc titulo adlato in Muratoriano Theſauro diſcimus Cl. XII. pag. CMXXV. num. 4.

L · PAVLLVS · L · L · AVCTVS
A. BALNEA · CVSTOS
H · S · E
L · PAVLO · MELAMPO · MVLIO

Me-

Memorant etiam vetusti lapides THERMARIOS, ut in eodem Thesauro Class. V. pag. CCCV. ex Antiatino marmore, quos Thermarum custodes fuisse arbitror. Item *Thermularios* pag. CMIX 4. Qui vero iisdem vel exstruendis, vel instaurandis praeerant, FABRI BALNEATORES adpellantur in iisdem veteribus inscriptionibus. At qui ipsis, qui lavabantur servitia praestabant, BALNEATORES & BALNEARII vocabantur, quorum in iisdem scriptis monumentis frequens mentio occurrit. Hi in omnibus parebant. MAGISTRIS A BALNEIS. Cum his coniungendus grex *Vnguentariorum*, *Institorum Seplasiariorum*, *Myrobrachariorum*, *Vnctorum*, *Pastillariorum*, *Ornatorum*, *Ornatricum*, *Vestiariorum*, *Tonsorum*, *Aliptarum*, *Iatraliptarum*, *Tractatorum*, *Medicarum* feminarum, quorum officia in vetustis sepulcralibus titulis consignantur, de quibus plura Pignorius de Servis. Hi quoque Praepositis suis parebant.

Florentiae in Museo Suburbano Strozio.

ASINIAE · C · L AMMIAE MATRI · FELICIS · FABRI BALNEATORIS	C · ASINIO · FELICI FABRO BALNEA TORI · VIXIT ANNOS · XXXIV

Ex Donianis Cl. VII. 142.

DIIS · MAN · SACR ·
PACHINO · DOMITIANI
AVGVS · SERVO · A BAL · PRIVAT
RHODIA · CONIVGI · DELICIO
SVO · FECIT

Ex iisdem Cl. VIII. 49.

FAVSTVS POPILLIVS
INSTITOR · VNGIN

Ex


Ex Donianis ibid. 144.

M · AVR · AVG · LIB · PHILETVS
PRAEPOSITVS · VNCTOR ·
ET · PROC · FARI · ALEXAN
sic DRIAE · AD EGYPTVM · LIB ·
ET · PHILETO · FIL · ET · TYCHE
CONIVGI · SVE · LIB · LIB
POSTERISQ · EORVM

Ex iisdem Cl. VIII. 88.

D · M
LICINIAE · PRIMIGENIAE
VNGVENTARIAE
LIC · AMOMVS · F · MATRI
B · M · VIX · A · LXXXI ·

In Museo Suburbano Strozio.



sic

Ex Schedis Puteanis.

T · FLAVIVS
AVG · LIB
EGLECTVS
AB VNGENTIS
FECIT · SIBI

Ex Donianis Cl. VII. num. 1.

P · AELIO · AVG · LIB · EPAPHRODITO
MAGISTRO · IATROLIPTAE · PVERORVM
EMINENTIVM · CAESARIS · N ·
QVI · VIXIT · ANNIS · XXX . CONIVGI
NICOPOLIS · CAESARIS · N · ET ·
SOTER · FILIVS · PATRI ···· MERENTI
FECERVNT · ET · SIBI · SVIS · LIB
LIBERTABVS · POSTERISQVE · EORVM

Athenis, ex Murator. Thes. Cl. XII. 8.

ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΑΠΕΛΘΕΡΟΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΑΛΕΙΠΤΗΣ
ΠΑΙΔΩΝ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΕΠΕΜΕΛΗΘΗ
ΕΥΤΙΚΗΣ ΚΑΙ ΠΑΝΤΟΝΕΙΧΟΣ
ΣΥΝΕΞΕΛΕΥΘΕΡΟΙ


H. e: *Augusti Libertus Antiochus Aliptes Puerorum Caesaris. Curantibus Eutyche & Pantonicho Conlibertis.*



Ex ant. marm. in Museo Suburb. Strozio.


In-

I



Recens aedificium, intus continens Pisanum antiquum Sudatorium.

II




Scenographia antiqui Sudatorii Pisani.


B. Sculp.

AD OCCASVM

I.



II.




Scenographia antiqui Sudatorii Pisani.

Mensura brachiorum XXX Florentinorum

B. S. sculp.

TAB. III. pag. 240

I




AD ORIENTEM

II



III



A. Cella recens · B. Cellarum fornicatarum vestigia C Vas fictile fractum · D Tubuli

Inſcriptiones antiquae in Agro Romano erutae anno MDCCXL. nunc exſtant Volaterris in Muſeo Guarnaccio.

234

D · M ·

MANSVETAE · FILIAE · DVLCIS
SIMAE · QVAE · VIX · ANN · IIII · DIEB · XVI ·
ET SEDA[illegible]·FIL·DVLC·V·A·I·M·VIII·ET MANSVETINAE·FIL·AMABILIS·V·A·I·M III·D·VIII *ſic*
MANSVETVS · ET · MARCIA
PARTHENIS · PARENTES
FECERVNT · ET · SIBI
SVISQVE · ET
SEDATO·FRATRI·INFELICISSIMO V·A·XXIX·M·III·

235

D · M · OCTAVIAE
NEREIDI
OCTAVIA · MONTANA
MAMMAE · B · M · F ·

236

IVLIA · C · L ·
STACTAE

In marm. viridi ant.

237

TVLLIA
L · TVLLI · L
MA

238

FAVSTVS · ET
VICTORIA·IAN
VARIE·FIL·EQV
E VIXIT · ANIS *ſic*
V·M·V·D·XXVIII·

237. MA. In alio lapide Muſei Suburbani Strozii in Parte I. pag. 368. num. 115. CLODIA. A. L. MA. legitur. In ſequenti num. 241. PRIMITIVA MA. hoc eſt *Mamma*, ſeu *Nutrix*, vel etiam *Mater*.

239

D · M ·
CALVIA CRIS
PINILLA · C · CAL
VI · FORTVNAT · F
PIA · VIXIT
ANNO · M · SEX
H. S. E. O. I. B. QVIESC

240

ANNIS XXV
NAEVIA
NICE
CONIVGI
SVO · BENE
MERENTI
FECIT

239. H. S. E. O. I. B. QVIESC. *Hic sita est. Ossa illius bene quiescant.*

241

D · M ·
T · MINVSIO
EVTYCHETI
VIX · AN · III · MEN · X ·
DIEB · XIIII ·
PRIMITIVA · MA ·
ET IANVARIVS · TATA
FECER ·

242

D · M
SERTORIAE
PHILVME
NE · P · SERTO
RIVS · BINI
VS · FILI · CA
RISSIMAE · ET
PIENTISSIM
AE · QVAE · VIX
IT · ANNIS · X
III · DIE VNO

241. MA ET TATA. Hoc est *Nutrix* & *Nutri-*

cius

cius; his autem blandis nominibus adpellari solent a pueris. Vel potius, ut vult Varro, *Mater* & *Pater*. Martialis Lib. I. Ep. 80.

Mammas atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dici & tatarum maxima mamma potest.

243

C · NANTIVS CALPVRNI · ACHATI F · APOLLINARIS · VIX A · XXIX	L · CALPVRNIVS L · L · ACESTES VIX · ANN · III

244

FILIVS · DVLCI
SSIMVS · DE · SVO
LABORE · SIBI
FECIT

245

P · MANNEIVS
COMMVNIS

246

AVILIA · EGLOGE
ET · AELIA · MATIDIA
SIBI · ET · SVIS · LIBER
TIS · LIBERTABVSQ
VE · POSTERISQVE · EO
RVM · FECERVNT

247

D · M ·
Q · GAVIO
FELICI
QVI · VIX · A · V · VI ·
GAVIVS
TROPHIMVS
FILIO · PIISSIMO
FEC

246. AELIA MATIDIA. Quod rarum, est coniuncta heic vides in una femina *Aeliae* & *Matidiae*

gentis nomina. Ex Aelia Hadrianus, qui Sabinam uxorem duxit, Matidiae ſororem.

248

D · M ·
P · AEL · EVCARPVS
NEVS · CERRONIVS
SATVRNINVS
ET · SVCCESSVS
LIBERTVS
P · AEL · TELESPHORO
BENE MERENTI
FECERVNT

249

D · M ·
C · VALERIVS · SA
BINIANVS. FECIT
SIBI · ET · SVIS · LIB ·
LIBERTABVSQVE
POSTER · Q · EORVM

250

D · M ·
FLAVIO · PRIMO
FECIT
FLAVIA · EDIAS
COIVGI
BENE · MERENTI
CVM · QVO · VIX · AN · X

251

C · IVLIVS · C · L ·
HERMES
IMMVNIS
SIBI · ET
L · CORNIFICIO
EROTI COGN
SVO F

251. IMMVNIS. De Libertis immunibus diſſerui ſatis luculenter dum lapides illuſtrarem Monumenti ſive Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae: Liberti *Immunes* ii fuere, qui libertatem gratuito, & ſine oneribus a patronis ſuis acceperunt.

D · M ·

252

D · M ·
IVLIAE · SATVRNINAE
MATRI · B · M · IVLIA
PRIMIGENIA · ET
CLAVDIVS · FORTVNATVS
SIBI · POSTERISQ · SV

253

D · M ·
CLAVDIAE · MARGARIDI
MATRI · DVLCISSIMAE
FECIT
CLAVDIA · PAVLINA · FILIA

254

FELICVLA
VIX · ANN · XX
DVLCIS · SVIS

255

M · OPSIVS · M · L ·
ANTEROS
OPSIA · M · L · CALISTE

254. DVLCIS SVIS. Laus pulcherrima: in aliis lapidibus CARA SVIS. PIA SVIS. etc. Idem encomium in lapidibus Christianis non raro occurrit.

255. CALISTE: scribendum CALLISTE.

256

ΑΣΣΤΡΑΓΑΛΟΣ
ΝΕΣΤΟΡΟΣ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ

257

LAELIA · L · L
THALLVSA
VIX · ANN · XXVIII
SVIS · CARISSIMA

256. Secundum Σ abundat: Hoc eſt *Aſtragali Neſtoris Liberti*.

258

DIS · MANIBVS
M · PLAVTIVS · A · L
PYLADES · V · A · LXXX
PLAVTIA · TYCHE
PATRONO · B · M · F ·

259

IANVARIAE
COIVGI · BENE
MERENTI · FECIT
MARITVS
AVR · BATA

In Vrna marmorea altitud. palm. II. & lat. I. cum dimidio, encarpis & anaglyphis perpulchris ornata.

260

D · M
L · PASSIENO · DIOPHITI
PASSIENA · ACTE
CONIVGI · BEN · ME
ET SIBI · FECIT

260. ACTE. Idem cognomentum habuit Claudia Acte, fumoſa Neronis Ceſaris liberta & pellex, de qua Suetonius in eius vita c. 28. *Paullum abfuit, quin iuſto matrimonio ſibi copularet: ſubmiſſis Conſularibus viris, qui regio genere ortam praedicarent.*

D · M ·

261

D · M ·
CANINIA · HELPIADA
CANINIAE · HELPIDIAE
ALVMNAE · B · M · F

262

D · M ·
GAVLAE · FELICVLAE
COIVGI · VIX · ANN · XXII
B · VI · DIEB · III

263

CERONTIA
QVE · VICSIT · AN
NOS · V

264

D · M · S
P · GYRSVS
H · S · E

265

OLLAE · P · F
NIMPHE
V · A · XXVI

265. OLLA · forte OLLIA *Ollia* familia notanda est.

266

L · BILLIENVS · NEO

267

G · SILIVS · TROPIM

268

CORNELIO
L · L · IASONI
CONIVGI SVO

269

CLODIVS
PAMPHILVS

270

L · OCTAVIVS
EVTHYCVS · Ɔ
VIX · ANN · LXX

271

SEX · MARIVS
SEX · L · EROS
MARIA · SEX · L ·
SECVNDA

272

MANIBVS
I · HILARI · POSVIT
PRIMA · CONIVGI
RISSIMO · ET SIBI

M · PA-

273

sic M · PACVIVS
ANTEROS
PACVVIA · HEDONE

274

CVVIVS · FAVSTVS
VS · SIBI · ET PACVVIO
NO · ET · POSTER
LC · COL · III · ET · IIII
IIII

274. COL. III. & IIII. Hoc est: *Columbaria tria & quatuor*. Columbaria, ita dictae sunt aediculae in parietinis sepulcrorum excavatae constructaeque, in quibus ollae cinerariae defunctorum reconditae, quorum opercula, quum in planitie aedicularum eminerent, columbaria referre videbantur, dum in his columbae nido suo incumbunt.

275

Q · MAGILI · Q · L · GENNAE
PRIMAE

276

PISCLANIA
HELENA · PIA · VIXIT

277

D · M ·
BVCIAE · TY
CHENI · FEC
IT · L · PACCIV
S · AMARAN
TVS · C · B · M

278

D · M ·
L · CANVLLIO
MASIDIANO
F · CANVLLIA
TROPHIME
PATRONO
B M

278. L. CANVLLIO. Id notandum, ne quis suspicetur scriptum L. CANVLEIO. *Canullia* familia ad

ad hoc tempus incognita, uti etiam aliae complures in his lapidibus adnotatae, quae nunc primum antiquariis innotescunt.

279

DIS · MAN ·
Q · SAENI Q · FIL · FAB
POMPEIANI
CONDI · III PAER
FVFICIA CLYMENA
VXOR
PROSPECTVS · ET
TRYPHERVS

280

O · ROMANO
MES · ET · AELIA
ATVRNINA · FILIO
PIENTISSIMO · FECERVV
QVI · VIXIT · ANNIS · III ·
MENSIBVS · VIIII
DIEBVS · XXV · ET
HORIS · V ·

279. CONDI · III. Forsitan interpretandum *conditoria tria*: vel potius scriptum CONDIT. II. Conditoria non raro in saxis numerantur. Sed quod conditoria numerari solerent ut columbaria, notatu dignum censeo.

281

P · LICINIVS
P · L ·
HERMIA

282

DIS · MANIB ·
PHILANTHROPI
VIX · A · XXVII

283

CN · CAECILIVS
ADVENA

284

QVADRATI

285

V · C · CARRINAS · C · L · CHRESTVS
CARRINATIA · C · L · FAVSTA
ET · FELICLAE · DELICIO

285. V. C. CARRINAS. Hoc est: *Vivens C. Carrinas* titulum fecit.

DELICIO. In aliis saxis DELICATO. Idem cognomen blanditiarum causa tam masculis, quam feminis libertis datum, de quo vide iam a me adnotata ad Lapides Columbarii Libertorum, & Servorum Liviae Augustae pag. 75.

286

CARRINATIA
PRIMA
CARRINATIA · C · L ·
VRBANA

287

XANTVS
VIX · ANN · XXII *sic*
OLYMPVS · OOITAMOS

288

DETELIA F
GRAPHIDI
SVLLIA GEMNI
sic MATRI · SVE
BENE
MERENTI
F ·

289

D · M ·
CLAVDIA
ARSINOE
PREPONTI
VERNAE
SVO
FECIT

COR-

290

CORNELIAE · CLEOPA
TRAE · VIXIT · ANNIS
VII · D · XV

291

TIMINIA
P · Ɔ · L · GNOME

292

D & M
SILVIAE PRIMIGENIAE
VIXIT ANNIS · XXXXVIIII
MENSIBVS VII
L · AVRELIVS · AVG · LIBERTVS
FORTVNATVS CONIVGI
SANCTISSIMAE ·:· ECIT

293

DIS · MANIBVS
L · CORNELIO · SATVRNINO
CORNELIA · TETHIS
PATRONO · ITEM
CONIVGI · ET · SIBI
VIX · AN · XXXX

294

D · M ·
CLAVDIAE · PHILETE
THREPTVS · CON
TVBERNALI · BENE
MERENTI · FEC ·
VIX · AN · XXXXV

293. Notat Fabrettus Inſcr. Cap. IV. pag. 289. frequentiſſimum eſſe, ut herilis adfectus in maritalem ſocietatem coaleſceret ; ideoque paſſim iidem *patroni & coniuges* in marmoribus ſepulcralibus inſcribi.

294. Ibidem apud Fabrettum num. 218. FLAVIA THREPTE.

295

T · F L A V I
FELICISSIMI
Q V I V I X I T
A N N O S I I I
DIES XXXXIIII
C· V I C T O R I N A
T·F NICEPHORVS
FILIO DVLCISSI
MO FECERVNT

296

DIS· MAN·
V L P I A E S E C V *sic*
D A E · P · A C I
L I V S · E V T Y
C H A S · F E C I T
C O N I V G I · C A *sic*
B E N E M E R E N
T I · E T S I B I
ET· M· VLPIVS· EVTICHI
F I L

295. C. VICTORINA. Cernis adnotatum familiae nomen per priorem tantum literam C. ut in ſequenti linea T. F NICEPHORVS·

296. CONIVGI CA. Legendum CARAE.

297

HERMETI CONIVG
CARISSIMO· B · M·
CVM · QVO· VIX · AN
XXVII

298

D · M ·
CL · VITALIS · FECIT
SIBI. ET · L· ANTONIO
PRIMITIVO · CON
I V G I · S V O ·

299

L · M A R C I V S
S Y N I S T O R

300

DEMETRIVS · TERENTIAES
L · OLLAS · V ·

Q·GAV-

301

Q· GAVLIVS GAVLIAE
STORCES· L· SECVNDVS
RTVS
VIX· AN N· XVIII·

302

SVLPICIA
PHYE· ET
AFRICANVS

302. Ollarum cinerariarum iconismum dedi ad Columbarium Libertorum, & Servorum Liviae, Tab. XX.

303

D· M·
NONIAE· SEX· F· EV
:VCHIAE VIX · ANN
OI· MENS· VNO· DIE
B· XXIII·

304

C. OPPIVS· C· L. OPPIA· C· L·
MNESTDR PHILIS
SIBI · ET · PATRONO
SVO · FECIT

305

D· M·
AEMILIAE · GEMINATHI
ALBISIO · GEMINO · F·
FECER·
ALBISIVS · FIRMVS · ET
AEMILIA. RESTITVTA
S· ET· SIBI· POSTERIS S··

D· M·

306

D· M·
VALERIO SALV
TARI · FRATRI · F
ECIT· VALERIA
PRI·SOROR·QVI
VIXIT· AN· AIIXX·

307

L · ARRVNTIV
APOLLONIVS
NEPHVSAE · L · SVAE
CARISSIMAE

308

Q· CAECILIO
PRIMO
O· L·

309

OSSA
M. OPSI· PHILADESP

310

L· TVLLIVS
AMVNTA

311

L· SESTIVS
Ɔ· L· EPAPHRA

In marmore antiquo flavo.

312 AVRELIVS· Ɔ · L · EROS
AVRELIA · T· L· FELIX

D·M

313

D · M
LVCCIO · CLE
TVLICO GΛETV
HCVS · F · F

314

C · IVLIVS · C · L · AQVA
DAMA · M · ALF
VIXIT . AN · L · ANCIL

312. AQVA. . . . Forte: AQVARIVS.

315

L · SEXTILIVS · L · L · CHARITO
SEXTILIA · L · L · LAIS

316

T · MANLIVS
FELIX

317

C · IVLI . EROTIS
VATIAE · OLL · II ·

318

P · FALANIVS · P · L
VRBANVS

In titulo 387. & 398. *Vatia* & *Falania* familiae plebeiae nunc primum mihi innotefcunt.

319

D · M ·
[illegible]ODIAE · P · L · RESTITVTAE
QVAE · VIXIT · ANN · XXIIII
MENSIB · X · DIEBVS · XI
SVCCESSVS · SORORI
DVLCISSIMAE · DE · SE · BENE
MERITAE

320

OCTACILIA
Ↄ. L · IPHIS

321

D · M ·
C · L · TRYPHAENA · C · L
TPVPHENÆ FILIA · SE
SVAE · DVLCISSIME E · Q · V ·
A. . . . M · X · D ·

D ·

322

D.
VENTICIVS· ALEX
DER FECIT
MVTIO · DORO . P ·
BENEMERENTI E
LIBERTIS· LIBERTA
BVSQVE· POSTERISQVE· E
RVM

323

D · M ·
C · ARVNCEIVS· PHILETVS
ARVNCEIAE · SOTERIDI ·
LIBERTAE · DULCISSIMAE
INCOMPARABILI BENEME
RENTI · FECIT · ITEM · LIB ·
LIBERTABVSQVE · POS
TERISQVE · EORVM

324

D · M ·
SERTORIAE · NATALIS
P· SERTORIVS· BLASTVS
CONIVGI · kARISSIMAE
QVAE · VIXIT · ANNIS· L
HOC · AMPLIVS · SVPER
FILIAM · SVAM · SERTORIAM
PHILVMENEN · MENSIB ·
VIII · DIEB · VII ·
B · M · P ·

325

OCTAVIAE
M · F · THOPHILAE
M · TVSISIVS
PROBVS · CONIVGI
KARISSIME · ET
DE · SE · OPTIME ET *sic*
BENE · MERITAE
ET· C · FABIVS· TERTIVS
PATER · FIL · DVLCISSIMAE
QVAE · V · A . XXXV·
FECER ·

326

M · D ·
FAVSTAES· ET· PRIMI
MATRIS . ET · FILI
POTITVS . CONSERVAE
BENE · MER
POSVIT

327

OSSA
APPIAE · SEX · L
CALETYCHINIS

In

In marmoreo Sarcophago elegantissimo, opere anaglypho caelato ita scriptum in titulo, quem duo Genii alati sustinent.

328

M· D·
EGNATIVS
ASCLEPIADES
sic FECIT · AELIAE
CASTE· PATRO
NI · VXORI
B· M·

329

D· M·
CLAVDIAE
EPIPHANIAE
PROCILIA · ET
FORTVNATA
LIB· PATRONAE
B· M· FECER

330

D · M · S ·
CLAVDIA· EVHODIA
TIBERIO· CLAVDIO
MARTIALI· CONIVGI
CARISSIMO · DE · SE
BENE · MERENTI · FECIT
OLLA·DONATA· A·FLAVIA
ESIADE

331

D· M·
P · AELIVS
PHARION
RODOPENI
FIL· PIISSI
MAE · QVE · VI
XIT·AN·X·M·IIII

332

PROTA·ARRONIAE
LIBERT

333

OPSIVS. CLAVD

334

ΔΕΚΑλΟΥΜ
ΗΝΕΙΚΟCΙΔΕΗ
ΠΑΗΡωCΑCΑ
ΚΟΜΟΥΔΟΥ
ΓΕΝΕCΙΟΙC
ΝΤΑ ΔΕΚΕΙ

335

AVRELIA · T · F ·
AMANDA
VIX · ANN · XIIX

336

DIS · M ·
POMPEIAE
C·F·SEVERILLAE
FRATRES · F ·
SORORI

337

D · M ·
COMINIAE · SVCCESSAE
GOMINIAE · SVCCESSAE
RACDVS · COIVGI
M ·

338

D · M · S ·
EPAPHRODITO
PIERIS · CONIVGI
CARISSIMO · FECIT

339

C · COTIVS · Ɔ L
CHRONIVS
PONTIA · TERPVSA

340

L · LARTI · CORIMBI ·

341

L · LARTI · ZETHI

D · M ·

342

D · M ·
M · BEPSSANIO
MARCIONI · CON
IVGI · SVO · BENE
MERENTI · FECIT
PVBLICIA·HERONIS

343

BENNIA·Ɔ L·ANTIOCHIS
SIBI · ET · SVIS
LIBERTIS · LIBERTABVS
POSTERISQVE · EORVM
PARIETE· DEXTERIOR·OLLAS·L·

344

D · M ·
L · BENNIO · CAPITOLINO
V· A· XIII· M· I· D· VIII· DVO
BENNI· EPICTETVS· ET· ZOSA
PARENTES · PIENTISSIMO · FIL· BENE
MERENTI · FECERVNT

345

D·M·S·
PHILOCY
RIO· BENEM
ERENTI· PA
TER·FECIT

346

P · SATRIVS
P·L·BLASTVS
VIX · AN· XXV ·

347

L · NONNIVS · L · L
DIO · OLLAS · II

348

T · SVBSIFANI
ANTIOCHI

349

CAVDINAE · L · F ·
PRIMAE
VIX · ANN · LXXI

350

L · CVRIATIVS · P · F ·
PAL · VRBICVS
VIX · AN · LI ·

351

D · M ·
M · CLAVDIVS · NYMPHODO
TVS · PATER · OB · PIETATE̅
ET · OB · MEMORIAM · CA
NINIAES · MARINAES
CONIVGIS · ET · FILIAE · CA.
RIS · · AE · ET · M · CAECI
LIVS · · ..RISOR · MARITVS
EIVS · · · · CERVNT · T · C · L ·
M A · · INAE · Q · V · A · XVIII ·

D · M ·

352

D · M ·
FLAVIAE · NICE
T · FLAVIVS · EVANGELVS
CONIVGI BENEMERENTI
FECIT · SIBI · LIBERTIS
LIBERTABVSQVE · SVIS
POSTERISQVE . EORVM

353

DIS · MANIBVS ·
PVDENS
VIXIT · ANNIS · XXX
AMARANTVS · CONIVGI
FECIT ·

354

CAECILIVS · RVFIO
FABIA · HELENA ·

Sequentes Christianorum Inscriptiones exstant in eodem Museo Guarnaccio.

355

VRSE · BENEMERENTI · QVE · VICXIT
ANNOS · III . M · III · DIES · XXIIII · DEP ·
XVIII · KAL · SEP · IMPACE · PARENTES FILIAE
DVLCISIME · FECERVNT

356

BENEMERENTI
ZOSIMETI · QVE · VIX
AN · V · M · IIII · D · XIII



357

NICENE
IN PACE



AR-

357

ARCLA

FLORENTINA
FIDELIS · IN · PACE
VIX · AN · V · MES · VIIII
DIES · VIIII

358

B · I · KEN · TI. OYC
E · NI · PHNH
ΠΡΟ · ΓΙ.

359

PEREGRINA ' IN PACE

Antiqua Romanorum SIGILLA aerea ſignatoria, quae in Muſeo Guarnaccio adſervantur.

360

CIPP R P R
CVoCoS II

361

Q FLABEIVS
FELIX

362

P TETTI
FORTVNATI

363

ROCCHI
ACTORIS

VET-

364

VETTIAE ♂
RESPECTAE

365

C·LVCCE
LATINIA°

366

MI CRASSICI
HYBLESSIS

367

C· LVRI
RVFINI

368

SALUS

369

P· P· B

370

SEX· EC
NI CAEN

371

CLEO
PATRI


372

L· OPPIVS
PRIMICE


373

IVLIA
NVS


374




375




376




377




378



379



380




381

In Sigillo referente delphinum.


ᴧ O

V A L · M A X

382




383




378. Hoc eſt : *Publii Succeſſi.*
379. Hoc eſt . *Vivat* V· Q· *Procillaes.*

EV-

384




385



Sigillum aereum obsignatorium veterum Christianorum.

386



Hoc eſt : MARCHOS : id eſt : *Marcus*.

360. Perdifficilis mihi videtur huiuſce Sigilli obſignatorii interpretatio. Quid coniecturis conſequi poſſim, lubet experiri. CIPP R P R CV COS II · Videndum, num haec conveniat : CIPPI RELIGIOSI PEDES RETRO CV · COS · II · Lucem huic interpretationi praebent alia monumenta, quae in Gruteri Theſauro leguntur pag. CXCVI. 3. & 4. ubi cippi figura oſtenditur, & inſcriptio, imperante Auguſto exarata, haec habet : EX · S · C · TERMINAVIT : : R · PROX · CIPP · PED · CLXV-IS · Publica opera & religioſa loca cippis terminabantur. Cippi numerari, itemque pedum numerus indicari ſolebat. In alio Gruteriano ſaxo pag. ſequenti CXCVII. I · CIPPVS · DECMVS · (*ita*) A CIPPO DECMO · AD · PRIMVM · PED LXXXXVII · In duobus cippis 2. 4. & 5. qui eo loci ſequuntur, haec ſcripta : EX · S · C · RESTITVER · R · P PROX : CIPP · P :

 CLX-

CLXIIIS: item: TERMINAVER · R · R · PROX · CIPP · P · CLXXIIII · Eadem in ſequentibus pag. CXVCIII. 1. 2. 3. 4. 5. Singularia ita explicat Ioſephus Scaliger, & ex eo Vrſatus: *Reiectis ruderibus proximo cippum pedes, centum*, &c. vel *proximo cippo pedes centum* &c: ad quae monumenta vide quae obſervat Wilelmus Goeſius Antiquit. Agrariar. Cap. XII. Cipporum in religioſis locis definiendis uſus liquet ex ſequenti cippo, qui in Gruteriano Theſauro adſertur; at in antiquo Codice Bibliothecae Strotiae quum paullo aliter idem cippus inſcriptus adſeratur, & deſinat in fine ARBOREM PONERE: & quum notetur ſcriptum fuiſſe ex archetypo penes *D. Benedictum Saxam*; coniicio forſitan eamdem epigraphen in ſingulis cippis ſculptam fuiſſe, quae ita ſe habet.

HAEC . AREA . INTRA . HANC . DEFINITIONEM CIPPORVM CLAVSA. VERVBVS. ET. ARA. QVAE. EST. INFERIVS DEDICATA . EST . EX . VOTO . SVSCEPTO . QVOD DIV ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM. INCENDIORVM ARCENDORVM . CAVSA . QVANDO . VRBS . PER . NOVEM DIES. ARSIT . NERONIANIS . TEMPORIBVS . ET HAC LEGE . DEDICATA . EST . NE CVI . LICEAT . INTRA . HOS TERMINOS . AEDIFICIVM . EXSTRVERE . MANERE NEGOTIARI . ARBOREM. PONERE. ALIVDVE . QVID SERERE . ET VT PRAETOR . CVI . HAEC . REGIO . SORTI OBVENERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE QVIS MAGISTRATVS . VOLCANALIBVS X . KAL . SEPT . OMNIBVS ANNIS. VITVLO. ROBIO. ET. VERRE

Alteram huic ſimilem inſcriptionem, iisdem fere verbis conceptam, imperante Domitiano, adſert Io. Petrus Bellorius ad Tab. XVII. Fragmentorum veſtigii veteris Romae pag. 70. & ex eo Sponius inter Miſcell. Erud. Antiq. Sect. IX. pag. 292. Alia in hanc

hanc rem magis opportuna adcuratius observanda nobis suppeditabunt vetusta monumenta, ex quibus eluceat loca sacra itemque opera cum publica tum privata sigillis obsignari, ni fallor, consuevisse: vel potius scriptas tabulas, in quibus locorum termini desiniti erant. Notandum, quod hoc sigillum litteris non exstantibus, sed incavatis insculptum est, quae impressae prominentes efficiuntur. Quid COS II? Penes Consules auctoritas fuisse videtur & ius obsignandi: nam terminatio & restitutio, ut docent antiqui lapides, Senatus consulto fiebat.

In Sigillo adlato a me num. 261. notanda est familia *Flabeia*, ad hoc tempus antiquariis incognita. In altero num. 363. legitur ROCHI ACTORIS. Emendandum typothetae sphalma, qui, non ut habet sigillum ROCHI; sed perperam, me inscio, scripsit ROCCHI. Ita igitur S. ROCHVS scribendum in sacris Diptychis & Kalendariis XVII. kal. Septembris, atque ita etiam pronunciandum esse, hoc exemplo in tota antiquitate rarissimo docemur. De *Actoribus* plura habes apud Pitiscum congesta in Lexico, quae vide, si otium est. Iam alibi adnotavimus in sigillis insculptas festivas adclamationes: ex his etiam laeta omina captata fuisse perspicuum est, de quibus consulendus Kirchmannus de Annulis Cap. XXIII. In hac serie recensendum sigillum, quod habes num. 368. quod plantam pedis, seu soleam refert, & in eo scriptum SALVS. & quia alteram similem litteram saepenumero non geminabant, forsitan legendum SALVVS. Ita in aliis monumentis SALVIS DOMINIS. Quum dominus possessionem rei caperet, id auspicato facienti, adclamari solebat ut salvus esset, & his bonis feliciter uteretur. Sigilla obsignatoria, quae vel pedem, vel plantam pedis referunt, adhibita fuisse censentur in acquisitione possessionis rerum immobilium, quae

pedibus calcantur; nam *possessio* apud Paulum Ictum de astro. l. 1. de acquir. vel amittend. poss. idem valet ac *pedum positio*; quare pedes instrumentum aptum; manus vero instrumentum designat acquisitionem bonorum mobilium. Haec observat V. Cl. Boldettius in Observationibus in Coemeteria SS. Martyrum Lib. II. Cap. XIV. pag. 507. qui hisce similia adfert sigilla obsignatoria.

In sigillo, quod exhibitum est n. 370. legendum videtur: *Sexti Egnati Caen.* forsitan *Caenei*, quod cognomentum fuit Iovis, religiose culti a Caeneis: vel *Caeniensis*, desumto a patria cognomine, nimirum Caenina urbe Latii, cuius regem bello devicit Romulus, auctore Livio Lib. I. Sed quid n. 371. CLEO PATRI? Quid in altero n. 365. C · LVCCE LATINIA? Non Oedipus, sed Davus sum. Alia sigilla ex aere obsignatoria non pauca in eodem Museo Guarnaccio servantur, quae D. Marius Guarnaccius, Praesul eruditissimus, numquam satis a me laudatus, egregio studio sibi & patriae ornamento conquisivit.

Pisis, in Aede S. Andreae, ex Cl. Muratorio pag. MDXIII.

387


XANTIPPES SILVERIAE
C· CASSIVS LVCILIANVS
ALVMNAE DVLCISSIMAE

387. Cassia familia reliquis antiquis Pisanis addenda est, auspice hoc lapide. In secundo versu scriptum arbitror LVCILLIANVS.

In

In Hortis Marchionis Riccardii quae sequuntur Inscriptiones olim exstabant ; postea vero quum omnes in Aedes Riccardianas transferrentur, ut puto, perierunt. Ex Schedis Donianis.

388



388. Vidit & accurate exscripsit doctissimus Donius omnes Riccardianos lapides, quum exstarent in Riccardianis Hortis prope Arcem S. Ioannis. Ibidem ego quoque exscripsi. Non paucos ex his in Mediceum Museum iam antea transtulit Apollonius Bassettus, Canonicus Basilicae Laurentianae, dono sibi datos a Marchione Francisco Riccardio.

Idem

Idem Baſſettus poſt mortem heredem reliquit Coſmum III. Etruriae Magnum Ducem; adeoque omnia antiquitatis monumenta & numiſmata quae ſervabat, Muſeo Mediceo ceſſere. Eosdem lapides, in iisdem Hortis ſub dio expoſitos, & parietibus circumquaque inſertos, exſcripſit quoque Nobiliſſimus Petrus Andreas Andreinius, Patricius Florentinos, qui ſuas Schedas mihi dono dedit.

Ibidem, ſub icone triclinii.

389

ΕΥΟΔΙΑ ΒΟΗΘΟΥ ΓΥΝΗ
ΧΡΗϹΤΗ ΧΑΙΡΕ

Ibidem, ſub icone triclinii.

390

ΕΥΦΡΟΣΥΝΗ
ΛΟΥΚΙΟΥ ΑΛΒΑΝΙΟΥ ΚΛΑΔΟΥ
ΧΡΗϹΤΗ
ΧΑΙΡΕ

Ibidem.

391

DIS MANIB
SPECVLAE V · A · LXXXV
M CLODIVS
NYMPHIVS MATRI
PIISSIMAE ET LIBERTIS
LIBERTABVS POSTERIS
QVE SVIS

Ibidem.

392

D M
BIBIVS BER
CILIV BIBIA
E SIMPLICIAE
FILIAE DVLCIS
SIMAE . Q . VIXIT
AN . III . M III D XXVII

Ibi-

Ibidem.

393

A XX M VI PRO
TAS · B · M · FECIT

Ibidem.

394

L · DORCλDI · λ
VTYCHES CONIV
· · · · OSIDI SVISQ
EORVM

In iisdem Hortis Riccardianis exſtabat ara perparva, cuius inſcriptionem ſupra dedi pag. 126. num. 131. Donius qui exſcripſit, ſcriptum in ea teſtatur EΞ ΕΠΙΤΑΓΜ ΘΕΟΥ

In Aedibus Riccardianis.

395

D λλ
GERλλλNIVS VICTOR λ λλIλITIS
COMPλRλVIT SIBI ET GERλλλNI
λE VRBλNλE CONIVGI SVλE ET GER
λλλNIS VICTORINλE ET VICTORINO
FILIS ET GERλλλNIS LIBERTIS LIBER
TλBVSQVE POSTERISQVE EORVλλ

395. Protuli hunc lapidem in Par. I. pag. 97. n. 51. ſed quum in ſchedis Donianis in ſecunda linea a Cl. Donio exſcriptum legerim λ λλILITIS: ſinceram lectionem probavi, & eo loci lapidem, nunc valde conſumtum, ſupplendum, iterumque producendum cenſui A MILITIS: hoc eſt *A Militiis*. Germanus Victor is erat, qui infimo ordine militibus in exercitu ſerviebat.

In

Florentiae, in Museo elegantissimo Nob. V. D. Augustini Cerretani, de Cerreto, Canonici Florentini.

396

D M
IVLIA SATVRNINA
C· IVLIO · CANDIDO · AVIO
DVLCISSIMO · BENE ME
RENTI · FECIT · QVI VIXIT
ANNIS · LXXXVII · HO
VNA

Ibidem, in arcula marm. encarpis & aviculis serpenticulum carpentibus ornata.

397

D · M
CN · POMPEI
ARTEMAE
FECIT

Florentiae, ex Sch. Ambrosianis, ex Cl. Muratorio pag. MCDXXVI.

398

D · M
ZOSIMO · C̄ · N̄ · BERNVLA
CASTREN · DONATA
CONIVGI PIISSIMO
B · M

398. Hoc est: *Diis Manibus Zosimo Caesaris Nostri Vernulae Castrensi*. Vernarum, seu Vernularum Castrensium, qui in Castris infimo servitio fungebantur, nullam, praeter quam in hoc lapide, mentionem invenio.

Lu-

Lunae, olim in urna marmorea in S. Ioannis Baptistae, nunc Lucae apud Nobb. Bernardinios, ex Cl. Muratorio Tom. III. Thes. pag. MCCLXXX. VI. 2.

399 C · VILLIVS · C · F
MATERNVS
C · VILLIVS · C · FIL ·
PALATINA APER
VILLIA · PHASIS
QVAE RVBELIA
PROCLA · C · VILLIO
INVENTO · PATRI ET
PATRONO OPTIMO
D M · D D

399. In 3. linea ex N · V · Campagnonio notat Cl. Muratorius scriptum C · VILLIVS · C · L · (forsitan C · F ·) in sexta RVBELLA · quae scriptura magis consonat.

Florentiae, apud Nobb. Gaddios, ex Malvasia & Muratorio.

400 D M
LVCI BALERI
ORTVGIONIS
VALERIA VALENTINA
CONIVGI BENEMERENTI
FE CIT

Ibidem, in marmore in plura frusta diffracto.

401

D M
Q · POMPONIVS CORINTHVS
PETRONIA ROMANA ET
PETRONIA · · · · IIS QVAE VIXIT
ANNIS VIII · MENSIBVS VIII
DIEBVS VII
LIBERTIS LIBER · · · · ·
POSTERISQVE · · · · · · ·

Florentiae, in urbanis Hortis Excellentiss. Principum Corsiniorum, urna marmorea rotunda.


402

D · M
P · FVLVIO · VENERIANO
QVI · VIXIT · ANNIS · XX
P · FVLVIVS · ATHENIO · ET
FLAVIA · VENERIA · PARENTES
FILIO · CARISSIMO · FECERVNT

Ibi-

Ibidem. *Ibidem.*

403 404



Florentiae, in Museo Gaddio, in pondere e marmore Lydio nigerrimo.


405 *sic*

EX · AVCTORITATE · Q · IVNI RVSTICI PREF · VRBIS

405. Huiusce ponderis inscriptionem mancam superius dedi pag. 7. num. 2. idque mihi sero innotuit, quum iterum idem pondus in eodem Museo observarem. Q. Iunius Rusticus Praefecturam Urbis exercuit imperante Marco Aurelio (apud quem omnia potuit) anno V. C. DCCCCXV. Christi CLXII. secundum Baronium CLXIV. Eo autem Urbanam Praefecturam gerente, B. Iustinum morte affectum constat ex eius Martyrii Actis, a Baronio laudatis. Vide Pagium in Critica Historico-Chronologica in Annales Baronii in hunc annum num. IV. pag. 157. Vide etiam Th. Reinesium in Epistola XXXIV. ad Rupertum pag. 216. & 217. & Consulares Fastos Relandi pag. 35. Huic alterum pondus persimile adfert Fabrettus Inscript. ant. Cap. VII. pag. 525. num. XXVII. qui notat Scaligerum perperam recensuisse Q. Iunium Rusticum inter Praetores Vrbanos; quum ex his & aliis penes Gruterum pag. CCCXXI. & CCXXII. Praefectus Vrbis scribatur.


Quatuor aerea Sigilla obsignatoria exstant inter Cimelia D. Theodori Davanzati, Abbatis ex Ordine Cisterciensi.

406





407



In altero, quod lunam falcatam refert.

408

·CONSTANTII·

In lamella aerea, ex Schedis Cl. Senatoris Philippi Bonarrotii, quam apud se exstare scribit.

411

LOLLIANI
V · C · PRAET
TRIVMPALIS

In altero, quod soleam, seu calceum refert.

409

C · A · S

410

In alio penes Cl. Mannium.

C' AT, PI

Ibidem, in tegula.

412

T·· VETTI
FVSCI

Ibidem, caput galli gallinacei ita inscriptum.

413


Σ Ω Τ Η Ρ Κ □ Σ Μ Ο Υ

Memorare lubet fortuitam sarcophagi marmorei inventionem, quae nostra aetate contigit, anno nimirum MDCCXL. Aestate huiusce anni, quum proleta-

letarii aliquot homines in Arno se lavarent parte laeva e regione casarum, quae naucleroruin dicuntur, extra Portam S. Frigdiani, eo plane in loco in quo onerariae naves consistere solent; forte accidit ut quidam natando incurreret in sepulcrum; quod quum intus vacuum invenisset, rei novitate curiosus factus, amicos convocavit; qui tandem multo labore, adhibitis organicis instrumentis, sarcophagum ad altiorem fluminis ripam asportarunt. Marmoreum hunc sarcophagum vidi ad diem V. Kal. Septembres eiusdem anni, qui longitudine sua aequabat Romanos pedes circiter sex; latitudine vero ferme tres, altitudine circiter pedes itidem tres. Intus excavatus, ovalis erat figurae. In utroque latere sculptae erant figurae duae stantes: dextrorsum uxor stolata cum avicula ad pedes: laevorsum eius maritus pallio indutus, nudo tamen pectore & dextro brachio, pedibus ad mediam usque tibiam calceis ornatis. In medio coibant striae. Sculptura erat rudiuscula: marmor candidum & perpulcrum.


In Sigillo aereo apud me.

414



In alio Sigillo aereo apud me.

415



414. Primum Sigillum, in agro Pisciensi repertum, mihi dono dedit Ornatissimus Vir Antonius Florius, Eques Sacri Ordinis D. Stephani: alterum vero mihi nuper sublatum.

Anno MDCCXXXI. prope collem vulgo *Spieri*, in agro Pisciensis Dioeceseos, inter rudera antiqui aedi-


aedificii inventum ſepulcretum veterum Ethnicorum, atque iuxta illud complura vaſcula fictilia, quae ab imperitis ruſticis eſtracta ſunt: inter haec inventa quoque lucerna fictilis cum hiſce litteris in inferiore eius baſi ſcripſit.

C DESSI

Alia quoque antiqua Conditoria in Piſcienſi agro eruta non raro ſunt, quae deſcripſit patriarum antiquitatum diligens inveſtigator Franciſcus Maria Galeſſius, Nobilis Piſcienſis, qui haec mecum communicavit. DESSIAE familiae nulla habetur mentio in antiquis marmoribus tum Gruterianis, tum Reineſianis et Donianis. Apud Fabrettum in laterculo militum Cohortis I. Vigilum ſub Centurione Quintino numeratur Deſſius, Inſcr. ant. Cap. IV. pag. 262. Non raro etiam occurrit *Dexia* familia.

In Vrna marmorea cineraria, inventa in Agro Florentino, VII. ab Vrbe lapide, prope Pratolinum.

416



416. Hanc Vrnam perelegantem dono accepit ab amico ſuo optimo D. Bartholomaeus Arrigonius, Sa-

Sacerdos Florentinus, I. V. D. & antiquitatis eruditus cultor. Inſcriptum titulum duo Genii utrinque ſuſtinent. In utroque latere eiusdem Vrnae ſculptum cernitur ſcutum cum gladio; quae emblemata Quadratille non conveniunt, ſed potius patri Tampio; qui tamen nec miles, nec eques nominatur.

Apud eumdem.

417
A C VINCTIVS · ATITIA · C · L · ATILIA · C · I ·

Apud eumdem.


418
D · M
DECRIAE FELICLAE

L · DECRIVS EPAFRODIDVS
FILIVS ET
DECRIA DONATA
ALVMNA PARENTIBVS


418. In tertia linea cernitur ſpatium; ſed deſunt litterae. Non dubito ſcriptum fuiſſe nomen patris L. Decrii Epaphroditi, & Decriae Donatae, filiorum eius.

In lapide tophaceo, in quo exstantes impressae sunt utrimque litterae huiusmodi, quae quidem haud genuinae censentur in Museo meo adservatur.

419



420



In tubo plumbeo, long. Ped. I. Vnc. VI. alt. Vnc. V. in quo litterae exstantes impressae: exstat in meo Museo.

421



In altero tubo adsimili plumbeo, long. Vnc. XII. alt. Vnc. V.

422



422. Vterque plumbeus tubus, cum aliis innumeris eiusdem moduli tubis, hoc anno MDCCXLI. inventi sunt Romae, retro, transactis Thermis Diocletiani in Vinea, ut aiunt, Novitiatus RR. Patrum

trum Societatis Iesu in Quirinali, quo in loco adhuc rudera veteris aedificii supersunt: nec dubium est & ibidem fuisse *Castra Praetoria*, quae in altero tubo, qui cum superiore coniunctus erat, memorantur. De his Castris luculenter Alexander Donatus S. I. de Vrbe Roma Lib. I. Cap. V. Famianus Nardinius de Antiqua Roma Lib. IV. Cap. IV. qui disertissimam antiqui Interpretis Iuvenalis adfert auctoritatem in Sat. X. *Iuxta aggerem primus castra posuit Seianus, id est super Diocletianas, quae dicta sunt Castra Praetoria*. Hi tubi ad aquam Marciam derivandam in Castra deserviebant; siquidem, praeter balnea, fontes quoque in Castris Praetoriis fuere ad usum militum, qui vel potarent, vel se lavarent; de quibus Herodianus & Capitolinus. De his mentio fit in antiquo lapide apud Onuphrium Panvinium in Descriptione. Vrbis Romae pag. mihi 38.

Q · AQVILLIO . SABINO · II ·
COS :
SEX · AVR · ANVLLINO

CASTR · PRAET · L · VRVAS · OFF · PED CCCLXXXIII ·

AQVA · MARC

Celeberrimus Norisius in Epist. Consul. pag. 128. miratur Panvinium, quum in fistula legatur SEX · AVR · mutata familia, *Cornelium* nominasse, quod etiam fecit Almelovenius. Ex Fastis Relandianis pag. 132. videtur legendum ANVLINO, non vero ANVLLINO: subspicor etiam scriptum Q · AQVILIO. Hos Consules suffectos esse posse, imperante Caracalla, censet Cl. Tillemontius. Plumbeos hos tubos dono statim ad me

misit vir de antiquitate, deque litteratis hominibus, inter quos Cl. Muratorius recensendus est, qui eo auspice novum Thesaurum Inscriptionum antiquarum locupletavit, optime meritus Franciscus Ficoronius; qui per epistolam monuit alios tubos hisce similes sibi comparasse Cl. Marchionem Maffeium: alios reconditos in Kircheriano Collegii Romani Museo, in quibus plumbarius tuborum artifex *Terentius Cassander* nominatur, imperante M. Opellio Macrino, cum hac epigraphe

IMP · CAES M OPELLI SEVERI MACRINI AVG

CASTRIS PRAETORI *sic.*

TERENTIVS CASSANDER FECIT

In meo nomen *M. Opellii Severi Diadumeniani Caesaris Principis Iuventutis*, eius filii, adnotatur. De eo haec Capitolinus: *Sciendum praeterea, quod* CAESAR *fuisse dicatur, non* AVGVSTVS *Diadumenus*, (horum monumentorum, auctoritate emendandi auctores sunt & ipse Capitolinus, reponendumque *Diadumenianus*, loco *Diadumenus*) *quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradiderunt*. Illud praeterea notandum, ab antiquariis magni nominis, & in editis quoque libris, a doctis hominibus peccatum esse in scribendo familiae nomine huius Imperatoris; nam scribunt vel OPELIVS, vel OPILIVS; quum constet ex his indubitatae fidei monumentis, scribendum esse OPELLIVS. Numismata, in honorem Macrini cusa, integrum eius familiae nomen non praeferunt; quare in eo scribendo facile in errorem lapsi sunt antiquarii: ne quid dicam de Claudio Salmasio, qui Capitolini textum inemendatum reliquit, contra fidem numismatum & lapidum antiquorum.

Ae-

Aereum collare servi fugitivi, nunc penes me exstat.

418



418. Hoc collare mihi dono dederat Praesul amplissimus Leo Stroza; postmodum ego donaveram V. C. Ioanni Baptistae Casottio, Comiti & Patricio Pratensi, mihi amicissimo. Idem antequam fato suo fungeretur, quod nuper accidit moerentibus Musis ac litteris, quas impense coluit, me flagitante, illud mihi redonavit. Iam editum vide in Parte II. huius Operis pag. 145. Iterum producendum censui, quia in principio legendum videtur BVLLA: deinde reliquae literae significant TENE ME NE FVGIAM. De hisce litteris per puncta incisis, vide Cl. Boldettium in Coemet. SS. Martyr. Lib. II. Cap. XIV. pag. 509.

Heic ingenuus pudor me monet ne eiusdem clarissimi Praesulis Leonis Strozae, viri doctrina, probitate, atque humanitate ornatissimi, ad iuvandas optimas artes, clarosque ingenio & eruditione homines nati, eximias laudes silentio praeteream. Huius Praesulis ornatissimi, veterum elegantiarum arbitri, & Musagetae nomini primam Partem huiusce mei Operis Inscriptionum antiquarum, quae in Etruriae Vrbibus exstant, iam inscribere destinaveram, idemque summa humanitate optima benevolentiae suae auspicia promiserat: sed reipublicae litterariae, studiorumque fato, dum perennem obsequii & benevolentiae meae tesseram pararem, gloriae suae laudique aeternae maturus occubuit. Haud iniucundum, sed valde gratum doctis hominibus fu-

turum arbitror, si primus elegantissimum Epigramma heic subiiciam, quod in laudem eius celeberrimi Musei in vestibulo mox scriptum, post eius obitum amicus quidam meus ad me misit.

MARMOREOS VVLTVS. ANTIQVA TOREVMATA. GEMMAS.
ECTYPA SOLLERTI SVLPHVRE DVCTA MANV.

MYSTICA SISTRA. GRAVI DECRETA INCISA METALLO.
ARTE LABORANTI FRAGMINA MVLTA VITRI.

MVRRHEA FRVSTA. TRVCES SCAENAE MIRACVLA LARVAE
ERVTA LONGAEVO SAXA DISERTA SITV.

AMVLETA. NOVO PRETIOSA NOMISMATA CVLTV.
DENSORVM INGENTES CONGERIES LAPIDVM.


DENIQVE NATVRAE ATQVE ARTIS CIMELIA MIRA.
PRAEBET INEXHAVSTO STROZIA GAZA SINV.

CVMQVE NOVA SPECIE NITEAT TAM RARA SVPELLEX.
RARIVS AT DOMINO NIL HABET ILLA SVO.

Digna tanto viro praeconia proferet amicus meus optimus, de litteris & de antiquitate optime meritus, Eques Franciscus Victorius, qui hunc aliosque doctos homines se laudaturum nuper promisit in Dissertatione Glyptographica pag. 127. facturumque operi suo hunc titulum: *De Viris nostro aevo editis ingenii monimentis, vel eruditionis fama claris*.

Exstat heic in Museo suburbano Strozio ara marmorea dedicata Dianae Invictae a duobus Voluminiis Vero & Severo, quam protuli in Par. I. pag. 333. num. 2. Alteram aram, ab iisdem dedicatam Minervae, lubet heic adiicere, quae docet praenomen *Luciorum* eos habuisse: ea exstat Romae in vinea, quae dicitur *di Campo vecchio* Nobb. de Gavottis, prope Cryptam Ferratam: quam de-
scripsit

ſcripſit, & ad me miſit idem praelaudatus V. C. Franciſcus Eques Victorius.



Docet etiam haec elegans ara Volumniorum fratrum militaria munera; nam Praefecti Cohortis Thracum Minerviae, & Praefecti Equitum fuere. Nec ſilentio praetereundum, inſcriptionem, quae incipit L · FVLVIO · C · FIL · POPIN ABVRNIO · VALENTI, quae pariter extſtat in Muſeo Suburbano Strozio, iam a me edita in Par. I. pag. 386. num 142. inventam eſſe in *Monte Aventino*, anno MDCXXXVIII. quod ſerius quam oportebat didici ex Donianis autographis Schedis: nam apud Albanos conſtat, Livio teſte, Latinas Ferias celebratas quotannis fuiſſe Iovi Latiali pro ſalute Romani & La-

Latini Populi, quibus Respublica, & deinde Imperatores nobilissimos Viros praeficere consueverunt. Insignem hunc lapidem illustrat V. C. Petrus Corradinius, postmodum S. R. E. Cardinalis Amplissimus Vet. Latii Prof. Lib. II. Cap. XXI. pag. 224. & 225. qui tamen cum Fabretto manifeste hallucinatur, dum haec singularia III VIRO · A · A · A · F · F · *Triumviro Auro Argento Aere Flando Feriundo*, uti manifeste habet marmor, non ita explicant, sed quasi scriptum sit III VIRO A RA · F F · *Triumiviro a Rationibus Fisci Frumentarii*: quod munus longe alienum a viro nobilissimo L. Fulvio Aburnio: cuius viri mentio, ni mea me fallit memoria, fit ab Aelio Spartiano in vita Hadriani, cui fuit acceptissimus.

In Regia Villa Magni Ducis Etruriae, quae Imperialis dicitur.

In urna marmorea.

419

D · M
M · IVNI · FELICIS
IVNIA · MARCELLINA
FRATRI · PIISSIMO
FECIT

In alia simili ornata corolla & aviculis.

420

OSTILIA . SYNTYCHE
FELICIONI . VERNAE
SVO . QVI VIXIT . ANNVM
I . ET . MENSES . VIIII . H . S . E

D · M ·

Ibidem, in urna marmorea.

421

D ϭ M·IVNIAE·M·F·
MARCELLINAE
THEOPHILVS
O · D · S · M ·

Ibidem, in Vrna ornata corollis encarpis, & capitibus ariet.

422

PYRRHE . RVBRIAE
HELVIAE. LIBRARIAE
P . RVBRIVS · OPTATVS
CONTVBERNALI . SVAE

421. O . D · S · M · Hoc eſt : *Optime De Se Merenti.*

In Villa Altovitarum prope Ripulas in Agro Florentino, tertio fere ab Vrbe lapide.

423



423 Aram hanc marmoream protuli in Parte II. hu-

huius Operis pag. 451. num. 57. ex Collectaneis Petri Tancredi Senenſis. Ea exſtabat in horto Eccleſiae S. Laurentii *a Vicchio* in Agro Ripoliano, & menſam lapideam ſuſtinebat. Nuper translata eſt in Aedes Nobilium Virorum de Altovitis. Quum eam inveſtigarem, exiſtimans interiiſſe, deſcriptam mihi tradidit vir eruditione animique candore mihi amiciſſimus R. D. Philippus Picchiantius, Plebanus S. Petri ad Ripulas, Sacrae Theologiae Doctor; compertumque eſt, primum a me editam, deinde a Cl. Muratorio, qui vulgavit in Tomo I. pag. CXXXI. inemendatam & mancam. Muratorius, ut explicet perrarum Iovis *Tunni*, ſeu *Tonnii* cognomentum, perpendendum monet, num TVNNI vox adhibita fuerit ad ſignanda *vaſa vinaria*, quae *tinae* a Varrone, & Nonio adpellantur. Voſſius Lib. II. Cap. XVIII. de Vitiis Sermonis: *Plane*, ait, *videntur* tonnae, *vel* tunnae *&* tinae *vocabula cognata*, *& ab eadem origine profecta*. Porro notum eſt, Iovi *epulum* ſolenne menſe Novembri paratum fuiſſe a Romanis; *menſamque* adpoſitam ab aliis: quam ob cauſam ab Arnobio ſtultos Ethnicos irriſos videas. Erant & *Feſta Vinalia*, quibus Iovi vinum novum libabatur. Eruditam hanc explicationem non impugno: videndum tamen moneo, utrum vox TVNNI ex Etruſco cognomine originem habuerit: nam in patera Etruſca, quam protuli in M. E. Tab. CXX. prope imaginem Iovis ſcriptum eſt AИ·; nempe *Tina*, quae vox *Tonans* videtur exprimere, ut animadverti ibidem pag. 242. Porro V pro O uſurpatum adparet; quia Etruſci pro O uſi ſunt V. Exſtat inter vetuſta monumenta ara votiva dedicata Iovi Optimo Maximo TANARO; quae vox erudito Marmorum Oxonienſium interpreti idem ac Latinis TONANS ſignificare videtur pag. 282. 283. quem vide. Conſulendus etiam ab eo indicatus Cluverius in

Ger-

Germania antiqua Lib. I. Cap. XXVI. qui diversas nationum dialectos observat, quo modo Iovem Tonantem dixerint. Siquidem non modo apud Celtas in Europa, sed ante etiam in Asia Iovis nomen fuit *Taran*, & variis dialectis *Thoran*, *Doran*, *Tordar*, *Dondar*, *Thondar*, *Donnar*, TONNAR, *Donar*, *Tonar*. quae vox idem valet ac Graecis Βρονταῖος, & priscis Latinis *Tonans*, Etruscis *Tina Tinia*; & in hac ara, quae facile ab Etruscis acceptam vocem servat, TVNNI. Consule etiam Bochartum Geograph. Sacr. Par. II. Lib. I. Cap. 42. Porro litterae illae EX · AR · P · X · declarant argenteum donarium, Iovi voto dedicatum, pondo libras decem constasse. Ita igitur adlata tum a Cl. Muratorio, tum a me perrara inscriptio emendanda est.

Faesulis, in domo cuiusdam Canonici Cathedralis Ecclesiae, quae hodie non reperitur. Ex Schedis Donianis.

425 DIS · MANIBVS
CRISPINI C · F · FELICIS
CORNELIA SVCCESSA
CONIVGI SVO B · M
FECIT

425. Crispinus Felix ex ea ingenua plebe Faesulana fuisse mihi videtur, e qua fuit C. Crispinus Hilarus, quem numerosa sobole clarum ita laudat Plinius Histor. Nat. Lib. VII. Cap. XIII. *In Actis temporum Divi Augusti invenitur, duodecimo*

mo Consulatu eius, Lucioque Sulla collega, ad III. *Idus Aprilis, C. Crispinum Hilarum, ex ingenua plebe Faesulana, cum liberis novem (in quo numero filiae duae fuerunt) nepotibus* XXVII. *pronepotibus* XXIX. *neptibus* IX. *praelata pompa, cum omnibus his in Capitolio immolasse.*

In Museo suburbano Strozio sequens titulus olim exstabat, nunc deperditus.

426

L · MAESIO
CANINIA · FAVSTILLA
CONIVGI SVO · B · M
FECIT

Tiferni, in Aedibus Rev. D. Alexandri Certinii, nuper eruti lapides.

427

IVI
SATVRNI
LEGATVS

428

ENTIO
V · HOMVLI
PIMENTI

427 Haec fragmenta descripsit laudatus Alexander Certinius, patriarum antiquitatum eruditus indagator ac vindex, & ad me misit. In priore fit mentio Saturnini Legati Caesaris, &c. in altero Homullus nominatur. M. Valerius Homullus,

im-

imperante Antonino Pio Consul fuit, Collega M. Acilii Glabrionis, nimirum anno V. C. 904. Christri 152. Alios insignes lapides amice conquestus est idem Certinius me praetermisisse, quos adcurate exscriptos dederat, quos heic lubet subiicere, reliquis addendos, quos protuli in Parte II. huius Operis pag. 338.

Ibidem.

429

Q· ALBIO· Q· F· HOR· ILLICI
ϛ· LEG· XX· V· V
CORNICVLARIO· PR· PR·
DONIS· DONATO· AB· DIVO
TRAIANO· AVG
TORQVIBVS· ARMILLIS
PHALERIS· BELLO· PARTHICO· ET· AB
IMP· CAESARE· TRAIANO
HADRIANO· AVG· HASTA· PVRA
ET· CORONA· AVREA
AVILIA· SOTERIS· MATER
FILIO· OPTIMO· PIENTISSIMO
L· D· D· D

429. Protulit hunc lapidem Aldus Manutius Paulli filius in Orthographia pag. 366. Eumdem Cornacchinius in patriis Tifernatibus Historiis, & Franciscus

Sansovinus de origine Equestrium Ordinum Lib. II. eundem proferunt .

Ibidem.

430

L · SICINIVS · DENTATVS · TRIB
PLEB · CENTIES · VICIES · PRAELIATVS
OCTIES · EX · PROVOCATIONE · VICTOR
XLV · CICATRICIBVS · ADVERSO
CORPORE · INSIGNIS · NVLLA · IN · TERGO
IDEM SPOLIA · CEPIT · XXXVII.
DONATVS · HASTIS · PVRIS. XII
PHALERIS · XXV · VORQVIBVS · CXXXIII
ARMILLIS · CLX · CORONIS. XXVI.
CIVICIS · XIIII · AVREIS · VIII · MVRAL · III ·
OBSIDIONAL · I · FISCO · X · CAPTIVIS · XX
IMPERATORES VIII · IPSIVS · MAXIME
OPERA · TRIVMPHANTES · SECVTI

430. L. Sicinus (dicendum potius *L. Siccius*) Dentatus strenuus bellator , Tribunus Plebis creatus est anno V. C. CCXCIX. Haud praefert , nec praeferre potest tantam aetatem hoc marmor , quod secutis deinde temporibus exaratum censeo, excerptumque ex antiquis Romanae Historiae monumentis , & , ut mea fert opinio, subiectum eius statuae seu immagini , in usum Museorum , in quibus illustrium vi-

virorum elogia veteres elegantiarum cultores conlocare consueverunt. Eadem fere de eodem L. Siccio Dentato excripsit Gellius Noct. Arti Lib. II. Cap. XI. *L. Siccium Dentatum, qui Trib. Plebi fuit, Sp. Tarpeio A. Haterio Consulibus, scriptum est in libris Annalibus plus, quam credi debeat, strenuum bellatorem fuisse; nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatumque esse Achillem Romanum. Is pugnasse in hostem dicitur centum & XX. proeliis: cicatricem aversam nullam, adversas quinque & XL. tulisse: coronis esse donatum aureis octo: obsidionali una: muralibus tribus: civicis XIIII. torquibus tribus & LXXX. armillis plus centum LX. hastis duodeviginti: phaleris item donatum est quinquies viciesque: populi militaria dona habuit multiuga: in quibus provocatoria pleraque: triumphavit cum Imperatoribus suis triumphos novem.* Constat igitur Gellii auctoritate, huiusmodi elogia ex libris annalibus exscripta fuisse. Videmus etiam haec ipsa elogia usurpata non in una tantum civitate, sed in pluribus etiam repetita; nam ea quae produximus in Parte II. quum prisca Arretinorum monumenta proferremus, iam ex Codice MS. Fratris Iucundi Veronensis, & ex aliis Codicibus, Seculo XV. exaratis, adnotavimus iamdudum eruta fuisse *Arretii*, *Arimini*, quibus etiam *Tifernum* nunc addi potest.

Scripta haec fuisse arbitratus sum, non ea certe aetate, qua illustres illi viri vixerunt, sed remotiore. Celeberrimus Muratorius, ex editis libris expiscatus maximam partem vetustorum lapidum, quos edidit in novo Thesauro Inscriptionum antiquarum, in fine Tomi III. in Classe XXIV. haec elogia protulit, & inter dubios seu spurios lapides congessit; deque hisce a me adlatis sententiam suam proferens pag. 1802. adhuc subdubitare se fatetur an ad secula remota referre liceat eiusmodi inscriptio-

ptiones ; atque in eam potius opinionem inclinat, ſcriptos hoſce lapides fuiſſe, poſtquam Italica ingenia litteris Latinis ſplendorem reſtituere coeperunt. Sed de antiquiore uſu ſcribendorum elogiorum, alibi erit oportunior diſſerendi locus : interim haec monumenta non in una tantum Civitate illuſtribus viris ob memoriam rerum ab eis geſtarum, & virtutum gloriam poni dedicarive antiquitus conſueviſſe, in locorum publicorum, & in Muſeorum & Bibliothecarum ornamentum, adnotare ſatis ſit.

In Muſeo Excellentiſs. Principum Corſiniorum.


In Vrbanis Hortis Florentiae.

431 D · λλ · FABIA · CHRYSIS · λλλTER ·
FIL ANNEIAE · VRBλNILLλE ·
SλNCTISSIλλλE · PIENTIS
SIλλλE · VIX · λN. XI · λλ · XI · D · II.
EMIT · PλTRE · DIλλIDIλ · MON
ET · SIBI · ET · PVBLIO · P · F · POPIN
COIVGI · SVO · ET · LIBERTIS · LI
BERTλBVSQ SVIS · POSTE
RISQ · EORVλλ


431. Eminentiſſimus Princeps NERIVS CORSINIVS, Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis Ampliſſimus, quum Florentiae, in Vrbanis Aedibus ſuis ad Pratum moraretur tranſacta aeſtate huius anni CIↃ. IↃ. CC. XLI. vetuſta marmora, quae iamdudum eo loci coacervata iacuerunt, in Xyſto pul-

pulcherrimo in ſex metopis per parietes, me rogante, pro ſua ad haec ſtudia colenda atque amplificanda egregia voluntate, atque in me ſingulari prorſus humanitate, diſponi iuſſit. Hos lapides quindecim fere ab hinc annis exſcripſeram, & vulgaveram in Parte I. huius Operis a pag. 119. ad pag. 184. nunc vero cum diſponerentur, mecum agente curam eruditiſſimo D. Ioanne Macnamara, inventi aliquot ſunt, a me praetermiſſi, quos heic editos habes, optime Lector, quum reliquis paullo ante nunc primum in lucem prolatis pag. 274. coniungendi.

432


D · M · VAL · HER
MES · ET · IVLIA · VE
RECVNDA · FERVNT
FORTI · FILIO · DVL
CISSIMO · VIX · AN · XI

433


DIS · MANIBVS
IVLIA · ELYDE
COIVGI · BENEMER
PHAEBVS · CAESARIS
FECIT.

432. FERVNT. Rarum hoc ex Pontificum libris verbum adnotare lubet, quod in hoc lapide ſcriptum eſt. FERVNT ſubaudi *iuſta*, ſeu *feralia*, quae a Romanis celebrari conſueviſſe die decimo octavo Februarii, perſpicuum eſt ex Ovidio, qui hoc ipſum verbum *ferunt*, dum *Feralia* memorat, eumque ſcribit diem, uſurpat Faſtorum Lib. II.

Hanc, quia IVSTA FERVNT, *dixere* FERALIA, *lucem*,
Vltima placandis Manibus illa dies.

Ferales epulae, quae in funere ferebantur, ita dictae, teſte Plinio. Hinc *inferiae*, ſacrificia, quae Diis Manibus inferebantur, ut auctor eſt Feſtus.

Au-

Audiendus etiam Silius Italicus, ubi narrat inferias a Scipione ſuorum manibus miſſas Lib. XVI.

Dona FERVNT, *tumuliſque ſuper flagantibus addunt.*
Ipſe tenens nunc lacte ſacro, nunc plena Lyaeo
Pocula, odoriferis adſpergit floribus aras;
Tum Manes vocat excitos. ————

434

POMPEIA · PITHYSA · AEDICVLAM . EMIT ·
POMPEIAE·SVCCESSAE·FILIAE PIISSIM
TI · CL · ALEXANDRO · CONIVGI · OPTVM
LIB · LIBERTABVS · SVIS · POSTERISQ · EOR ·

435

M· IVLIVS · LIVIAE · L · HILAR · LIVIA THEOP
ARC

434. ARC. Hoc eſt *Arcarius*, qui domeſticae arcae pecuniariae praeerat. De Arcariis, deque eorum officio tum publico, tum privato nonnulla adnotavi ad Columbarium Libertorum Liviae Auguſtae pag. 163. quod, ſi otium eſt, vide.

436

CHRESTI · DIONYSI · L · CHRESIMI · DIONYSI L ·
CHLOE THEOPHILVS
ARIORATES POPILLI · LAENAEI

TRO-

436

TROIVS
PVER
VIX · AN · XIII ·

437

D · M
C · PVB
LICO
AGLAO

Inventis aliquot marmoreis frustulis, non contemnenda sit accessio Tabulae, in qua Vigilum Cohortes VII. recensentur, quam editam habes in Parte I. huius Operis pag. 125. num. 13. Non vacat integram referre; sed ea tantum, quae in fine supplenda sunt ad fidem marmoris, exordio facto a linea 26. ad calcem usque.

438

ANNI IANVARI STA TILI SEVERE FLAVI ANTIOCE
VIBI CELER RVFI IVLI DOMNION
FLAVI MARCE MARI CLAVDIAN 7 LIBVRNA FIDEI *sic*
7 CANDIDIANI 7 SEVERIANI AELI ALEXANDR
LVCILI MARCIANE CLAVDI GNORIME
IVLI MAXIME
COH III VIG
7 VICTORI
AVRELI EXORATE
DEDICATA III IDVS APR · AS
ET ASPRO CoS

438. Duo Aspri fratres, quorum praenomen *Caius* fuit, e familia Iulia, Consules fuere anno V. C. 965.


Christi 212. Antonino Caracalla imperante, eoque anno quo Getam fratrem suum in sinu matris occidit, ad diem V. Kal. Martias. De his Consulibus vide quae docti viri adnotarunt, Pagius ad Annales Baronii hoc anno, Norisius in Epistola Consulari pag. 126. & Relandus in Fastis pag. 121. & seqq.

439




439. Titulus ita se habet, unica linea scriptus, non ut vulgaveram pag. 146. num. 56.

440



441



sit

441. Hic titulus a me productus pag. 168. num. 133. nonnullis in locis restitutus, iterum comparet.

CN.

442

CN · DOMITIVS
CN · L · CASTOR
DOM IA
NDA

443

CALLINICVS
ET OCTAVIA
FELICISSIMO
ALVMNO
QVI · VIX · ANN
XIII · MEN · VII · D · VII

442. Prior titulus reſtituitur, inventis fragmentis, quae inter ſe ſociantur, & corrigendus iam editus ibidem pag. 159. num. 92. & alter vitioſe vulgatus pag. 165. num. 119.

444


D M
N · BALONIVS FAVSTVS
BALONIAE · N · L
SECVNDAE · VIX · ANN · XXV
N · BALONIO · DARDANO

445


M
DIDIAE · EVPORIAE
VGI · QVAE · VIXIT · AN
MEN · VII · ET
ALICO · FILIO · EIVS
VPERCVS · B · M

444. Cum mendo editus a me fuerat in tertia linea pag. 179. num. 190. item ſeorſim a me editi lapides num. 107. & 122. qui ſociandi ſunt, & ita ſe habet haec inſcriptio, quae adlata eſt num. 445. licet dextrorſum mutila.

446




447




446. Pertinet ad eamdem Birriam familiam alter titulus ſepulcralis editus ibidem pag. 159. num. 91. Qui vero ſequitur titulus, a me vulgatus num. 183. cum altero num. 206. ſociatus, priſtinae integritati reſtituitur.

448



449




450



450. Nunc primum hi tituli lucem adſpiciunt. TABV. Hoc eſt: TABVLARIVS· De Tabulariis Auguſtae Domus vide, ſi otium eſt, quae adnotavi ad lapides Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae, e cuius ſervitio complures liberti ac ſervi recenſerunt in his a me editis titulis.


P· AT-

451




P · ATTI ENIS
SI
TREBELL IAE ENENI
CONIVGI : : : : : :
QVAE · DVM AD VIXIT · F
PRECOR · SI Q VI · ESTIS · MANES
SIT · SVAVITER · ET TIBI · BENE

452



S · FELICVS
NISI · HORI · M
ER · VIC

453



L · ARVLENVS
BASTVS

452. Contigit hunc titulum iam a me editum pag. 171. num. 144. repertis variis frustulis, tam bene consarcinare, ut facili negotio, quae desunt suppleri possint. Notandum DVM AD VIXIT. In alio titulo Musei Suburbani Strotii pag. 406. num. 215. QVA · AD · VIXIT · BENE · Alibi me legere memini QVO AD VIXIT ·

453. BASTVS. Videtur prior littera scalpro deleta, & altera resecta a quadratario. Subspicor scribere voluisse BLASTVS; quod in libertis saepenumero occurrit. Quum singulos lapides perlustraret, & cum editis conferret vir eruditissimus ac nobilissimus Ioannes Macnamara, comperit multos lapides, iam a me editos, desiderari: furtive sublatos auguror, quum inter hos non pauci insigniores desint, quos si lubet invenire poteris, optime lector, iam publici iuris factos

ctos sub hisce numeris 8. 9. 21. 27. 39. 40. 51. 54. 64. 65. 66. 118. 145. Inter haec non pauca intercidisse marmora cognosces, quae iam doctissimus Donius centum fere ab hinc annis exscripserat; quae ex eius Schedis protuli in Parte II. huius Operis in Appendice a num. 34. ad 52. Ex iisdem Schedis, rursum spicilegio accuratius facto, haec quoque inscripta marmora reperire contigit, quae apud Nobilissimos Corsinios extabant, quae modo desiderantur.

454

TROILVS LIVIAE ATTICVS
C · IVLIVS GNOMON EVHODI . L
VIX · AN · XXV

455

ELATE · AGRIPPINAE
GERMAN · CAES

456

ERTIAE · PRIMAE · CL · CAES
ELEVTHERVS
DANT

457

FORTVNATVS · DEC TI · CL · M
TI · CAESARIS CLEMA
CHIONES
MAMMIAE FORTVNATI

D M

458

D M

DRVSI · PAT

PRIMIGENIO · QVI · VIXIT · ANN

XXXII · DIES · VII

FAVSTVS · ANTONIAE · DRVSI · · · · . IVCVNDI

CHRESTIANVS

459

EPAPHRE · C · CAESARIS

· · · · DEDIT CHAETE

460

IVS · C · CAESARIS

IVLIAE · EVCHE

DEDIT · BENIGNA

461

TI · CLAVDIVS · AVG · L

THEODOTVS · VIXIT

ANNOS · L ·

462

M · IVLIVS · AVGVSTAE · L ·

MENANDER

IVLIA · FAVSTA


MENANDR ·

461. Duorum lapidum, qui poſtremi recenſentur, nonnulla fragmenta. ſimul conſociata ſunt.


Sigillum aereum cum hac epigraphe : exstat in Museo Bucellio.

In Museo Coratio Cortonae alterum sigillum aereum.

463



464




In eodem Museo Bucellio, in fundo patinae fictilis, rubri coloris.

Clusii, in Aedibus D. Claudii de Samuellis, Eq. Ord. S. Stephani.

465



466



466. Haec urna ex Tiburtino lapide urnarum Etruscarum figuram servat; adeoque est vetustissima.

Ibidem, in urna e Tiburtino marmore cum operculo.

467

C · B A E B I V S
L · F
A R R E S P E X

Ibidem, in operculo urnae similis.

468

C · B A B I V S · C · F
A R H S

Ibidem, in urna simili.

469


L · SENTIVS · L · F
SABINVS · BLAESVS

Ibidem, in urna adsimili.

470

VIRIA : Q · L · HIL ·

MONV-



MONVMENTA
VETERVM
CHRISTIANORVM
ERVTA E FLORENTINIS COEMETERIIS.



SVmmo Dei Optimi Maximi beneficio factum arbitror, ut aetate hac nostra veterum Christianorum Florentinorum, pauca licet, plurimi tamen facienda, Monumenta, quibus primordia Historiae sacrae huius inclitae Vrbis mirifice illustrantur, e tenebricoso terrae sinu, in quo saeculis ferme quatuordecim & amplius iacuere, optatam in lucem feliciter prodierint. Nihil hisce Monumentis insignius habet Florentia, licet eius Musea nobilissima, privataeque procerum domus antiquis operibus valde sint refertae. Ex his prisci aevi sacris reliquiis discimus, quae nam fuerint primaeva illa Evangelicae praedicationis beata germina, & quae sanctissi-

morum illorum Christi Fidelium nomina ; inter quos aliqui Florentinae Ecclesiae sacrosancta munia obierunt : nam alii Diaconi , alii Lectores ; aliae Virgines, aliae Ancillae Dei dicuntur. Virorum nomina haec sunt : CONSTANTIVS — ERPA — FVNDANIVS IOVIANVS — LAVRENTIVS NVMERIVS — MAXIMVS — ROMANVS — FLAVIVS ROMVLIANVS — SEGETIVS — VERVS. Feminarum vero haec nomina innotescunt : AQVILIA PAVLINA — AQVILIA VALENTINA — AVGVSTVLA — CARTAGO — FADIA VERIANENE — FELICITAS — FLAVIA MARTINA — IVLIANA. MARTHA . Ne dubia excitentur in perscrutanda eorumdem Christianorum lapidum antiquitate , in duobus ex his adnotatur tempus in quo positi sunt , nempe duo paria Consulum, Honorii videlicet Augusti XI. & Constantii II., qui Consulatum iniiere anno V. C. MCLXX. Christi vero CCCCXVII. Dei Ecclesiam moderante Innocentio Pontifice Maximo , cui successit Zosimus: item Isidori & Senatoris , qui Consules fuere anno a Christo nato CCCCXXXVI. sedente S. Xysto III. Pontifice Maximo.

Maxima ex parte Christiani lapides , qui nunc proferuntur , eruti sunt e Coemeterio vetustissimo, quod nunc fere universam occupat Ecclesiam Sanctorum Machabaeorum , quae vulgo S. Felicitatis nuncupatur . Fortuitam eorumdem lapidum inventionem paucis operae pretium est exponere. Anno MDCCXXXVI. quum a solo exstrueretur eadem Ecclesia SS. Machabaeorum , servata anterioris figura , miroque cultu & eliganti forma reficeretur, quam hodie cernimus, Architecto Ferdinando Ruggerio, viro peritissimo, & de patriae splendore , aere incisis , editisque permultis insignioribus Vrbis huius aedificiis , optime merito : forte fortuna contigit , ut egestis ruderibus laeva parte eiusdem Ecclesiae , prope locum , in quo olim situm erat altare Deo

dica-

dicatum in honorem Sanctorum Angelorum, ac praesertim Archangeli Raphaëlis, Christiani lapides, quos paullo inferius proferam, eruerentur; fossorum tamen imperitia non integri, sed plerumque in varia frusta discissi, qui tamen facile confarcinari & consociari potuerunt. Iam ego monueram fore, ut si diligenter fossarii investigarent, & cubicula Coemeterii aperirent, facile inventuros uberem horum Christianorum lapidum messem. Sed bene, ut sperabam optabamque, res minime cessit: nam terram egerere profundius latiusque & cubicula aperire, nonnulli, quorum nominibus parco, prohibuerunt, ut modicis sumtibus parcerent: pluris pecuniam aestimantes, quam hasce primaevae Florentinorum pietatis venerabiles reliquias. Id non ego dumtaxat, sed omnes Florentini aegerrime tulerunt. Iam enim, lucem ferente Christiano lapide, quem iterum heic subiicio, sub solo eiusdem Ecclesiae eruto, anno MDLXXX. quum in eo scriptum legerem POSITI SVNT, PER SINGVLA COEMETERIA: antequam alii lapides eruerentur, quindecim ferme ab hinc annis, subspicatus fueram, seu potius divinans scripseram, eo in loco fuisse antiquissimum Christianorum Florentinorum Coemeterium: quapropter in Parte I. huius Operis pag. 299. ita adnotaram: *Et heic quoque, ubi modo S. Felicitatis Templum conspicitur, antiquum primorum Christianorum Coemeterium extitisse, horum marmorum non levi suffragio coniicio*. Quod divinabar, verum esse tunc compertum est. Sed ecce eum lapidem, cum quo alii duo, quos subiicio, sub pavimento eiusdem Ecclesiae SS. Machabaeorum, memorato anno effossi sunt: quod olim penes D. Dominicum Nardium Florentiae extare dixi, loco superius citato.

1

B M
FL ♡ ROMVLIANVS
INFAS · Q · VIXIT · AN
· VI · ET · M · VII. ET
FRATRES · IPSIVS
QVI . POSITI SVNT ·
PER . SINGVLA CŒ
METERIA · VER *us*
Q · VIXIT · AN · X
ET ROMANVS . Q *ui*
VIXIT A N · V
ET AVGVSTVLA *q. v*
AN · III ♡ S
IN PACE

2

B M
LAVREN TIVS NV
MERIVS . DIA CONVS
VIX . ANNO S.P.M.V DE
POSITVS · V · ID VS OCTO
IN PACE

3

M
ACER
IIVS
CONSTANI
QVI VIXIT
ANNOS XXX
VII . DEPOSI
. . . . V
KAL. DECEM
BRES . IN . PACE

2. De ramusculis hisce, quibus Christiani lapides ornantur, consulendus Aringhius & Boldettius, egregii sacrorum monumentorum interpretes.

Sed

Sed non hos tantum lapides Christianos, verum & alios post memoratum annum MDLXXX. ex eodem Coemeterio erutos fuisse comperio ex his quae narrat R. Presbyter Sanctes de Assettatis in Codice, quem inscripsit *Memoriale di S. Felicita*, quem cum aliis ab eo exaratis diligenter servant Nobiles Ancillae Christi, eiusdem Ecclesiae Moniales in suo Archivo, veterum monumentorum locupletissimo. Fuit idem Sanctes viginti annorum spatio eidem Ecclesiae Praefectus, & Monasterii Monialium Moderator omni laude dignissimus. Monumenta omnia, quae ad Historiam eiusdem Ecclesiae pertinent, diligenter collegit, digessit, ac descripsit patrio sermone, anno MDCXIII. aetatis vero suae sexagesimo tertio. Ita igitur scribit: *L'anno 1580. facendo Iacopo de' Rossi la sua Sepoltura vicino alla Cappella del Crocifisso* (pertinet hoc Sacellum ad Gentem nobilissimam Florentinorum Patriciorum *del Nero*) *si trovarono da cinque braccia sottoterra alcuni Epitaffi di sepolture in predetto marmo: i quali mostratigli al Rev. Don Vincenzio Borghini, disse, che quelle lettere mostravano d'esser fatte da mille anni. Fu mala cosa il non conservarli: e nel fare altre Sepolture: come quella delle Monache, l'anno 1588. e più fà quella della nostra Compagnia, si sono trovati pavimenti bassi più che non è la piazza nostra, e muri grossissimi.*

Memorato anno MDCCXXXVI. statimac aliquot lapides Christiani inventi sunt, nempe VII. Kalendas Quinctiles, quum frequenter ad Ecclesiam hanc, quae tunc construebatur, adcederem, vidi e regione altaris SS. Angelorum parietem, qui subtus gradus eius extendebatur ad alterum latus, nempe dextrum, habito respectu ingredientium in Ecclesiam: qui paries admodum validus & crassus, e coloribus variis qui supererant, sacris Historiis antiquitus pi-

ctum fuisse adparebat ad exemplum veterum Cryptarum Romanarum, quarum schemata publici iuris fecere Bosius, Aringhius, & alii. Narravit mihiРуggerius Architectus inventum etiam fuisse a fossariis sarcophagum lapideum, quem propter ingentem molem extrahere noluerunt. Haud igitur angustum, sed latum, concameratoque opere constructum fuisse hoc Coemeterium, perspicuum est, in quo primum sacram Synaxim habuisse priscos Florentinos Christi Fideles, haud dubitandum est. Adlatus lapis plura in eo Coemeteria, nimirum cubicula, fuisse diserte docet. Fuisse arbitror venerandum hoc Coemeterium sub cura Antistitum Florentinae Ecclesiae; nam tamquam rei suae, eiusdem expresse meminit Ildebrandus Episcopus Florentinus in Charta donationis, quam dedit Monasterio, & Monachis inservientibus Basilicae S. Miniatis, quam summa magnificentia a fundamentis exstruxit, una cum eorum Monasterio. Instrumentum huius donationis adfert Cl. Vghellius in Tom. III. Italiae Sacrae col. 48. in haec verba: *Similiter ibidem concedo Ecclesiam S. Felicitatis, quae est posita prope Capo de Monte*, CVM COEMETERIO, *& certis terris, & vineis quaecumque de ipsa Ecclesia tenet Ioannes Presbyter, filii Vrsi Presbyteri*. Lege tamen *prope Capo de Ponte:* nam haec Ecclesia ita in aliis priscis monumentis describitur, quod sita sit prope caput, nempe extrema pontis, qui nunc vulgo ob eius antiquitatem, & quod primus omnium pontium fuerit Arno impositus, dicitur *il Ponte vecchio*. Lege etiam *& vineis & quaecumque tenet &c.* Ex quibus colligimus, magno in honore fuisse apud priscos Florentinae Ecclesiae Pastores hoc perinsigne Coemeterium tunc situm extra ipsam urbem Florentiam; cuius exstructio vetustissima est, & facile ad primordia Christianae Religionis referri potest; quum Florentinam

tinam Ecclesiam moderaretur S. Felix, qui Romano Concilio interfuit, contra Novatianos celebrato, anno CCCXIII. ficuti narrat Optatus Milevitanus, veteresque eiusdem Concilii subscriptiones fidem faciunt: vel quum eidem Sanctae Ecclesiae praeesset S. Theodorus; quo sedente in Florentina Cathedra, vetusta perhibent monumenta, eum consecrasse Basilicam & Baptisterium S. Ioannis, uti in eius Historia, Deo dante, ostendam. Patet etiam multos ex his Christi Fidelibus in hoc Coemeterio tumulatos fuisse, dum Florentinae Ecclesiae praeesset Sanctissimus Antistes Zenobius, & per saecula sex & amplius, quae secuta sunt, maximo in honore fuisse, quum saeculo XI. praelaudatus Ildebrandus Episcopus Florentinus de eo praecipue meminerit, illudque concesserit, & adsignaverit cum aliquot possessionibus Basilicae & Monasterio S. Miniatis.

Huiusce studii colligendorum veterum monumentorum, quod nunc mirifice viget floretque inter Florentinos, ac vigere & florere tum maxime coepit, praesertim quum Petrus Victorius, Ioannes Riccardius, Vincentius Borghinius, Ioannes Baptista Donius, Carolus Senator Strozius, Cosmus della Rena, alique nobiles & illustres viri Florentini viverent: atque ante hos Magnifici viri Cosmus Medices, & Laurentius, eorumque alumni Politianus, & Poggius, qui ceteris facem extulerunt: utinam parva aliqua scintilla in maioribus nostris resplenduisset! Sed iidem teterrimis bellis domi forisque impliciti, a saeculo potissimum decimo usque ad extrema fere Florentinae Reipublicae tempora, de his, deque aliis eximiae eruditionis monimentis, nullam curam habuere; quin etiam tam inculti barbarique fuerunt, ut ea quae maximo Vrbis decori erant, & ad patriam Historiam illustrandam maxime conducebant, qua possumdederint,

qua

qua diruerint, qua inter fundamenta aedium proiecerint, vel in fornaces abiecerint: quod fatum ab Ioanne Iucundo superius valde deploratum legimus; ut hinc coniicere fas sit, multa etiamnunc sub humo latere monumenta: quod in dies perspicuum esse, compertum fit; nam in Foro veteri pavimentum antiquum variis marmoribus egregie tessellatum paucis ab hinc annis inventum est: item substructiones repertae veterum aedificiorum prope Forum piscarium: & prope Thermas nuper inventa est columna pulcherrima e marmore ex Ilva insula, altitudinis duodecim pedum Romanorum, & capitulum e marmore pulcherrimum atque elegantissimum: item egregii operis antiqui marmoreum caput Iovis Serapidis prope easdem Thermas, post Ecclesiam S. Balsii, quae a nobis descripta, & delineata sunt, hodieque earum reliquiae in Museis servantur.

Dominico Mariae Mannio Viro clarissimo, de erudita antiquitate, patriaque historia optime merito, multum Florentini, atque ego ipse debeo; nam, quum prope Ecclesiam S. Felicitatis domum haberet, pervigil a me atque ab amicis rogatus curabat, instabatque fossoribus, ut si quos lapides invenissent, statim de his eum monerent. Omnium primus statim mihi nunciavit erutos esse aliquot Christianos lapides e memorato insigni Coemeterio; quos ipse primus diligenter exscripsit, idque ego ipse quoque mox feci, amboque amicis venerandae antiquitatis cultoribus una communicavimus. Plane omnium princeps, qui hos lapides in lucem protulit, memorandus est vir, omni aevo praestantissimus Ludovicus Antonius Muratorius, qui in Class. V. pag. CDI. Tom. I. Thesauri novi Inscriptionum antiquarum nonnullos pervulgavit; sed quod apographa ab Antonio Francisco Marmio Equite Florentino


ac-

acceperit, poſtquam per varias hominum manus ivere, ut evenire ſolet, non omnino accurate, eo curante, prodierunt. Diligenter hanc ſpartam poſtmodum occupavit Petrus Franciſcus Fogginius Florentinus, Sacrae Theologiae Doctor, mirabilis Vir, qui ad fidem ipſorum lapidum Chriſtianos hos titulos pervulgavit in Exercitatione ſingulari *de primis Florentinorum Apoſtolis*, Florentiae edita anno MDCCXL. quam poſtea iterum produxit inſertam in ſingulari item Opere *De itinere & Epiſcopatu D. Petri*. Rem igitur facturus antiquitatum cultoribus gratiſſimam, easdem inſcriptiones, ad marmorum fidem a me, & ab eo delineatas, ligneiſque formis inciſas, ab eodem humaniſſimo viro, ut heic rurſum proferrem, inpetravi. Alia quaedam fragmenta eorumdem lapidum, ab eo praetermiſſa, adiicienda curavi. Graecam illam inſcriptionem, in qua Honorius & Conſtantius Conſules adnotantur, primus omnium in lucem protulit V. C. Franciſcus Eques Victorius, in egregio opere, quod Florentinis typis excuſum eſt anno MDCCXXXVIII. inſcripto: *Il Fiorino d'oro antico illuſtrato*, quod mihi honoris cauſa inſcripſit, protulitque Cap. V. ut oſtenderet quincto potiſſimum ſaeculo Florentinos S. Ioanni, Chriſti Domini Praecurſori & Baptiſtae devotos, ſe urbemque ſuam eius patrocinio & tutelae commendaſſe, uſumque forſitan iam inde invaluiſſe, ut Baptiſmate tinctis Fidelibus Ioannis nomen imponeretur: quum aliorum lapidum Chriſtianorum penes Donium Claſſ. XX. num. 2. 77. & 79. itemque Reineſium Claſſ. XX. num 324. & 325. auctoritate conſtet, eo ſaeculo frequentius Ioannis nomen Chriſti fidelibus imponi conſueviſſe. His adde alterum Graecum lapidem penes Cl. Boldethium Lib. II. Cap. VII. pag. 417. Obſervat. in Coemeteria SS. Martyrum. Tota Italia S. Ioannis Baptiſtae cultum mirifice auxerunt atque amplificarunt

runt Langobardi; cuius rei penes Paulum Diaconum insigne exstat testimonium, quod me legere memini.

Praeter hoc venerandum celeberrimumque veterum Florentinorum Christianorum Coemeterium, alia item Coemeteria olim variis in locis extra hanc urbem fuisse, ex antiquis monumentis compertum est, quae postmodum commemorabo. Nunc primum ab illis exordium sumam, quae nostra hac aetate eruta sunt, dum Basilica SS. Machabaeorum, quae nunc *S. Felicitatis* vulgo dicitur, paene a solo magnificentius exstrueretur, adnotato ad singulos lapides tempore, quo effossi sunt.

Titulus marmoreus effossus Kal. Iun. anno MDCCXXXVI.
alt. fere II. ped. Rom. lat. ped. 1.

4 

4. Cl. Fogginius pag. 11. praelaudatae Exercitationis, Cl. Muratorii interpretationem, quam huiusce lapidis adfert, & suas in eam animadversiones ad-

adduxit, quas huc adferre iterum lubet: *Haec Inſcriptio, quam prout acceperat ab Antonio Franciſco Marmio, Equite Florentino, edidit totus in orbe notus Antonius Ludovicus Muratorius, Claſſ.* V. *pag.* CDI. *Tom.* 1. *praeſtantiſſimae veterum Inſcriptionum collectionis, quae nunc Mediolani in lucem editur, & refert etiam, eruditione non minus, quam generis nobilitate clarus, Eques Franciſcus Victorius in Commentario Hiſtorico de celebri nummo aureo, vulgo* il Fiorino d'oro (Part. 1. Cap. V. pag. 19.) *ſcripta eſt ſub Auguſti Honorii Conſulatu XI. & Conſtantii II. ſcilicet anno Chriſti* 417. *Porro Latine ſic vertitur.* ΕΝΘΑ heic: ΚΙΤΕ iacet: ΜΑΡ··Α Maria: ΘΥΓΑΤΗΡ filia: ΙΟΑΝΝΟΥ Ioannis: Κ^ω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ cui (*patria locus*) Niceratum, *inquit Muratorius; id quoque addens, Niceratum fortaſſis fuiſſe vicum illum apud Apameam Syriae ſitum, qui a Theodoreto* Niceſte *appellatur. Verum quo iure vir Cl. verterit* Κ^ω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ, cui Niceratum, *non ſubit; & nos quidem ſine verſione in medium relinquere malumus, quam male vertere*: ΕΖΗϹΕΝ vixit: ΑΙΤΗ annos: ΤΡΙΑ tres: $\overset{H}{M}$ ΤΡΙϹ menſes tres: $\overset{H}{M}$Ι᾿ & ſemis: ΠΙϹΤΗ fidelis: ΕΤΕΛΕΥΤΗϹΕΝ defuncta eſt: $\overset{H}{M}$ menſis: ΞΑΝΔΙΚΟΥ Xandici: Δ̄Κ *forte* δεκατι *die* decima: *Muratorius explicat* die quarta; *ſed ex malo autographo ſcribit etiam* Δ̄F *contra lapidis fidem:* ΥΠΑΤΙΑ ſub Conſulatu. Hucuſque Cl. Fogginius.

Haeſit mihi aqua in illis Κ^ω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ. Primum dubitavi, num ſigla illa Κ^ω iudicarent, uſurpato more ſtiloque rudi eo ſaeculo, ſeu integrum referrent ΚΑΛΟΥΜΕΝΩ, *vocati, adpellati*, ſive *cognominati* ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ: adeo ut primum patris huiuſce puellae nomen ſit *Ioannes*, quod ſacro Baptiſmate tinctus accepit; alterum vero quod ſequitur nomen, quo ante Baptiſma audiebat, ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ *Niceraton* fuerit. Exempla non deeſſe videbam & in Sacro Codice.

Actorum Cap. X. v. 32. Καὶ μετακάλεσαι Σίμωνα, ὃς ἐπικαλεῖται Πέτρος. *Et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.* Item Cap. XIII. v. 1. Συμεὼν ὁ καλούμενος Νίγερ: *Simeon, qui vocabatur Niger.* Ibidem v. 9. Σαῦλος δὲ ὁ καὶ Παῦλος: *Saulus qui & Paulus.* Non raro etiam in monumentis veterum Christianorum tum Graecis, tum Latinis, idem stilus servatur. In lapide a me edito in Parte I. huiusce Operis pag. 219. n. 20. ΣΙΜΠΛΙΚΙΑ·Η·ΚΑΙ ΚΑΛΩΝΥΜΟΣ: *Simplicia, quae & Calonymos.* Item FLAVIA QVAE ET FELICITAS. etc. In his vero observandis mihi non placebam, quum apud Geographos de hoc peculiari loco nil scriptum invenirem. Sed in marmore non ΚΑΛΟΝΥΜΩ, sed Κ' ΚΑΛΟΝΥΜΟΥ scribendum erat. Hisce obrutus difficultatibus, quid viri docti sentirent, expiscatus sum. Meas difficultates primum per litteras exposui doctissimo omnis antiquitatis & eruditionis interpreti, & vindici Ioanni Gaspari Hagenbuchio, Tigurino Professori celeberrimo, qui haec inter cetera, quae excerpsi ex eius epistola, data Idibus Novembris, anno MDCCXXXVI. ad me perhumaniter scripsit.

„ Marmor illud tuum orthographiam sequitur
„ Graecam, a puriore satis abeuntem; neque vero eam in quinti saeculi monumentis insolitam;
„ cuius ante omnia species has septem enumero:
„ ΑΙ pro Ε. ΑΙΤΗ.
„ Δ pro Θ. ΞΑΝΔΙΚΟΥ.
„ Ε pro ΑΙ. ΚΙΤΕ
„ Ι pro ΕΙ. ΚΙΤΕ. ΤΡΙC. ΥΠΑΤΙΑ
„ Ν omissum ante Σ. ΚΟΣΤΑΝΤΙΟΥ
„ Ν ἐφελκυστικὸν etiam ante consonam: ΕΤΕΛΕΥΤΗCΕΝ ΜΗ
„ Ο pro Ω. ΙΟΑΝΝΟΥ. ΟΝΟΡΙΟΥ. ΚΟCΤΑΝΤΙΟΥ.
„ quae singula Indicum a Scaligero ordinatorum
„ Capiti XIX. tum inseri, tum iam inserta alia firmare, ex iisdemque firmari, facile possunt. His
„ ita praemissis, Graecum lapidem tuum ita legam

„ at-

„ atque interpreter. Ἔνθα κεῖται Μὰρ ..... (forte Μαρία)
„ θυγάτηρ Ἰωάννου .... ἔζησεν ἔτη τρία, μῆνας τρεῖς, ἡμέρας δέ-
„ κα, πιστὴ ἐτελεύτησε μηνὶ Ξανθικοῦ δεκάτῃ, ὑπατείᾳ Ὁνωρίου Αὐγού-
„ στου τὸ ἑνδέκατον, καὶ Κωνσταντίου τὸ δεύτερον. Hoc eſt: *Heic*
„ *ſita eſt Mar ...* (forte *Maria*) *filia Ioannis ......*
„ *vixit annos tres, menſes tres, dies decem, fidelis,*
„ *defuncta eſt menſe Aprili, decima die. Conſulatu*
„ *Honorii Auguſti* XI. & *Conſtantii* II.

„ ΜΑΡ .... Α. Nomen defunctae puellae integrum
„ invidit nobis vetuſtas: ultima enim verſus primi
„ corrupta ſunt: vel ſic ΜΑΡΙΑ reſtituendum eſſe,
„ non difficile eſt coniectu.

„ Κω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ. Heic vero haereo: Poteram
„ coniecturam in medium adferre unam atque item
„ alteram: ſed veritus, ne immaturiores eſſent, vul-
„ pem Aeſopicam imitari malui: *nondum matura*
„ *eſt, nolo acerbam ſumere.* Id unum Te etiam at-
„ que etiam rogo, ut ſaxo iterum curatiſſime in-
„ ſpecto, ſignifices, an certa & definita ſit haec tua
„ exſcriptio; in primis an litterae Κ. ita ſuperpoſi-
„ tum ſit ω, non ΟΥ. vel quid aliud. Eſt vero etiam,
„ quod magis te rogem, qui quaeſtionem poſuiſti,
„ eam ipſe mihi ut expedias: magnam ita a me,
„ mox deinde ab omnibus, ſi, quam ſpem facis,
„ tertium Volumen proxime edideris, gratiam
„ inibis.

„ ΙΗΙΙϛ. Putabam, forte poſt I. ſenarii Graeci no-
„ tam ϛ adeſſe, quod ἐπίσημον *Vau* vocant: quo
„ modo dies exiiſſent non tantum X. ſed XVI. at
„ quum eamdem figuram verſu 8. poſt ΑΥΓ occur-
„ rere vidi, eam ornatus gratia abundare credidi
„ utroque loco.

„ ΠΙΣΤΗ. Adnotatione mihi dignum videtur, pu-
„ ellulam, nondum quatuor annorum, iam πιστὴν vo-
„ cari: quod fieri exiſtimandum eſt, quia parenti-
„ bus Chriſtianis orta, ſacroque Baptiſmatis lava-

„ cro

„ cro tincta, Christo nomen dedit. Τὰ τῶν πιςῶν τέκνα
„ ἅγιά ἐςιν. I. Corinth. VII. 14.

„ $\overset{\text{H}}{\text{M}}$ ΞΑΝΔΙΚΟΥ. Lege μηνὶ ξανθικοῦ. ita in Gruter.
„ MLII. 6. ΜΗΝΙ ΠΑΝΗΜΟΥ. & MCLXI. 2. ΜΗΝΗ ΩΚΤΟΥ-
„ ΒΡΗΟΥ. i. e. μηνὶ Ὀκτωβρίου. etsi analogia concordiam
„ substantivi μὴν, & adiectivi Ξανθικὸς, in eodem ca-
„ su postulet, μηνὸς Ξανθικȣ̃: quo modo si quis legere
„ malit, ut genitivi regantur ab suppresso substan-
„ tivo ἡμέρᾳ, non refragabor: in mea lectione da-
„ tivus μηνὶ ab subintellecta praepositione ἐν regitur;
„ genitivus autem Ξανθικοῦ, ac si substantivum esset,
„ non adiectivum, a substantivo μηνί. Ceterum men-
„ sis Ξανθικοῦ nomen esse Macedonicum, seu Syro-
„ Graecum, cum Aprili Romanorum convenire,
„ tralatitium est.

„ Δ $\overline{\text{K}}$. Torserunt me aliquamdiu, parumque ab-
„ fuit, quin Δ $\overline{\text{H}}$ legerem tentarem: i. e. τετάρτῃ (sc.
„ ἡμέρᾳ) τῇ (ὑπατείᾳ). At ligari Κ & Τ in eadem fi-
„ gura, quum typus tuus nimis aperte praeferret,
„ tandem Δε Κά Τῃ sum interpretatus: memor, in po-
„ sterioris aevi saxis, quale hoc nostrum esse mox
„ patebit, syllabas integras singulis tantum litteris
„ non raro incisas esse: cui rei exempla nunc non
„ quaero, copiose invenienda: quorum complura ali-
„ bi enotavi, in quibus etiam voces adscriptis tan-
„ tum litteris consonis, omissis vocalibus, ut no-
„ stra haec ΔΚΤ. i. e. δεκάτῃ sc. ἡμέρᾳ, quod substan-
„ tivum toties solet omitti. Quid? quod doctissimus
„ Massonus in animadvertendis ad novam Gruteri
„ editionem pag. CCCLIV. a init. ad Gruteri saxum
„ mihi iam citatum MLII. 6. monuit: Ημέρα *certe*
„ *addi non solet, nisi cum feria, seu dies hebdomadis*
„ *notatur, sicut compluribus exemplis probare possem.*
„ *Vide modo* MCLXI. 2.

„ $\overset{\text{o}}{\text{T}}$ $\overline{\text{A}}$. Τ. Quum certissimum sit, Honorium Aug.
„ XI. & Constantium II. Consules fuisse anno post

„ C. N

„ C. N CCCCXVII. certiſſimum quoque eſt, ad eumdem annum, noſtrum ſaxum referri debere: de quo „ quum tibi non ſit dubium, vide quaeſo, num in „ ſaxo tuo non T ſed prorſus tantum I ſeu lineola, ut „ in numeris ſaepe ſolet, ſuperiacente Ī, inſculptum ſit: ita enim TO AI. id eſt τὸ ἐνδέκατον, quod „ indubie requiritur, legemus. Scilicet, in numis „ Graecis ſaepiſſime minorem numerum maiori praecedere: id quod, & in hoc ſaxo obſervatum putem. A unitatem Graecis, I. vel Ī denarium numerum iisdem notat: ut AI idem ſit, quod IA; „ utrumque XI. Quod ſi etiam in ſaxo T ipſum ſit „ inſculptum, vitio errantis quadratarii id contigiſſe nullus dubito. Miror vero, Relandum Faſt. „ Conſul. p. 580. ex Grutero, & p. 563. ex Browerio, ad duos annos diverſos, tamquam duo diverſa ſaxa retuliſſe, quod nonniſi unum idemque „ eſt ſaxum Trevirenſe, in quo Conſtantini Conſulatus I. cum VIII. Honorii coniungitur: de quo „ Petavii rationes ſequendas ſibi quoque duxit Chronologorum, quos noſtra aetas vidit, facile princeps Maſſonus, nota ad Gruterum iam adlata. Relandus Conſtantinum Conſulem (in Galliis) anno poſt C. N. 409. cum Conſtantio iterum Conſule anno poſt C. N. 417. temere confundit loco „ poſteriore. Sed de ſaxo Graeco iam ſatis me tibi feciſſe puto, ut ad alia breviſſime expendenda „ merito deſcendam.

Sequenti anno data ad me epiſtola a. d. XV. Kal. Februarias, haec ſcripſit idem Hagenbuchius vir Celeberrimus. „ Anno ſuperiore toto nil me docuiſti „ de ſaxo Graeco Kω ΝΙΚЄΡΑΤωΝ, ut nec de „ T̊. A. T. Obtulerunt interea temporis mihi ſe haec „ etiam exempla, quibus meam emendationem, Faſtis unice nixam, T̊ ĀI, praeterea confirmem. Gruter. CCCXXVII. lin. 15. 16. ΕΙΣ ΤΟ K̄ C̄ Λ. ΚΑΙ K̄

„ Z Λ

„ Z̄ Λ (in nova editione textus K Z Λ, reiecta in mar-
„ ginem lectione, cui lineola superiacet, K̄ Z̄) HAI H̄
„ K̄ Λ. item linea antepen. Θ̄ K̄ Λ. Vnde promiscue
„ vicenarium numerum K̄, numeros intra denarium,
„ C̄, (ἐπίσημον βαῦ, cuius figura trita ϛ ϛ de qua Hadr.
„ Relandus Praef. ad Fastos Consulares fratris sui
„ pag. *** 5. b) Z̄, H̄, Θ̄, bis consequi, bis an-
„ tecedere videmus. Adde Gruter. CCX. CCXI. ubi
„ minores numeros denario numero antecedere, ip-
„ sumque meum AI, hoc est, XI., plus semel occur-
„ rere videbis. Apud eumdem Gruterum CCCCXCI.
„ I. φυλή ΙΑ. & CCCCXCV. I. φυλή ΔΙ. Quae ad saxum
„ aliud Vol. I. Inscriptionum Romanarum in Etru-
„ ria pag. 429. num. I. ad te perscripsi, eadem
„ iam Carolo Dato quoque in mentem venisse ex
„ Inscriptionibus Donianis pag. 563. fin. postmodum
„ vidi, de eiusque consensu mihi sum gratulatus.
„ Tomum tertium Inscriptionum Etruriae tuae quan-
„ topere desiderem & expectem, verbis vix profe-
„ ram. Dabis in eo & Graecum marmor, quod &
„ Muratorius habet CDI. 4. ubi NIKΕΡΑΤΩΝ de
„ patria puellae, vel patris accipit, & Κω transfert
„ *cui:* quod miror. Habet item Δ̄ pro tuo Δ K̄,
„ quod legebam δεκάτα. Ita Κω accipere mallem de
„ Κώρῃ vico *Niceratum*, ut Νικεράτων sit genitivus plu-
„ ralis incolarum. Sed de his tu videris rectius.
„ Donianos Indices tuos, in quibus magno & in-
„ defesso labore conficiendis, Scaligerum feliciter es
„ imitatus, describendos mihi curavi, descriptos
„ dissecui, ordineque paginarum Donianarum dispo-
„ sui, ut mihi de singulis iam saxis constet, quo-
„ ties & quomodo in Indicum tuorum Opere sint
„ adducta, etc.

„ In Gudiano & Doniano Opere eadem saxa da-
„ ri, veniam omnino meretur; quod utrumque
„ Opus eodem tempore, locis spatio terrarum valde
„ dis-

„ distantibus, in lucem edebatur: at in Muratorii
„ Opus magnam partem transfundi, indignor. Cur
„ Muratorius Donianos tuos sudores non eodem lo-
„ co habeat, quo Gruteri, Reinesii, Sponii, Fa-
„ bretti? etc. Gestiret animus explicatius proloqui,
„ quibus modis epigraphicum studium posset reddi
„ commodius, facilius, communius, nisi ea res epi-
„ stolae modum omnem transgrederetur etc.

Praemissis hisce Observationibus, insertisque in hoc Opere tamquam gemmis, nonnullas subiicere meas, proletarias quidem, non abs re esse videtur. Primum non arbitror puellae Christianae nomen truncum in ipso lapide ita supplendum ut dicat ΜΑΡΙΑ; nam marmoris frustulum quod deest, multa diligentia a me anquisitum, nec inventum, non duarum, sed ad minus quatuor, vel quinque litterarum capax videtur; adeo ut subspicari pronum sit scriptum ΜΑΡΚΗΛΛΑ, vel alterum nomen simile. ΜΑΡΚΙΑΝΑ. ΜΑΡΤΙΝΑ. ΜΑΡΙΤΙΜΑ; cuius nomen legitur in Christiano lapide inter Boldetthianos ad Observationes in Coemeteria SS. Martyrum Lib. II. Cap. IV. pag. 370.

Praecedit nomen defunctae puellae Christianae, ΕΝΘΑ ΚΙΤΕ. Haec formula vario modo, nec semper constanti, frequenter occurrit in Christianis titulis. Exempla habes penes V. Cl. Antonium Mariam Lupium Florentinum, S. I. Presbyterum, in Dissertatione & Animadversionibus ad Severae Martyris Epitaphium pag. 51. Tab. VII. ΕΝΘΑ ΔΕ ΚΕΙΤΕ ΜΝΙΑCΕΑC. facile ΜΝΑCΕΑC. *Hic iacet Mnaseas*. Ibidem: ΕΝΘΑ ΔΕ ΚΕΙΤΕ ΙΟΥΛΙΑΝΟC: *Heic iacet Iulianus*. Pag. vero 107. sic:

ΠΙϹΤΟϹ ЄΚΠΙϹ

sic ΙѠΝ ΖѠϹΙΜΟϹ

ЄΝΘΑΔЄ ΚЄΙμЄ

ΖΗϹΑϹ ЄΤЄϹΙΝ

Β · μΗ · Α · ΗμЄ ΚЄ

ſcilicet : *Fidelis ex Fidelibus* (exiſtens) *Zoſimus hic iaceo : qui vixi annos duos, menſem unum, dies vigintiquinque*. Aliter in alio lapide apud eumdem pag. 177. ЄΝΘΑΔЄ ΚЄΙΤΑΙ ΦΑΥϹΤΙΝΑ. *Hic dormit Fauſtina*. Frequenter etiam: ЄΝΘΑΔЄ ΚΙΤΗ ЄΝ ЄΙΡΗΝΗ. *Heic dormit in pace ;* de qua formula vide Severanum, Romae Subterran. Lib. II. Cap. XXII. pag. 191. deſumta ex verſ. 9. Pſal. IV. *In pace, in idipſum, dormiam & requieſcam*. In noſtro igitur lapide : ЄΝΘΑ ΚΙΤЄ.

ΙΟΑΝΝΟΥ. Ioannes pater eſt huius Chriſtianae puellae. *Ioannis* nomen in Chriſtianis ſaxis non niſi ſaeculo V. uſurpatum animadverto. Ioannem & Varanam Conſules adnotavi in Parte I. huius Operis num. 134. pag. 168. qui Conſules in Oriente fuerunt anno poſt C. N. 457. Occurrit in Graecis & Latinis lapidibus apud Reineſium Cl. XX. num. CCCXXIV. & CCCXXV. In Aquileienſibus apud Cl. Ioannem Dominicum Bertolium num. DX. pag. 349. IOHANNIS LECT˒ CVM MATRE SVA AGNETA. In quo notanda interpunctio ˏ. pro puncto, uti etiam exhibet hoc marmor; & pag. 346. num. DIV. IOHANNIS MIL DE NVM CADISIANO. *Miles de Numero Cadiſiano :* item pag. 334. num. CCCCLXXXIV. adfertur marmor, ut adparet, vetuſtius, cum hac inſcriptione, tribuſque inſculptis figuris ſublatis manibus, more orantium, & duobus candelabris:

HIC.

HIC . REQVIESCIT . PVER . IOHANNES
QVI . VIXIT . ANN . IIII . MEN . II . D . XIIII .
DEPOSITVS . DIE . XIII . KAL . AVG . IN . PACE

Antiquius *Ioannis* nomen usurpatum lego in monumento, quod vide si otium tibi est, hisque deliciis frui gaudes, in Specimine Rei Nummariae apud celeberrimum virum Andream Morellium pagina mihi 107. in quo multa adnotari possunt.

Quod pertinet ad tertiam huiusce lapidis lineam, certum indubitatumque est, non aliter scriptum quam, Κω ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ. Interpretatio Cl. Hagenbuchii, licet coniecturam adpellet, mihi magis adridet, & verisimilior videtur; nam Κω prima syllaba indicari putat nomen Κώμη, *vicum* nempe ΝΙΚΕΡΑΤΩΝ, *Niceratorum* populorum, qui vicum forsitan incolebant, qui a Theodoreto *Nicerte* adpellatur, situm apud Apameam Syriae. Sed exemplo Christiani lapides Graeci apud Cl. Boldetthium Lib. II. Cap. XVIII. pag. 555. liquet interpretandum esse τὸ Κω, nempe ΚΩΜΗϹ. scilicet *pago*, seu *vico*; non autem Κώρῃ *regione*: lapis haec habet:

ΦΛΑVΙΟϹ ΠΑΥΛΟϹ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥΑΠΟ
ΕΓΥΠΤΟΥ
ΚΩΜΗϹ ΜΕΓΑΛ
ΗϹ........
ΤΗϹ ΜΕΓΑΛΗϹ ΗΡΑ

Hoc est: *Flavius Paulus Heraclidis* (filius) *ab Aegypti pago magnae...... magnae Heracleae*. In saxis militaribus, quae militum patriam declarant,

ſimili modo per unicam litteram, vocis initialem, eam notatam cernimus, nempe N. vel NAT. *Natione*, MV. *Municipio*, *Municipalis*, D. *Domo*. Inſigne marmor Chriſtianum inter Aquileienſia Muſei ſui adfert praelaudatus Bertolius, in quo Luciae Severae filiae Zenobii, quae anno aetatis ſuae ſeptimo cum Deo fuit, adnotatur natale ſolum, nempe civitas Niloa, quae facile eſt Nilopolis Aegypti, laeva ad Nilum ſita, de qua Ptolemaeus: CΕΥΗΡΑ ΘΥΓΑΤCΡ ΖΗΝΟΒΟΥ ΜΗΝΟΝ Ζ ΑΠΟ ΑΥΤΗC ΠΟΛΕ ΩΕ ΝΙΛΩΟΥ. Supereſt dubium, utrum ſcriptum ſit ΠΟΛΕ ΩΕ vel potius ΠΟΛΕΩC, ut ſubſpicor. In marmore Ethnico, quod dedi in Parte I. pag. 373. num. 128. fit mentio puellae Paſtophorae ΘΕΑC. ΝΕΙΛΩΤΙΔΟC ΕΙCΙΔΟC. ΑΓΝΗC. *Deae Nilotidis Iſidis caſtae*.

Perrari ſunt Chriſtiani lapides, in quibus defunctorum patria indicatur, in quorum ſerie & hic noſter adnumerandus. Apud Cl. Boldetthium paucos hoſce alios adnotare lubet: IN PACE DEFVNCTVS VERECVNDVS NATVS IN VRBE ROMA. ANNOS LXV. pag. 404. VICTORIA. DE REGIONE MADMEDERENSIVM. pag. 411. ΗΛΙΑΚΟΝ EMECHNON etc. ibidem. ANNEVS FORTVNALIS MILIS REGIONIS BISENTINAE. pag. 416. VALERIVS. LILA. SCVTARIVS NATIONE. MAVRVS.

I M I ς. Quod in quincta linea ſequitur poſt I. nempe ς. litera non eſt; ſed interpunctionis nota. In lapide Syracuſis advecto, qui adſervatur in Muſeo Collegii Panormitani Soc. Ieſu, notam aliam, ſimilem notae Arabicae σ σ adnotat praelaudatus amicus meus P. Lupius §. VIII. pag. 60. qui fuſius de hiſce interpunctionibus diſſerit.

ΠΙCΤΗ. *Fidelis*. Fideles Tertullianus adpellat *intinctos*, & *perfectos Dei ſervos*: Hieronymus *Chriſtianos*, in Dialogo adverſus Luciferianos. Vetuſti lapides diſtinguunt *Fideles*, & *Audientes*, quorum mentio in adlato a me lapide Chriſtiano in Par. I.

hu-

huius Operis pag. 288. num. 2. *Fideles* namque, dimissis post missam *Catechumenis*, manebant, & orabant cum aliis Fidelibus, hisque solis licebat recitare Orationem, quae propterea a veteribus vocatur Εὐχὴ τῶν Πιστῶν. Haec ex Suiceri Thesauro Ecclesiastico. Hac laude ornati Christiani in sepulcralibus titulis: ut supra: ΠΙCΤΟC ΕΚ ΠΙCΤΩΝ. *Fidelis ex Fidelibus*, nempe parentibus: & in adlato a me lapide: SOZOMENETI. ALVMNAE AVDIENTI. PATRONVS FIDELIS. uti haec etiam puellula. In aliis apud Cl. Boldetthium; FIDELIS IN CHRISTO. pag. 275. D. Paulus in Epist. ad Ephesios Cap. 1. Τοῖς οὖσιν ἐν Εφέσῳ, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.* In aliis titulis apud eumdem: FIDELIS IN PACE pag. 392. & pag. 453.



CYRIACVS FIDILIS DECESSIT OCTO DIES
MINVS. A. TRES. ANNVS III. KAL. MAR.


Hunc titulum ideo integrum protuli, ut de eius aetate, ut cernimus, adnotata in hoc lapide, non dubitemus: nec novum videatur trimam puellam, vel quadrimam, Fidelem nominari. S. Zosimus Papa, quo sedente obiit haec puella, ut in Libro Pontificali edito a Cl. Vignolio: *Praecepit, ut nullus Clericus poculum in publico propinaret, nisi tantum in cellis Fidelium, maxime Clericorum.*


ΞΑΝΔΙΚΟΥ. Singularis est in hoc lapide mensis Xanthici mentio, quem mensem Aprili Romanorum respondere Muratorius, & Fogginius indicarunt. Apud Asianos is fuit anni sextus mensis, cuius prima dies erat vicesima secunda mensis Februa-

bruarii, ea vero qua exibat, dies vicesima quarta Martii apud Romanos. De Asianorum anno eiusque mensibus consulendus est magnus Henricus Norisius, qui eius Diagramma exhibet in Dissertatione I. de Anno Macedonum pag. 18. Igitur dies decima huius mensis Xanthici, qua haec Christiana puella obiit in somno pacis, ex Norisio correspondet diei tertiae Martii Romanorum; secundae vero eiusdem mensis, si annus sit bissextilis: at ex curis viri doctissimi Iulii Pontederae in antiquitatum Latinarum Graecarumque Enarrationibus & Emendationibus Epist. XXVIII. apud Macedones Xanthicus mensis respondet Aprili; sed observandum est hanc puellam ex patre Syro natam esse; adeoque stilo Syrorum crediderim annum & mensem numerari. Notandum quoque litteram Δ pro Θ; forte ratione pronunciationis, perperam sculptam a quadratario; adeoque ξΑΝΔΙΚΟΥ, pro ΞΑΝΘΙΚΟΥ.

ΑΥΓ. Ita quoque adnotatum nomen Augustorum in antiquis numismatis, quae vide in Musei Florentini Tom. IV. & V.

Τ̊ Cum *o* super crus Τ positum raro occurrit. In alio lapide Christiano apud Gruterum, in quo Consules memorantur Honorius & Constantius (perperam scriptum est ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΥ) adnotatum est ΤΟ. Denique minime dubitandum quin scriptum sit ΟΝΟΡΙΟΥ ΑΥΓ Τ̊ Ā. †. siquidem manifeste adparet fabrile erratum; scribendum namque erat Τ̊ ΑΙ. ΟΝΩΡΙΟΥ.








2. 3. 4. Praeter adlatum Graecum epitaphium, alia quoque scripta Graecis litteris, & quidem non pau-

pauca, fragmenta haec quae eruta ſunt declarant. In 2. vides, ut in priore, forſitan notatum natale ſolum defuncti; nam occurrit K$^{\omega}$. In tertio adnotandum ⊟ nempe *Theta* quadrata forma ſcriptum, ut in compluribus Athenarum vetuſtiſſimis numis a Cl. Haymio editis; adeoque quum ſubſecutis barbaris ſeculis ſervatum videamus priſcum ſcripturae ſtilum; nil temere de aetate lapidum, cuius tempora non notantur, adfirmandum eſt. In quarto PIVS praedicatur defunctus.



5. Protulit hoc fragmentum Cl. Fogginius, cuius obſervationes non praetermittam. *Porro* (haec habet pag. 8.) *effoſſa ſunt & alia multa tum Graecarum, tum Latinarum Inſcriptionum fragmenta; ſed fieri non poſſe, ut vel una integra inſcriptio ex eis eruatur, diuturno labore & ſtudio incaſſum inſumpto, expertus ſum. Inter fragmenta Graeca inſignius viſum eſt quod ſubiicio, ubi legitur ſolemnis Chriſtiana formula, quae & in Judaicis ſepulchralibus titulis interdum occurrit:* EN IPHNH. *in pace*. Quae ſequuntur neſcio num ſignificent: *in Chriſto Ieſu;* nam referunt C I ^{H} I S: quod aliis expendendum relinquo. Additur etiam arboris ſeu palmae ramuſculus, & Crux, de quibus Chriſtianorum ſymbolis plura apud Agiographos Boſium, Arringhium, Boldetthium, & Lupium.

6. Conſueta formula, initium inſcriptionis Chriſtianorum veterum: ЄNΘAΔЄ KЄITAI: vel KЄITЄ: KЄITAI. quae quidem in Latinis huius Coemeterii


rii titulis conſtanter redditur : HIC REQVIESCIT, ſeu HIC REQVIESCET . quia I & E alternant. Sequitur Ɛ Z H-C Ɛ N· *vixit*.

7. In hoc PAKONIA Chriſtianae feminae, ut mihi videtur, nomen ſublucet.

Latina veterum Chriſtianorum epitaphia in eodem inſigni Coemeterio effoſſa, haec ſunt quae ſequuntur, quorum primum par Conſulum exhibet.

Marmorea tabula in multa fruſta diffracta, alta ped. Rom. II. unc. VI. *lat. ped. I. unc. II. eruta eodem menſe.*

8



8. Antequam Cl. Fogginius hunc lapidem deſcriberet, ipſe vidi, & accurate deſcripſi. In quarta linea L. F. ſecunda littera ampliore ductu tranſverſam ſuperne lineam ita extendit F. Legi etiam ANNOS P M Lˣ In ſeptima, quum reperiſſem integrum fragmentum, legi ISIDORO ET SENATORE V̇ V̇ C͡C : neque deeſt punctum poſt C͡C CON: deinde paullo inferius

ſe-

ſequitur ꝑ. ſtilo quadratariorum conſueto, qui ſequioribus praeſertim ſaeculis frequentius hoc parergon, quo etiam voces interpunxere, uſurparunt. Haec igitur habet huiuſmodi praeclara inſcriptio: *Bonae Memoriae. Hic requieſcit in pace Aquilia Paulina Laudabilis Femina, quae vixit annos plus minus ſexaginta. Depoſita die ſeptimo Kalendas Octobres Cons. Iſidoro & Senatore Viris Clariſſimis Conſularibus.* Supervacaneum eſt in ſeptima linea CONꞩ quae nota Conſules, qui ſequuntur, indicat, quum poſt eorum nomina iterum repetatur CON, nempe CONS. vel etiam CONSS.: ita enim ſupplendum hoc marmor, exemplo aliorum Chriſtianorum lapidum, hoc aevo exaratorum. In his, ut videre eſt apud Gudium, apud me in Donianis, & apud Fleetwoodum pag. 401. & 495. haec nota CONS, vel CONSS. interdum praemittitur Conſulum nominibus; interdum etiam ſequitur. Quadratarius noſter, quum in fine marmoris multum ſpatii, & locum ſupereſſe videret, eam notam CONS repetere voluit, ac praeterea addidit ꝑ. Notandae litterae ꝑ & ꞩ lineola proſciſſae, quae rarius in vetuſtis ſaxis occurrunt.

Flavius Anthemius *Iſidorus*, & *Senator* Conſules fuere anno poſt C. N. CCCCXXXVI. Apud Relandum in Faſtis Conſularibus altera inſcriptio adfertur, in qua primus *Senator*, ſecundus *Iſidorus* Conſules recenſentur: CC. SENATORE ET. ISIDORO. VV. CC. uterque Orientalis, ut de priori Iſidoro liquet, de quo vide quae adnotantur a C. V. Manſio Baronii Editore & Illuſtratore perpetuis Notis in hunc annum, Tom. VII. novae Lucenſis Edit. pag. 493. Ad eum Theodoſius Iunior Imperator direxit Reſcriptum de deportando Oaſim Neſtorio, deque eius libris comburendis, quod adfert Baronius: quod Reſcriptum Theodoſii in antiqua verſione Concilii Epheſini Cap. 83. hunc titulum praefert: *Interpretatio Sanctionis ſcri-*

Tt *ptae*


ptae ad Isidorum gloriosissimum Praefectum Praetorio, & Consulem Ordinarium: quod hoc anno emissum est. In Fastis Idatianis *Flavius Anthemius Isidorus* adpellatur. Hic annus erat S. Syxti III. Papae quinctus: & circa hoc tempus aliquot viri docti (inter quos primum tenet locum urbis nostrae, & Senatorii Ordinis immortale decus Philippus Bonarrotius, uti saepenumero ex eorum eruditis, quos conseruimus sermonibus, audivi) exstructum censent Florentinum Baptisterium, operum interna elegantia, musivis operibus, & tessellato pavimento, columnis praealtis, capitulisque auro fulgentibus, tribus etiam ianuis ex aere, caelaturis & anaglyphis operibus insignissimum, & nulli secundum: cuius Baptisterii, & Basilicae iamdiu in votis habeo proferre accuratam Historiam, insignibus refertam monumentis, quae nullis vigiliis ac laboribus parcens collegi; praesertim ex locupletissima Bibliotheca Illustr. Caroli Thomae Strotii, qui meis hisce studiis una cum eruditissimis filiis suis egregie favit. Florentiam Romanae magnificentiae aemulam fuisse compluribus documentis, ab eruditissimo Vincentio Borghinio adlatis, exploratum est. Hoc siquidem anno idem S. Syxtus III. Pontifex Maximus, uti ex Pontificali Libro discimus: *Fecit & fontem Baptisterii ad sanctam Mariam, & columnis porphyreticis exornavit. Hic constituit columnas in Baptisterio Basilicae Constantinianae, quae ex tempore Constantini Augusti fuerant congregatae, ex metallo porphyretico, numero* VIII. *quas erexit cum epistyliis suis, & versibus exornavit. — Fecit etiam in Ecclesia Sanctae Sabinae fontem ad Baptisterium.*

Huiusce laudabilis feminae Aquiliae Paulinae soror fuisse videtur Aquilia Valentina, quae ei praemortua est sex ante annis, & nominatur in sequenti titulo: *quae vixit annos plus minus quinquaginta* su-

ſupra quatuor, & dies octo & quinquaginta, depoſita ſub die decima octava Kalendas Decembris in pace. Frequentius in hiſce Chriſtianis titulis ſcriptum: HIC REQVIESCIT. In aliis plurimis apud Fabrettum Cap. VIII. DORMIT IN PACE. & in adlata a me e Muſeo Bonarrotio Par. I. pag. 220. num. 23. INTER DORMIENTES ZOHE. In altera apud Fabrettum pag. 553. HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS FLORA etc.


Marmor effoſſum in eodem Coemeterio die XVI. *Maii eiusdem anni.*

9



Ibidem erutum marmor, eadem die & anno alt. ped. Rom. II. lata circiter IV.

10



10. Irrepſit mendum in Fogginiana editione; nam perperam habet EL. MARTINA; quum marmor perſpicue praeferat FL. MARTINA: hoc eſt *Flavia Martina*, quae fuit e *Flavia* familia. Ex eadem, ſupra memoratus eſt num. 2. *Flavius Romulianus*, & eius fratres. Notum ſatis ſuperque eſt in vetuſtis

ſaxis alternare N. & M. quare nil mirum ſi in altero legitur XVIII. KAL DECEMBRIS. in hoc vero VIII. KAL DECENB'.

11

B ✝ M
IACET FVNDANIvS
OVIANVS LEC
OR QVI VIXIT AN
NIS XϚI MENS, ϚIII DXX
DEP IN PACE PRID NONA
S IANVAR/
☧

12

HIC IACET BONE
MEMORIAE CARTA
CO QVE VIXI P MAVO
XXII MARITVS ERPA
CONIVCI DILCISSIME
TITVLVM POSVIT, DE
POSITA

11. Deſunt fracto marmore in dextro ſummo latere aliquot litterae, quae facile ita ſupplentur: *Bonae Memoriae Hic iacet Fundanius Iovianus Lector* etc. Effoſſus eſt hic titulus ſub pavimento tribus fere ulnis, e regione Sacelli Nobb. Guidettiorum, V. Idus Martias anno MDCCXXXVI. ſtilo Florentino. Cl. Petrus Franciſcus Fogginius in quincta huiuſce lapidis linea MEN·S Ϛ III. edidit. De Lectorum ordine, origine, inſtitutione, & quantum temporis in eo inſumerent, antequam ad alios adſcenderent, erudite idem Fogginius diſſerit in ſua Exercitatione pag. 9. 39. & ſequentibus. Alia plura colligi poſſunt, praeter Bingamum, ex Du-Cangio, & Suicero. Lectorum munus fuit ſacros Codices in Eccleſiaſticis conventibus populo legere, & ea quae Prophetae vaticinati ſunt praenuntiare; item ſacrorum Codicum ſervandorum curam gerere: ad quod munus primum provectae aetatis homines doctrina, moribus, & meritis ſpectantiſſimi ſunt delecti; poſtmodum im-


impuberes etiam admiſſi. Iamdudum multa in Chriſtianos lapides in Adverſariis habeo quae collegi, eo conſilio, ut omnem Eccleſiaſticam Hierarchiam, ſacroſque Miniſtros, & Fideles in Eccleſia ſancta Dei, lapidibus primis ſaeculis erutis, & in hac rem ſelectis, in quibus eorum ſit mentio, itemque Sacramentorum, Obſervationibus aliquando, Deo dante, illuſtrem: adiecto Tractatu de rebus ad Religionem, & Ritus veterum Chriſtianorum ſpectantibus de eorum antiquiſſimis picturis, ſacriſque imaginibus: item de veſtibus ſacris, & communibus, de eorum donis, ſymbolis, & notis, quae in Chriſtianis Sepulchris occurrunt. Interim inſigne Diptychorum ex ebore cum ſacrorum, tum profanorum Syntagma in promtu habeo ut prelo quamprimum committam: quapropter eruditos Antiquitatis cultores enixe rogo atque obſecro, ut ſi quae Diptycha latere alicubi ſciant, nondum edita, mihi humaniſſime per litteras indicent, maximam apud omnes, & apud me gratiam inituri, quorum nomina debitis laudibus, grataque animi ſignificatione non fraudabo.

12. Prima lapidis linea HIC IACET BON, ita ſcripta eſt apud Cl. Fogginium; ſed revera E exigua quidem & minor reliquis characteribus non deeſt poſt BONE. In tertia etiam legi, & accurate in meis Schedis exſcripſi, QVE VIXI (nam deeſt T vel I. ſuperiacet linea, ut duarum litterarum vicem ſuppleat nempe I & T. VIXIT) P. MAIO deeſt N & S. *Vixit plus minus annos* XXII. Tum in Ethnicis, tum in Chriſtianis ſaxis occurrit ea formula TITVLVM POSVIT; de qua alibi nonnulla adnotavi. Ob marmoris inferiorem fracturam deſunt notae temporis, quo in pace obdormierit, & depoſita fuerit Carthago, cuius maritus fuit *Erpa:* num *Epaphra*, ita ſcriptum ob difficilem pronunciationem? Nihil dico de alterna-


natio-

natione C & G, quae passim in vetustis inscriptionibus occurrit.

13



14



13. Cl. Fogginius quid singularia illa TR B significent non adnotavit. Sed minime dubitandum est exponenda esse *Tribunus Boluptatum*, nempe *Voluptatum*. Igitur sic interpretanda est: Fortasse in principio deest familiae nomen FL. *Flavius*, sive aliquid huiusmodi: *Hic* † *Maximinus Vir Clarissimus Tribunus Boluptatum* (*Voluptatum*) *requiescit in pace* (supple RE*quiescit* DP. DIE) *Depositus die* XV. *Kalendas Iunias*. Sequitur ℞, quod Fogginius praetermisit. Sexcenta occurrunt exempla in antiquis scriptis monumentis alternationis B & V. inter quas litteras in pronunciatione magna est adfinitas; quare licet hoc Tribuni munus, rarissimo plane exemplo, & forsitan singulari indicatum sit unica B. minime tamen dubito indicare Maximinum fuisse *Tribunum*

Vo-

Voluptatum, eoque in munere defunctum esse. Discimus etiam ex hoc lapide *Clarissimi Viri* titulum hisce Tribunis Voluptatum, non secus ac Consulari dignitate, vel Praefectura sive Vrbi sive Praetorio fulgentibus viris, honoris caussa tributum esse. Notum est ex Lib. XV. C. Th. l. 13. Tit. de Scaenic. Tribunorum Voluptatum munus fuisse curare ludos & spectacula ad hilarandos populos, quae veteres *voluptates* adpellabant, ut fusius adnotavi ad numum Gordiani Pii maximum in Tom. II. Numism. Musei Florentini Tab. LXI. num. II. pag. 118. Samuel Pitiscus v. *Tribunus*, eius fieri mentionem in singulari lapide adnotavit, quem adfert, sed mutilum, ac multis mendis corruptum: nec alterum similem reperies in universo Gruteriano Thesauro, & Reinesii Syntagmate. Eumdem magis integrum habes a me editum in Donianis Inscriptionibus, Class. XX. num. 63. pag. 537. quem Donius vidit exscripsit.

FL. MAXIMO. V. C. CON
CESSVM. LOCVM. PETRO
ROME. ET. TRIBVNO. VOLVP
ET. CONIVGI. EIVS. IOHANN
PAPA HORMISDA ET TRANSM
DVS PRAEPOSIT. BASC BEATI PE

Protulit hunc ipsum lapidem, & cum aliis, in quibus Liberti Caesarum Procuratores, & Scribae *voluptatum*, & servi a *rationibus voluptatum* recensentur, illustravit Cl. Eques Victorius in sua Dissertatione Glyptographica Cap. XIX. Memoratur etiam in Codi-

dice Theodosiano Diogenianus *Voluptatum Tribunus*; cuius munus, uti videmus ad sequiora usque tempora viguit.

Huic sepulturae locum concessum, & coniugi eius ab Hormisda Papa in Basilica Beati Petri, perspicuum est. De eius munere dubitare videtur Paulus Aringhius, qui valde mancum adfert hunc titulum Lib. II. Cap. X. pag. 338. Romae Subterraneae. Sed, quod munus *Tribuni voluptatum* ad haec usque tempora duraverit, testis est hic alter titulus a nobis prolatus: non enim aliter eas notas V. C. TR B. quam *Vir Clarissimus Tribunus Boluptatum* seu *Voluptatum* explicari posse arbitror. Eximiam fuisse hanc dignitatem, existimationem splendoremque viris contulisse, constat ex Cassiodoro Variar. Lib. VII. 10. *Quapropter Tribunum te Voluptatum per illam iurisdictionem nostra facit electio; ut omnia sic agas, quemadmodum tibi vota civitatis adiungas: ne quod ad laetitiam constat inventum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum*. Igitur in pretio habendus & iste lapis Christianus, qui secundus est in serie eorum, qui *Tribuni Voluptatum* mentionem faciunt.

14. Sic interpretandus est hic titulus, licet in plura frusta fossorum incuria discissus, & in fine valde mutilus: *Bonae memoriae Hic iacit (iacet) Segetius, de Schola Gentilium, qui vixit annos triginta & octo. Depositus sexto Idus Februarias*. Sequitur vestigium unius litterae, & ut videatur, forsitan scriptum IN PACE: ex quibus colligimus Christianum hominem fuisse officio & dignitate in militia, seu Palatina Schola conspicuum. Siquidem SCHOLA dicebantur in universum ministeria Palatina Domus Augustae, quam Corippus festive describit Lib. III. de laudibus Iustini Imperatoris, ita exordio facto:

Or-

Ornata est Augusta Domus, iussuque Regentis
Acciti Proceres omnes, SCHOLAQVE *Palatî est*
Iussa suis adstare locis. ———


Corippus eos postmodum recenset, qui *Caesarienses*, *Agentes in rebus*, *togatae militiae*, & *Magistriani* dicebantur, quod Magistro Palatino, seu Officiorum Magistro parerent, erantque in certas diversorum graduum classes digesti. Hos erudite enumerat Gutherius de Officiis Domus Augustae Lib. III. Cap. X. Fuit & inter has classes *Schola Gentilium*, qui a Scutariis distinguebantur, qui in ordine Palatinorum militum praecipui erant. Christiana inscriptio adfertur in Gruteri Thesauro pag. MLII. 11. quae lucem huic quoque nostrae adferre potest. Ea haec habet:

B· M· IN· PACE
FLANIGGO· SCVTARIVS
SCOLA· TERCIA· QVI
VIX· ANN· L· M· XV
MILITAVIT· ANN· VI
COGNATVS· DVLCISSIMVS
SORORIO· AMANTISSIMO

Hanc etiam profert, & illustrat Fabrettus Cap. III. num. 588. Vides in hac, ut in nostra, scriptum SCOLA, pro SCHOLA. Ex Ammiano Marcellino Lib. XVI. discimus, Gentiles per municipia distribui consuevisse ab Imperatoribus, quod facere non potuisse narrat Iulianum Augustum, quum apud Senonas oppidum tunc opportunum abscessisset, & curaret ut milites, qui a solitis desciverant praesidiis, reducerentur. Id ipsum munus obiisse credibile est Segetium,


quum in hac Florentinorum Colonia degeret, in qua, quum Chriſtianis caſtris nomen dediſſet, defunctus florenti & immatura aetate, in hoc Coemeterio cum Fidelibus ſepultus eſt. Alterum virum dignitatis honore & muneribus praefulgentem, cui *clariſſimi* titulus datus eſt, nobis indicat Paulinus Presbyter in vita S. Ambroſii, quam hortante S. Auguſtino ſcripſit. Nam memorans D. Ambroſium in Tuſciam veniſſe invitatum a Florentinis, & Baſilicam Florentiae aedificaſſe magna totius Plebis ſanctae laetitia, atque exultatione: & Radagaſio Florentiam obſidente, quum deſperarent cives, cuidam per viſum adparuiſſe, poſtero die ſalutem adfuturam promittentem, quam obtinuere profligato Radagaſio cum ingenti exercitu ſuo: ſcribit Ambroſium hoſpitatum eſſe *in domo Clariſſimi quondam Viri* DECENTIS, *& quod eſt amplius Chriſtiani*. Idem etiam Paulinus inter veteres Chriſtianos Florentinos nominat *Panſophiam* Decentis uxorem, & *Panſophium* eorum filium. Pererudite hunc lapidem illuſtrat Celeb. Fogginius pag. 11. quem vide. Ceterum is notat Florentini hominis minime eſſe hanc inſcriptionem, atque ex eo conſtare ſibi adfirmat, quod ſit militis DE SCOLA (lege SCHOLA) GENTILIVM. Verum minime compertum videtur utrum indigena fuerit, an peregrinae conditionis. Cave autem coniicias, Segetium Ethnica labe infectum, quia dicitur de *Schola Gentilium*; nam, ut advertit praelaudatus Fogginius, *Schola Gentilium Seniorum* (nam erat etiam *Iuniorum*) dictum eſt Romanis Collegium militum ex Barbaris, qui aut ex foederatis erant, aut qui in leges Romanas ultro, vel deditione tranſierant. Profecto Chriſto nomen dediſſe Segetium, tituli huiuſce formulae, in Chriſtianorum ſepulcris atque in his etiam adhibitae, non obſcure declarant. Igitur in uno eodemque Coemeterio nullum, ut hodie fit, habitum fu-

ſuiſſe diſcrimen priſcis ſaeculis Chriſtianorum tum divitum nobiliorumque, tum etiam tenuiorum, animadvertimus.



15. Haud difficile totus ſuppleri poteſt hic titulus Chriſtianus: *Bonae Memoriae Hic Requieſcit Martha quae* vixit annis . . . . . . *depoſita eſt Idibus Novembris* . . . . Marmor, in quo hic titulus ſcriptus eſt, quod notabam, album quidem eſt; ſed nigris maculis variegatum.


16. CIANV. Forſitan MARCIANVS. Tam male fractum eſt hoc marmor, ut defuncti, ſeu defunctae nomen in priore linea vix erui poſſit. Occurrit in Chriſtianis ſaxis MARCIANO, & MARCIANI, apud Cl. Boldetthium Obſervat. in Coemeter. SS. Martyrum Lib. I. Cap. XIV. pag. 55. quare in altera linea ſubſpicor ſcriptum MARCIANVS.




17. ANNVS: hoc eſt: ANNOS. In vetuſtis ſaxis interdum FATVS MALVS pro *Fatum malum*, & alia huius generis complura exempla occurrunt.

18. RECES.... hoc eſt: RECESSIT. Ita etiam ſcriptum in Gruteriano lapide pag. MLIX. 7.

19. Magnam fragmentorum e marmore congeriem, in quibus litterae ſcriptae; ſed ex his ne unum quidem integrum nomen expiſcari potuimus. Duo ex his plures continere litteras vidimus, quae ſubiicio.





20. Exſtat etiam fragmentum marmoris, in quo ſculptura lineari unico ductu ſculptum eſt vaſculum utrinque anſatum, quod ſarcophagi ornamentum fuiſſe ſubſpicor. Effoſſum quoque vaſculum cum operculo acuminato ex aere, quod ita claudit, ut aperiri facile poſſit.

21. Ceterum ſi quis accurate huius Baſilicae ab antiquiſſima origine ſua Hiſtoriam ſcribere voluerit magnam apud eruditos homines gratiam inibit. Locupletiſſimum exſtat penes Sanctimoniales generis ſplendore & pietate conſpicuas Chriſti Ancillas Chartophylacium, e quo etiam ad patriam Hiſtoriam illuſtrandam multa inſignia monumenta eruere poterit. Honoribus, & privilegiis ſane multis tum Baſilicam, tum Monaſterium ornarunt non pauci Summi Eccleſiae Dei Pontifices, inter quos eminet Nicolaus II. antea Florentinae Eccleſiae Pontifex, qui vetuſtate conlabentem Baſilicam & Monaſterium a ſolo refecit, & exſtruxit, & Templum ſolemni ritu conſecravit:

vit: cuius rei perenne exſtat in marmorea tabula in eadem Eccleſia monumentum quod ſubiicio.

TEMPLVM HOC DEO ET B. FELICITATI DICATVM
ET ANNIS IAM IƆCC. ET VLTRA PERACTIS SACRIS HISCE
VIRGINIBVS A ROM. PONT. DATVM NICOLAVS II.
QVI EARVM MONASTERIVM FERE DESTRVCTVM DVM
EPISCOPALI MVNERE IN FLORENTINA SEDE FVNGERETVR
COOPTATO NOBILIVM SANCTIMONIALIVM COLLEGIVM
REAEDIFICANDVM VII. IDVS NOVEMBRIS. QVAE FVIT DIES
DOMINICA POST FESTVM OMNIVM SANCTORVM
SOLEMNITER CONSECRAVIT QVARVM RERVM MEMORIA
N E P E R E A T
SANCTES ASSETTATIVS EIVSDEM TEMPLI PRIOR
MONVMENTVM HOC PONENDVM CVRAVIT ANNO DOM. CIƆ. IƆ. C.

Hoc ipſum adfert de Eccleſiaſticis Antiquitatibus, deque Theologorum Florentinorum Collegio optime meritus, Cl. V. Lucas Ioſeph Cerracchinius in Chronolog. Sacr. Epiſcoporum & Archiep. Florentinorum pag. 49. quam nunc aliis monumentis illuſtrat, amplificat, & emendat, & ut quamprimum in lucem proferat, valde optamus. Nicolaus II. Florentiam adveniens anno MLIX. ſuaque implens maieſtate, Baſilicam hanc cum Monaſterio a ſe exſtructam memorata die conſecravit, cuius rei monumenta Hiſtoriae Eccleſiaſticae maximus parens Baronius adfert Annal. Eccleſiaſt. Tomo XI. ad hunc annum, & Ferdinandus Vghellius Ital. Sacr. Tom. III. illuſtrat. Huiuſce dedicationis fit mentio in vetuſtiſſimo Kalendario, quod vidi penes ipſas Sanctimoniales. Privilegiis Monaſterium ornarunt alii Pontifices Gregorius VII. anno MLXXVII. Calliſtus II. an-

II. anno MCXXIV. quae Innocentius III. an. MCCIX. confirmavit : ea etiam ab Alexandro IV. anno MCCLVII. a Martino IV. anno MCCLXXXIII. a Nicolao IV. anno MCCXC. ab Innocentio VII. anno MCCCCVIII. postmodum a Paulo V. anno MDCXV. & ab Vrbano VIII. annis MDCXXIV. & MDCXXVI. aucta & confirmata legimus. Multa etiam beneficia, & decora contulerunt Florentinae Ecclesiae Antistites Reinerius an. MLXXVII. Franciscus an. MCCXCVIII. multaque donavit magnificentissima Beatrix Marchionissa Tusciae ; quae omnia, ut brevitati studeam, aliis illustranda relinquo. Exstant in eodem Chartophylacio aliquot pervetusti Codices, nempe duo *Biblia Sacra*, duo *Passionalia*, tria *Homiliaria* duo *Psalteria*, aliique Codices ad usum Chori pertinentes. In hoc Monasterio floruit, quae in osculo pacis in Domino obdormivit anno MCLXIII. B Berta, ut fertur, e nobilissima Bardiorum prosapia. Tribunal Chori pervetustis olim picturis ornabatur, quae octo tabulis SS. Machabaeorum martyria exhibebant, quorum Officium proprium exstat in *Rationali divinorum Officiorum*, quod uti nota eidem adiecta testatur, scriptum est anno MCCCLXIV. Hae tabulae hominum ignorantia & iniuria deletae sunt anno MDXCVI. Sacrae porro Virgines antiquitus an. DCCCL. ex alio Parthenone contiguo, S. Mariae Magdalenae sacro; migrasse in hoc Monasterium feruntur. Basilicae huius vetustiores, quae mentionem faciunt tabulae, quae reperiri ad hoc tempus potuerint, sub Sichelmo Florentino Episcopo anno XCLXXIII. memorantur. Nonnulli censent antiquiora haec Virginum Monasteria sub Pelagio II. Pontifice Maximo coepisse, qui Florentiae Ecclesias aliquot consecravit, ac praesertim S. Mariam Maiorem, anno DLVI. quin ex eius epistola Decretali ad Episcopum Florentinum, antiquiorem Collegiorum sacrarum

Vir-

Virginum, Ancillarum Chriſti originem eruere non obſcure poſſumus.

Me hortante, ut nulla futurorum ſaeculorum labe tam inſignis ac venerandi Coemeterii deleretur memoria, in ipſa Eccleſia honorifico in loco Chriſtiani lapides conlocati ſunt, ſubiecta epigraphe, quam ſcripſi, meis votis morem perhumaniter gerente eiusdem Eccleſiae, & Monaſterii Praefecto vigilantiſſimo Ioanne Baptiſta Brunio.

Inter ſacra Florentinorum Coemeteria principem locum iure ac merito obtinet illud, quod S. Miniatis Martyris Florentini dicitur, in quo tum eius oſſa, tum complurium Sanctorum, qui cum eo paſſi ſunt, tumulata in Confeſſione eius inſignis Baſilicae in pace quieſcunt. Lectorem pluribus non moror, quum ſufficere ad id declarandum poſſit, monumentum quod ſubiicio.

VETVS PRISCORVM CHRISTIANORVM COEMETERIVM
HOC IN LOCO SITVM
IN QVO
IVXTA ANTIQVAM ET FIDELEM TRADITIONEM
SVMMORVM PONTIFICVM. FLORENTINORVM PRAESVLVM
IMPERATORVM AC PRINCIPVM
DIPLOMATIBVS CONFIRMATAM ATQVE ADSERTAM
INNVMERABILIA PAENE SANCTORVM MARTYRVM CORPORA
OLIM TVMVLATA FVERE
COSMI III. MAGNI ETRVRIAE DVCIS
AD AVGENDAM FIDELIVM VENERATIONEM IVSSV RECOGNITVM
IN EO LOCVLIS CINERIBVS AC OSSIBVS PLVRIBVS REPERTIS
NONNVLLA EORVMDEM OSSIVM FRAGMENTA
QVAE COLLIGI POTVERVNT
IN PLVMBEA VRNA REPOSITA
ET VNA CVM EFFOSSA HVMO IISDEM CINERIBVS COMMIXTA
THOMAS EX COMITIBVS DE GHERARDESCA
ARCHIEPISCOPVS FLORENTINVS
HIC RVRSVS RECONDI MANDAVIT
ANNO REPARATAE SALVTIS M D CC VIII.

Baſi-

Basilica est valde magnifica, musivis picturis, marmoreis columnis, Choro marmoreo, undique moeniis elegantissimis miroque opere exstructis cincto, cum ambone ornatissimo, marmoreis itidem columnis subfulto, & caelaturis undique exsculpto. Frons templi cum gradibus splendida & magnifica est: pavimentum miro opere tessellato stratum: tota autem Basilica insignibus ubique monumentis adeo referta est, ac celebris, ut luculenta Historia aliquando, ut spero, favente Deo, illustrari a me possit. De passione S. Miniatis Martyris Florentini, & Sociorum eius, fusius agendum, deque eius cultu, celebritate, divinisque officiis: cuius Lectiones primus erui e vetustissimo Codice Bibliothecae Strotiae, &, ut publici iuris fierent, cum P. Orlendio Viro Clarissimo communicavi, qui edidit Par. II. Vol. II. Lib. III. Cap. XXXIV. pag. 1142. Orbis Sacri & Profani.

Basilicam hanc plane magnificentissimam Ildebrandus Episcopus Florentinus, de quo supra dictum est, adiutus praesidio & favore S. Henrici Imperatoris, & Conegundae coniugis eius, anno MXIII. aedificandam curavit, & dedicavit, multisque donis locupletavit, quod Tabulae ab Vghellio V. C. editae Tom. III. Italiae Sacrae, testantur. Divina officia in ea primum persolverunt Monachi Cluniacenses; postmodum pietati Monachorum Montis Oliveti adsignata est, honoris causa additis a Florentina Republica eidem Basilicae & Monasterio Defensoribus & Conservatoribus, Consulibus Vniversitatis Artis Callismalae. In hac ipsa Basilica sanctitatis suae splendidissimum tirocinium auspicatus est Ioannes, Gualberti filius, cui, quod hosti interfectori Vgonis unici fratris sui vitam clementer donasset, Feria VI. in Parasceve, quum in angustiis & aditu montis, qua iter est ad hanc Basilicam S. Mi-

ciſam in columna, quae poſita eſt, & ad hoc tempus erecta cernitur in platea Baptiſterii S. Ioannis, in qua narratur S. Zenobii Corpus e Baſilica Ambroſiana in maiorem Baſilicam translatum fuiſſe ANNO CCCCVIII. DIE XXVI. IANVARII. *tempore Imperatorum Arcadii & Honorii*, *anno* VI. *fer.* V. quae manifeſte errores non paucos continet. Hiſtorica quidem narratio, & Translatio ſacrorum Pignorum vera eſt; ſed animadvertendum eſt, hanc ipſam, quam hodie cernimus marmoream columnam, cui impoſita Crux eſt, & Translatio Corporis Sancti Antiſtitis Zenobii peſſimis litteris, Gothico more ſcriptis, adnotatur, eoque loci conlocata in memoriam dicitur, in quo arida arbor tacta a feretro Corporis Divi Zenobii hieme reluctante, Ianuario menſe, in frondes ac flores erupit, non illam ipſam eſſe, quae tunc primum poſita fuit; verum alteram, quam ſaeculo XIV. iterum, priore conlabſa, erectam fuiſſe mihi conſtat ex monumentis, quae adſervantur in Tabulario Collegii Conſulum Artis Calliſmalae, ſeu Florentinorum, ut aiunt, Mercatorum, quorum excerpta vidi in celeberrima Bibliotheca Strozia, V. C. Senatoris Caroli Strotii, qui Antiquitatum Parens merito dictus eſt, manu exarata. Namque in his memoriae proditum in feſtis, quae maxima iamtum exterorum hominum frequentia Florentiae fiebant in diebus Nativitati S. Ioannis Baptiſtae proximis, quum vela undique circa Templum & Baptiſterium eius ornatiſſima ad arcendum aeſtum longe lateque expanderentur, funeſque quibus ſubſtentabantur, ad illam etiam marmoream columnam circumligati eſſent, repente turbato caelo, exortoque ventorum furentium terrifico turbine, eam ad terram corruiſſe, idque contigiſſe anno MCCCXXXIV. Complures columnas primum in porticu Baſilicae Baptiſterii poſitas, vetera eadem monumenta memorant. Altera adſimi-

milis fuit, quam primum positam fuisse memorato in loco, in platea nempe Baptisterii, atque in ea ipsa adnotatum fuisse tempus Translationis Corporis B. Zenobii constat, & miraculum quod contigit: quae postea, ut diximus, quassata, & dimota e sua sede, furente turbine, corruit: aliae vero quatuor persimiles columnae tribunal subfulciunt musivo opere pictum in eadem Basilica S. Ioannis: altera ex iisdem columnis substituta est in locum columnae vetustioris, in qua iterum, ut ea ferebant tempora, barbara quidem, scriptam rursus cernimus memoriam eiusdem celebris Translationis Corporis S. Zenobii e Basilica S. Laurentii in Maiorem Ecclesiam, sed cum mendis, & satis incuriose; quum eius temporis homines magis cuperent exstare memoriam patrati miraculi, quam tempus sine mendis adnotatum. Effractae illius columnae fragmenta in varios usus transiere; alterum praegrande fragmentum dissectum, ut abacos conficeret, e suburbana sua villa, in qua inter varia Antiquitatis monumenta collocarat praelaudatus Senator Carolus Strotius, Florentiam nuper advehendum curavit, eius nepos Carolus Thomas Strotius, a me frequenter laudatus, in cuius aedibus, si qui sunt qui cupiant, videre possunt. Si huius marmoris fragmenta dissecta conferantur, columnam, quae ad hoc tempus cernitur in platea Baptisterii, optime cum iisdem convenire, omninoque similem cum vetustiore esse reperiemus. Siquidem marmor est mire variegatum, undis quodammodo striisque rectis obliquisque, non sine voluptate spectandis, distinctum. Haec quae ex antiquis tabulis memoravi, quum nota non essent Cl. Ioanni Lamio, nil mirum si huiusce columnae inscriptionem improbavit, nec proxime saeculo V. scriptam esse censuit, & minime sinceram esse, quo ad ipsam scribendi formam, & menda adfirmavit, quum

ip-

S. Miniatis, interficere posset, Crucifixi imago caput eis flexit: quod miraculum ita expositum invenio in vetusto Codice manu conscripto, qui exstat penes Excellent. Virum Octavium Vignalium, Florentini Archiepiscopalis Tabularii Praefectum, cuius Auctor, mox nominandus, rem notatu dignam memorat, ab aliis Scriptoribus non tam accurate scriptam, quam doctis viris expendendam propono. Haec sunt eius verba, pag. 34. a tergo: *Il qual San Giovanni di Messere Alberto* (*h. e.* Ioannis Gualberti filius) *sendogli stato morto un suo fratello, e sua adversari istavano armati per grande paura. Essendo Santo Giovanni isulla chosta di Santo Miniato, presso alla Ciptà di Firenze, trovoe il suo nimicho in uno andito in tal modo, che non si poteva fugire. Gittossi a piedi di Santo Giovanni: ismontò da chavallo, e rizzólo, dicendo vieni mecho: e menollo nella Chiesa di Santo Miniato a Monte, e dinanzi al Crocifixo l'offerse, dicendo: Singnore, chostui per tua parte mi chiede perdono, ed io non te lo posso, ne debo neghare, e atte io l'offero, e donotelo, e perdonogli. Allora il Crocifixo, era di lengname inchatenato al muro, si spicò, e la chatena, e tutto si chinoe per insino al chapo di Govanni, e del suo nimico, a dimostrare, che sommamente l'avea in piacere, e dipoi il Crocifixo ritornò nel luogo suo. Il qual Crocifixo è nel mezzo della Chiesa al primo Altare in Samminiato, ricamente adornato. Mostrasi alchuna volta in feste solenne, e anchora la testa, o vo dire orliqua di Santo Govanni di Messere Alberto, è alla Badia di Valembrosa ricamente fornita di ariento, e ismaltato etc.* Codex a me visus continet memorabilia Ecclesiarum, aliorumque monumentorum, quae Florentiae, vivente eodem Auctore, spectabantur. Ea rudi stilo, ut saeculum XV. ferebat, descripsit Marcus Rustichius, Bartholomaei filius, Aurifex Florentinus, qui in Arte sua descriptus legitur, ex Re-

Xx ge-

gesto adservato in regio Archivo. Porro venerabilis eiusdem Crucifixi Imago in Ecclesiam S. Trinitatis Monachorum Vallisumbrosae solemni pompa Florentiam translata, ibidem nunc adoratur, & quotannis Feria sexta in Parasceve, Christi fidelibus honorificentissimo cultu ostenditur.

In hac Basilica S. Miniatis Martyris *Sanctorum Corpora novem quiescere* memorantur in Charta donationis Grasulphi Episcopi Florentini, anno DCCCXCIX. quam adfert Vghellius Ital. Sacr. Tom. III. pag. 27. adeoque ea in priore Basilica exstabant, ante quam Ildebrandus hanc, quam hodie cernimus, aedificaret, dedicaretque. De recognitione Corporum S. Miniatis, & Sociorum eius Martyrum, quae contigit regnante Cosmo III. Magno Duce Etruriae, sedente Thoma ex Comitibus de Gherardesca Archiepiscopo Florentino, meminit Cl. V. Marcus Antonius Boldetthius Observat. in Sacra Martyrum Coemeteria Lib. I. Cap. XXXIII. pag. 167.

Veterum Patrum, monumentorumque traditione alterum religione venerandum Coemeterium primorum Christi Fidelium exstitisse accepimus apud Basilicam S. Laurentii, prisco aevo extra urbis Florentiae moenia sitam, in quo conditum fuisse perhibent Corpus S. Zenobii Episcopi Florentini; quem ad Dominum migrasse non multo ante annum CCCCXXIX. non inepte, ac sine ratione sibi persuadent celeberrimi Agiographi Bollandistae; ex eo etiam quod Paulinus Presbyter, a nobis superius laudatus, qui vitam S. Ambrosii scripsisse memoratur, anno CCCCXII. perspicue narret, quod hoc ipso tempore adhuc viveret S. Zenobius: quae omnia accurate expendens famigeratissimus Florentinus Polhystor Ioannes Lamius in Par. II. sui Hodoeporici, pag. 525. & 535. acerrime damnat inscriptionem in-

ci-

23

. . . . C E . . .
. . . . . . I N S V A . . . . . .
Q V I V I X I T . . . .
. . . . . . L X I I . D . P . . .
. . . . A L M A I . . . . . .
. . . . S X . . . .


23. Eruti ſunt, & exſtabant in Aede S. Pauli, antiquitus extra moenia Vrbis Florentiae ſita, nunc intra urbem, quam Coenobitae Carmelitae Excalceati, ut aiunt, nunc obtinent. Hoc loci Coemeterium priſcorum Chriſti Fidelium fuiſſe adlatae inſcriptiones ſuadent, in quibus, quae primoribus ſaeculis in uſu erant formulae Chriſtianorum titulorum, adhibentur; nempe HIC REQVIESCIT & in altera CE. nempe IN PACE. mox DP. hoc eſt DEPOSITVS AL MAI. id eſt KAL MAIAS.

Interdum ea formula DP repetitur in Chriſtianis titulis, & ſcribitur DPS, ut in ſequenti, paucis ab hinc annis Romae effoſſo e quodam Coemeterio, quem lubenter profero, quod nondum lucem adſpexerit.

DPS CYRILLES QVAE VIXIT
ANN XX DIES V QVE FECIT
CVM VIRC SVO ANN V
ET MESES VIII DIES VIII
DPS VII IDVS AVG · IN PACE

Si quis etiam ſubſpicetur Chriſtianum eſſe lapidem hunc, qui ſequitur, quod nec Cl. Fogginio im-

improbabile videtur pag. 6. coniicere etiam licebit Chriſtianorum antiquorum Coemeterium exſtitiſſe propter Aedes S. Felicis ad pontem Emae, quam Eccleſiam ſummo in honore ſemper fuiſſe, ex priſcis Tabulis ſaeculo XIV. exaratis, colligo, in quibus Canonicos in ea divina Officia perſolviſſe compertum eſt. Hunc titulum invenit III. Eid. Quinctiles, anno MDCCXXXVI. V. C. Ioſephus Maria Brocchius, editis ingenii monumentis, ac praeſertim Vitis Sanctorum & Beatorum Hominum Florentinorum de Vrbis noſtrae gloria & ſplendore optime meritus, quem in ſuis Vrbanis Hortis, ne periret, nuper cum aliis conlocavit. Ita igitur rudi ſaeculo ſcriptus cernitur, quo nova veteris ſtili exarandarum litterarum documenta indicari poſſunt, quod fecit Cl. V. Fogginius, qui & alia erudite adnotat.



24. Primaevae Florentinorum Chriſtianorum pietatis alia etiam exſtant inſignia monumenta, nempe Sepulchra Sanctorum Chriſti Martyrum Creſcii, & Sociorum eius; item SS. Pamphilae & Cerbonis, alio-

ipſam eſſe vetuſtiſſimam quosdam credere, quibus etiam haec quae adnotavi incomperta, animadverteret. Sed de his, Deo dante, alibi fuſius.

Baſilicam Ambroſianam veteres noſtri Florentini Scriptores ex eo dictam narrant, quod S. Ambroſius, quum Florentiam adveniſſet, & S. Zenobium conveniſſet, eam Divo Laurentio Martyri conſecrarit. In eo etiam Sermonem, cui titulus (forſitan non genuinus) *Exhortatio ad Virgines*, habuit, quod adſtruit vir Cl. Vincentius Borghinius in Libro de Eccleſia, & Epiſcopis Florentinis pag. 363. In eo ſermone laudat S. Ambroſius *Iulianam* ſanctam ac piam feminam, quae Domino Templum paravit atque obtulit, quod ex eius nomine, propterea quod dedicaverit, & Reliquias SS. Vitalis & Agricolae, MM. quas Bononia ſecum adtulit, condiderit, Ambroſiana etiam nunc adpellatur. Probabile eſt hanc Iulianam in hoc Coemeterio tumulatam fuiſſe, & ad eam pertinere antiquum titulum, ex eodem Coemeterio erutum, & Senatori Philippo Bonarrotio dono datum, in cuius Muſeo adſervatur, cum hac epigraphe: A ☧ ω. *Hic requieſcit in pace Ancilla Dei Iu*LIANA, *quae vixit* . . . . *&* . . . . quem a me editum vide in Parte I. huius Operis pag. 220. n. 22. eumdemque a me acceptum, iterum in lucem protulere Viri Clar. F. Franciſcus Orlendius in Par. II. Lib. III. Cap. XXXVIII. pag. 1266. Orbis Sacri & Profani, & Petrus Franciſcus Fogginius pag. 4. praelaudatae Exercitationis. Hanc ſanctiſſimam feminam Iulianam Florentinis tribuit magnus Annalium Eccleſiae parens Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium, VII. Idus Februarias, nec Bononienſibus abſcribit; quamvis aliqui Bononienſes Scriptores ſuam eſſe ſcripſerint: *Bononiae, Sanctae Iulianae Viduae: De eadem Tabulae Eccleſiae Bononienſis. Iulianam Viduam laudibus cumulat Sanctus Ambro-*

bro-

brosius in Exhortatione ad Virgines; sed illa, ut adparet, Florentiae nobilissima Femina claruit, quae erexit illic illustrem Basilicam, quam Sanctus Ambrosius dedicavit, locupletavitque Sacris Reliquiis Sancti Agricolae Martyris, quas Bononia secum detulerat. Iulianam a D. Ambrosio laudatam, Florentinam esse, non Bononiensem, apertissime docet in eruditissimo Opere suo Adnotationum in Festa Dominica, & S. Mariae Virginis iuxta ordinem Kalendarii Romani Par. III. Tit. XXXIV. & seqq. Eminentissimus LAMBERTINIVS, Archiepiscopus Bononiensis, nunc Sapientissimus Ecclesiae Catholicae Summus Pontifex BENEDICTVS XIV., omni laude maior, scriptis, rerumque praeclare gestarum gloria immortalitate dignissimus. De hac Iuliana fusius etiam Borghinius de Episcopis Florentinis Tom. II. pag. 375. Cosmus Valerius Zanius Bononiensis in Vita S. Petronii Part. II. pag. 96. item Pellicionius in Vita S. Iulianae Bononiensis Lib. I. Cap. VII. & Silvanus Razius in Vitis Sanctorum Florentinorum; qui omnes S. Iulianam Bononiensem ab Iuliana Florentina Vidua diversam esse satis superque adstruunt, ac testantur.

Extra Vrbis Florentiae moenia alia fuisse veterum Christianorum Coemeteria subspicari facile possumus, non tamen certis rationum momentis probare. Duos adferre lubet antiquos lapides, quos sua aetate vidit, & exscripsit V. C. Senator Carolus Strotius, quos habet Codex XII. pag. 197. eius Bibliothecae, & adfert praelaudatus Cl. Fogginius in singulari Exercitatione *de Primis Florentinorum Apostolis* pag. 5. Ita se habent:

22 HIC REQVIESCIT FELICITAS QVAE VIXIT MEN... DIES...

aliorumque Sociorum, qui Decio imperante, passi sunt in Valle Cava regionis Mugelli: quo in loco in memoriam eorumdem Sanctorum Martyrum, ac super eorum Sepulchra condita est Basilica vetustate, & priscis monumentis insignissima; de qua luculenter, & de eorumdem Martyrum passione disseruit Marcus Antonius Mozzius Canonicus Florentinus, vir eruditione & ingenio excultissimus, ac nemini secundus. Nihil de hoc vetustissimo Coemeterio, deque *Martyrum Monte*, non longe a Valle Grevis fluvii sito, quo in loco passos esse complures Christi Fideles, Patrum traditione accepimus, & in loculis sub altari Ecclesiae S. Iusti, quae in vertice praealti montis dedicata est in memoriam eorumdem *Iustorum*, reperta fuisse SS. Martyrum Lipsana, editis tabulis, docet F. Franciscus Orlendius Ord. Praedicat. Magister, & in Pisano Athenaeo Theologicorum Dogmatum Professor, Orbis Sacri & Profani Par. II. Lib. III. Cap. XXXIX. pag. 1303. ad quem Lectores, brevitati studens, mitto.

Heic operae pretium me facturum arbitrabar, si ex priscis sinceris Tabulis, seu Diptychis protulissem nomina Sanctorum Florentinorum, quae in Basilicis cum urbanis, tum suburbanis honorifice condita, pio cultu venerantur. Quod ut ordine perficerem, in mentem venerat vetustiora proferre Florentina Martyrologia, & Rituale antiquissimum, seu potius Rationale Divinorum Officiorum ex Codice membranaceo, quod adservatur in Tabulario & Bibliotheca Aedilium Metropolitanae Ecclesiae Florentinae; sed hoc ipso tempore multis aliis distractus curis, & lucubrationibus, quum haec summo digito pertractare nefas duxerim, in aliud tempus hanc curam reiicere satius duxi; eademque occasione memorare, quae & quot Sanctorum Martyrum Corpora, e priscis Romae Coemeteriis Flo-

rentiam translata, in Ecclesiis cum urbanis, tum suburbanis in pace Christi quiescant. Eadem occasione adferam etiam antiquiora Christianorum Florentinorum monumenta, sacras imagines, picturas, dipthyca, & thecas inscriptione ornatas, in quibus Sanctorum Lipsana adservantur. Alios complures, qui Florentiae exstant, SS. Martyrum, vel Sanctorum Christi Fidelium titulos, paullo superius editos, habes in hoc ipso Opere, & quibus in locis a me adferuntur, facile colliges, amice Lector, ex Indice Christianorum, quem in fine huius Voluminis III. Inscriptionum subiiciam. Non enim vacat editos iam titulos Christianos heic rursum repetere; sed nondum in lucem editos proferre, & hos primum, qui in domesticis Oratoriis, sive Sacellis Nobilissimorum Procerum Florentinorum una cum eorumdem SS. Martyrum sacris Pignoribus, nempe integro Corpore, cum vasculis eorum sanguine rubentibus, adservantur.

In Oratorio domestico Excellentissimae Domus Marchionum Rinucciniorum.


25 

VIVIANA ☧


25. Oratorium domesticum Excellentissimi D. Caroli Rinuccinii, Marchionis Baselicae, Viri supra omnem laudem prudentia, integritate, consiliis Praestantissimi, nobilissimum est, decem Sanctorum Martyrum Corporibus prae ceteris locupletissimum. Ea educta fuere e Coemeterio Cyriacae, & ab Alexandro VII. Pontifice Maximo dono data Amplissimo Viro Marchioni Carolo Rinuccinio, iubente Ferdinando II. Magno Etruriae Duce, ad eum Ablegato, eiusque pientissimae uxori Lucretiae Marchio-

chioniſſae Riccardiae, quae SS. Martyrum Romana Coemeteria frequenter adire, & ſacra Pignora venerari, ſuas eſſe delicias identidem adfirmabat. Vna cum Corpore S. Vivianae Martyris ſub altari quieſcunt quinque eius filii Martyres, quorum unus poſtquam pro Chriſto ea martyrium ſubiit, ex utero eius praegnante eductus eſt, qui cum reliquis fratribus, & matre ibidem honorifice conditi conquieſcunt, repertis in eodem Coemeterio eorum vaſculis glorioſo ſanguine refertis.

Ibidem, in marmoreis duobus titulis.



Ibidem, in tegula. *Ibidem, in tegula.*



26. CELASIA. Hoc eſt GELASIA. Nemo eſt qui neſciat C pro G ſcriptum in antiquis monumentis, & frequenter has litteras alternare.

In Oratorio Villae eiusdem Excellentiſs. D. Marchionis Rinuccinii, *alle Corti*, ſub ara iacet Corpus *S. Feliciani* Martyris, & in altero Oratorio, Villae in Valle Arni, Corpora *Sanctae Columbae*, & *S. Fortunati* Martyrum. Vrbanum memora-

tum Sacellum nobilitatur pretiosa supellectile, & picturis elegantissimis Bernardini Poccettii.

In domestico Oratorio Excellentissimi Viri D. Senatoris Caroli Ginorii, Francisci III. Magni Ducis Etruriae a sanctioribus Consiliis, Marchionis Riparbellae, Caecinae etc.

30 BENEROSA IN PACE
QVAE VIXIT AN XXV
D II

30. Hoc est · *Benerosa*, lege *Venerosa* (supple *in*) *pace*, *quae vixit annis vigintiquinque*, *diebus duobus*. Et in hoc titulo vides D lineola intersectum. Corpus Sanctae Venerosae Martyris effossum est, & translatum e Coemeterio S. Priscillae.

In domestico Oratorio Nobilissimi Viri Ioannis Giraldii, ex Equestri Ordine D. Stephani.

31




31. Corpus hoc S. Romani Martyris constat ex authenticis litteris, quae in eodem Oratorio adservantur, datis die VI. mensis Decembris, anno MDCLXVIII. edu-

eductum fuiſſe e Coemeterio Cyriacae per R. P. Simonem Cattaneum, & a R. P. Fabio Albergato Soc. Ieſu Presbytero curam agente, donatum Ampliſſimo Viro Ioanni Giraldio. Pone caput eiusdem Martyris conditum ſpectatur vaſculum, quo eius ſanguinem collegere Chriſti Fideles. Notanda ſunt veterum Chriſtianorum ſymbola in eodem lapide ſculpta, malleus, martyrii inſtrumentum, anchora, delphinus, columba expanſis alis inſiſtens ramuſculo, & bothrus, ut videtur, uvae.

In Suburbano Oratorio Ampliſſimi Senatoris Nerei Dragomannii Patricii Flor. tertio fere ab urbe lapide, prope regium Rus Caſtellum.

32



32. In hoc pulcherrimo lapide marmoreo, praeter characteres eorumque formam, qui, ut noſtri Scriptores vocant, *curſivos* perbelle imitantur, adnotare lubet inſtrumenta martyriorum, cultrum nempe, & ſerram, utrimque anſis & manubriis ad ſecandum aptis inſtructam, in eo ſculpta, quae fuſo pro Chriſto ſanguine ſuo, fortiter toleravit egregius Chriſti Athleta *Gaius Leonti Alumnus, in pace, qui annis vixit quindecim, menſes duos, dies quinque.*

Pro-

Prope topiarium, umbrosumque nemus, inter ceteras delicias Villae Nobilium Dragomanniorum, vidi ingentem marmoreum Sarcophagum, antiquo anaglypho opere sculptum, exhibens Meleagri venationem, aprum interficere certantibus eius sociis. Huic alterum marmoreum Sarcophagum admodum simile, ornatum emblemate Meleagri, in venatione apri Chalydonii cum sociis suis certantis, spectatur Florentiae, insertum muro exteriori Collegii sive Sodalitii S. Zenobii Episcopi Florentini, non longe a sacra insignissima Turri Metropolitanae Ecclesiae.

In Maiori Ara Ecclesiae S. Michaëlis Archangeli ad Pontem Sevis fluvii, ab urbe Florentia lapide fere X.

33




SVSANNA ☧ Q M

33. Corpus S. Susannae Martyris translatum est e Coemeterio Priscillae, & huius loci incolis donatum ab Alexandro VII. Summo Pontifice, rogante praelaudato viro Marchione Carolo Rinuccinio ad eum Ablegato, qui familiari suo Philippo Predellinio ad patrii soli tutelam & decus concessit. Prope eiusdem S. Susannae Martyris Corpus adservatur vas vitreum cum sanguine, & fictilis lucerna, in eius sepulcro reperta. R. P. Andreas Marthius, eidem Ecclesiae Praepositus, ostendit mihi manu conscriptam Historiam Translationis sacri huiusce Pignoris, rudi stilo exaratam, in qua mirabilis Dei in Sanctis suis coruscat misericordia, quam elegantius concinnatam hortatus sum, ut ad augendam cum incolarum, tum finitimorum populorum pietatem, qui quotannis ad festivam huius Sanctae Mar-

Martyris Oſtenſionem magna cum frequentia confluunt, typis mandaret. Redibam tunc e Porciniano rure, humaniſſimo hoſpitio exceptus in Villa DD. Sarchiorum, in quo mecum faciliores Muſae quotannis ruſticantur: nam illic ſumma fruens animi quiete, & tranquillitate, & ſaluberrimo aëre, locique deliciis, & amoenitate, eas lucubrationes parare ſoleo, quae paucis, vel nullis cum libris abſolvi poſſunt; nempe dedicatorias Epiſtolas, Praefationes, Rerum memorabilium, quae in editis a me libris occurrunt, Indices: quos improbos Indicum labores hoc ipſo anno MDCCXLII. in eadem Villa ſuperavi, abſolutis Autumnalibus otiis Indicibus, quos in fine huius Voluminis vides, & iis etiam Indicibus, qui tribus Tomis Muſei Florentini, Numiſmata Medicea ex aere maximo complectentibus, ſubiiciuntur. Pereruditis illic fruor ſermonibus Excellentiſſimi I. V. D. Abbatis Ioannis Franciſci Sarchii: venationibus mirifice recreor Antonii Philippi eius fratris, cuius coniugi Liviae Fortunatae Pieriae, feminae virtutis honeſtatiſque ſpectatiſſimae, quod adſueta frequenti optimorum librorum lectioni, & Muſis mirum in modum dedita ſit, atque ex tempore Carmina Etruſca & Poematia ſundat elegantiae plena, multum ſtudia mea debent. Neque alia deſunt honeſta animi relaxamenta, ſi adeam Nobilis Viri Ioannis Baptiſtae de Bargiglis huic proximam Villam, in qua praeſide, ac moderatrice Eleonora Pieria, eius lectiſſima coniuge, Liviae Fortunatae Sarchiae ſorore, egregiae indolis eorum filii aliquod identidem eruditionis ſpecimen edunt, vel modulando, vel canendo, vel Comoedias recitando; praeſertim hoc anno, quo *Cyrum* ſummi Vatis Petri Metaſtaſii, amici mei optimi, egregia cum laude & ſpectatorum plauſu Drama, & rure, & in urbe exhibuere.

Mar-

Marmor, prope Anglarium inventum hoc anno MDCCXLII.
exſtat in meo Muſeo.



34. Genuinum hunc titulum, ob ea quae continet eius epigraphe, dubio procul rarum, mihi dono dedit amicus meus optimus, editis praeclaris monimentis clariſſimus, ingenio quoque & eruditione excultiſſimus, Laurentius Guazzeſius, Patricius Arretinus, ex Equeſtri Ordine S. Stephani, regia nunc auctoritate Anglarenſium Propraetor. Si quis Chriſtianum eſſe hunc lapidem cenſeat, eius opinioni favebit Fabrettus, qui Inſcriptionum domeſticarum Cap. VIII. pag. 564. 565. & 573. exempla aliquot congerit Chriſtianorum marmorum, in quibus cum monogrammate ☧ coniunguntur ſingularia D. M. quae *Deo Magno*, vel *Maximo*, interpretanda eſſe arbitratur. Itaque alterum perrarum exemplum ſuppeditabit hic titulus cum ſingulari epigraphe *Deo Magno AEterno*. Item quod praeferat DEPOSITVS, argui & hinc poteſt Chriſtianum eſſe hunc titulum, qui in fine marmoris vitio, ſeu temporum iniuria mutilus eſſe videtur. Praeterea ASELICVS (legendum reor ASELLICVS) Chriſtiani hominis nomen refert; nam frequens occurrit in Chriſtianis titulis ASELLVS, uti apud Cl. Boldetthium pag. 85. ASELLVS ET LEA.

A P-



APPENDIX POSTREMA.



Perpauci, haudquaquam contemnendi lapides antiqui superſunt, qui mihi extremam manum huic Operi imponenti innotuere. Poſt haſce qualeſcumque meas curas, alios lapides inſcriptos in optatam lucem prodituros, auguror, & ſpero: hac praeſertim aetate, qua eruditae Antiquitatis ſtudia priſcaque monumenta magno in pretio ſunt, & a Florentinis eruditis Viris impenſiſſime excoluntur.

In Vrna marmorea in Hortis regiae Villae Magni Ducis Etruriae apud Pratolinum.

1

D M C ANNI
LASCIANI V A XLV
PLAVTIA GRAPTE
CONIVGI BENEMER
ET M PERELIVS
FELIX AMICO
CARISSIMO
FECERVNT

1. Periiſſe putabam hunc titulum cum duobus ſequentibus, quum in lucem eos protuli in Par. I. pag. 326. n. 69. 73. 79. ſed nunc exſtare certum eſt.

Ibidem, in alia Vrna marmorea.

2 DIS MANIBVS
CASSIAE FORTVNATAE
PLAVTIA GRAPTAE
SORORI PIAE FECIT

Ibidem, in alia Vrna marmorea.

D·M OSSA CONDIT·
N· METTI SABINIANI
TERENTIA SABINA MAT
INFELICISSIMA FILIO
PISISIMO. Ꞑ EXEMPL

3. Hos titulos mihi descriptos obtulit Vir generis splendore, & patriarum antiquitatum peritia excultissimus Ioannes Poggii Baldovinettius, Patricius Florentinus, qui omnium fere Europae Principum ex omni modulo numis antiquioribus ad hunc diem, vetustisque aliis monumentis, quibus selectissima Cimelia sua instruxit, mirifice delectatur, & aliorum studiis opem fert humanissimam. Notandum illud elogium in lapide 3. quod in aliis etiam epitaphiis occurrit: PIISSIMO Ꞑ EXEMPL. *Piissimo in exemplum.*


V. C. Scipio Marchio Maffeius, olim mihi amicissimus, dubitat inscriptionem quamdam aereae lamellae incisam, quae haec habet: SOLI SANCTISSIMO C. VERATIVS FAVSTINVS MILES COH. III PR D D me fugisse, idque adnotat in Tom. V. Observationum suarum Litterar. pag. 222. Sed si Vir iste cursim non volutasset mea Collectanea, vidisset illam ipsam inscriptionem, e Museo Andreinio in Mediceum translatam, a me iam editam fuisse, in

Par.


Par. II. huius Operis pag. 435. num. 1. quinque iam annis, antequam eam rursum proferret. Tres etiam lapides in eodem Tomo pag. 219. qui exstant in Museo Academiae Etruscae Cortonae, adfert, nec sine mendis, quos accuratius a me iam editos vide in eadem Par. II. pag. 388. num. 31. pag. 389. num. 35. pag. 390. num. 43. & pag. 394. num. 86. Arretinum quoque lapidem produxit ibidem pag. 220. num. 67. in quo turpe mendum commisit; nam marmor habet, non ut scribit L. LATRONIO DIOGENI; sed, ut ante eum evulgavi ad marmoris fidem, in eadem Par. II. pag. 299. num. 24. L. LARONIO DIOGENI. Facile nimis aliena damnat omniscius Maffeius, qui se ac sua non cognoscit: cui illud Martialis perbelle quadrat Lib. XIV. Epigr.

——————————peccant
Securae nimium sollicitaeque manus.

In marmorea tabula superne effracta, quae exstat in meo Museo.

4 

Faesulis, in lapide arenario prope Viam anno MDCCXLI.

5 

4. Haec tabula eruta iam fuit Florentiae in urbanis hortis Vallis profundae, quam mihi dono dederunt spectatissimi iuvenes Fratii, curante Angelo Maria Bandinio meo alumno. Rursus in lucem protuli, quod mihi traditam ab aliis scriptam cum mendis ediderim in Par. II. huius Operis pag. 451. num. 66. Sentiliam familiam ceteris Coloniae Florentinae adcensere hinc possumus.


Zz 2 5. Frag-

5. Fragmentum hoc exſcripſit, mecumque communicavit V. Cl. Ioannes Targionius Medicus Florentinus, Hortis regiae Academiae Botanices, & Bibliothecae Magliabechianae Praefectus. Votivus titulus forſitan videtur, pro *Fauſtiniano*.

Idem Vir doctrina & humanitate praeſtantiſſimus ſequentes lapides, numquam antea editos, mecum communicavit, quos deſcripſit in ſuo Itinere, quod Autumnalibus otiis huius anni MDCCXLII. inſtituit, & pulcherrimis monumentis Hiſtoricis & Phyſicis, & ad Botanicen pertinentibus obſervationibus refertum in lucem quamprimum edere conſtituit. In hoc eruditiſſimo opere, ea quae hactenus latuere, patefaciet, nempe Portus Piſani ſitum, & antiqua quae exſtant rudera, & alia eruditis viris gratiſſima, quibus curis maxima dubio procul lux adcedet P. Rutilii Naumatiani Itineri, qui Portum illum, ſua tempeſtate celebrem, deſcribit.


In Scala, quae ad Sacram Turrim ducit Eccleſiae S. Ioannis Baptiſtae in Comitatu Piſano.

6



In Territorio Liburni, e regione S. Stephani in quodam podio.

7



Cl. Ioannis Targionii in Itinere ſocius fuit Excell. Vir Zenobius Pomius, Florentini Archivi Cancel-

cellarius, elegantiarum antiquitatis ſtudio ornatiſſimus, qui ſequentem titulum n. 8. iniuria temporum maxime labefactatum, exſcripſit ſatis diligenter.

7. Hunc titulum cum mendis evulgarunt Auctores Florentinorum Nunciorum Litterariorum anno MDCCXLII. pag.

Ibidem titulus marmoreus, maris ſalacia corroſus.

8

PRIMA SINIA : : : : SEVERINA
BONE FAME : : : FIDELIS QVE VIXIT
A XXVII MĒSES · III · DIES · V · POSVIT
R : : : RVS : : P IVLI FVLVIVS MAC
RVFVS : : PISSIMVS MATRI : : :
BENEMERENTI POSVIT

In marmoreo Sarcophago invento hoc anno MDCCXLII. *in quodam pariete, in quo latebat, in Baſilica Primatiali Piſana.*

9

D · M
M · ANNIO · M · F · PAL · PROCVLO
DECVRIONI COL · OST · FLA · DIVI
VESPASIANI PATRONO FABRVM
NAVALIVM OST · VIXIT AN · XXV ·
MEN · VI · DIE XXVIII · H · IIII ·

9. In utroque latere ſculpta cernitur figura; at in dextro ſub figura ſequitur haec epigraphe, quae memorat Anniam Iucundam matrem M. Annii Proculi in eodem ſarcophago cum filio tumulatam fuiſſe.

D · M

Ibidem.

10

D · M
ANNIAE IVCVN
DAE M ANNI
PROCVLI MATRIS

§. 10. Hos titulos primi omnium in lucem protulerunt eruditissimi Auctores Florentinorum Nunciorum Litterariorum n. 34. anni MDCCXLII. pag. 537. e quibus exscripsi. Constat M. Annium Proculum, Palatina Tribu censum, fuisse Decurionem, nempe Senatorem Coloniae Ostiensis, Flaminem Divi Vespasiani, & Patronum Fabrum Navalium Ostiensium, qui quum scribatur vixisse annis XXV. patet Decurionatus & Flaminatus munera ea aetate geri potuisse.

Pisis, apud Nobiles de Tortis in arcula marmorea; ex Schedis autographis V. C. Senatoris Bonarrotii.

11

L · PORCI · GALLIONIS
ARRIA L · L · HILARA
ET GLAPHYRAE DELICIO SV · ·
ARRIA Ɔ L ASIA
SIBI ET SVIS FECIT

In Villa Nobb. Berzigbelliorum inter Pisas & Volaterras.

12

SEX · L · PHILODAM
VIVOS · FECIT
SVETONIAE SEX · L
ZOPRHONE LIBER
LIBERTABVS POSTERISQ
EORVM

Ibidem, in impluvio Domus.

13

V · F.
VENVLEIA PYRALLA
RESTITVTAE F ·
ET SIBI · ET SVIS ·

12. 13. Hos titulos exſcripſit vir immortalis Antonius Maria Salvinius, qui ſchedas ſuas mihi dono dedit.

Volaterris in Aedibus Nob. V. Ludovici Maffeii.

14

SEX · CAECINAE
EX TESTAMEN

Ibidem.

15

Q · AVLINNA · SEX · F · SAB ·

13. 14. Hos titulos exſcripſi anno MDCCXXXIX. quum Volaterris hoſpes eſſem in aedibus Nobiliſſimorum Guarnacciorum, & Etruſca monumenta eodem anno effoſſa perveſtigarem.

In Eccleſia S. Iacobi Montiſcalvoli.

16

D M
P · NONIO EVPALES
TRO · NONIA · PHE
NVSIA · PATRI BENE
MERENTI

Florentiae in columna marm. in Eccleſia S. Iacobi prope Arnum, quae periit.


17

AD HONOREM DEI
HANC COLVMNAM
FECERVNT NEGOTIA
TORES ROTVNDAM
QVI RESIDENT IN
PORTA REGINE QVE
DICTA EST SANCTE
MARIE

15. Hanc edidit Cl. Lamius in Par. II. Hodoeporici pag. 714. quam arculam marmoream deſcribens, ait epitaphium ſubſtineri a duobus Geniis, quorum ſiniſter alatus eſt, ſub quo animalcula duo ſeu lepores, ſeu cuniculi. Scriptum puto PHENVSA.

In

In Columna marmorea humi fixa & erecta, fere quatuor pedibus Romanis ab humo adſurgens, diametro vero pedes duos excedens, milliario XVII. *ab Vrbe Piſarum ad oram maritimam poſita.*

18 

18. Milliariam hanc columnam, & prope hanc alteram altitudinis Romanorum pedum octo, ſed abſque ullis litteris, vidit & exſcripſit praelaudatus Excell. Vir Pomius. Exſtant propter Viam *Aemiliam Scauri*, ſive *Aureliam novam*, quae nunc *Via di Maremma* vulgo adpellatur: locus vero vulgo dicitur *il Crocino*, qui quinque miliariis diſtat a *Colle Salvetti*, ad oram maritimam. Multa de his columnis milliariis notari poſſent; ſed urget nunc Operis, Deo favente, finis.



IN-

INDICES

HARVM

INSCRIPTIONVM
ANTIQVARVM

IN MODVM

GRVTERIANORVM

ET

REINESIANORVM

ADORNATI.

ADCEDIT INDEX

Rerum, quae in Obſervationibus & Notis in Tribus hiſce Tomis occurrunt.

CVRA ET STVDIO

ANTONII FRANCISCI GORII.

INDICIS

HARVM

INSCRIPTIONVM

CONSPECTVS

CVIVS HAEC CAPITA

DEORVM DEARVMQVE NOMINA

ET ADTRIBVTA.

CAPVT I.

Numeri Romani Tomos : Numeri Barbari paginas indicant.

SACRIFICIA ET VOTA

LOCA SACRA PVBLICA ET PRIVATA.

CAPVT II.

Ad

SACRIFICIA ET VOTA

In

IMPERATORES
CAESARES
ET AVGVSTAE.
CAPVT III.
Alphabetico ordine.

T. AE-

IMP. CAESARES ET AVGVSTAE.

GERM.

REX

CONSVLES

ET VIRI CONSVLARES.

CAPVT IV.

 C. BEL-

T. POM-

PONTIFICES SACERDOTES

ALIIQVE MINISTRI. SACRA FESTA. LVDI.

CAP. V.

MAGISTRATVS MAIORES

MINORESQVE ET VIRI HONORATI.

C A P. VI.

Se-

MILITES
ET AD REM MILITAREM PERTINENTIA.
CAP. VII.

Coh.

Tri-

OFFICIA DOMVS AVGVSTAE.

CAP. VIII.

 Adiu-

Ne-

PRO-

PROFESSIONES

ARTES. NEGOTIATIONES.

CAP. IX.

Scae-

COLLEGIA. CORPORA

ORDINES. SODALES.

CAP. X.

TRIBVS

CAP. XI.

Cla-

AD GEOGRAPHIAM

PERTINENTIA.

CAP. XII.

Na-

AD SEPVLCHRA

ET VETERVM FVNERA PERTINENTIA.

C A P. XIII.

in

AD HISTORIAM

PERTINENTIA.

CAP. XIV.

Ple-

INDEX NOMINVM PROPRIORVM

IVXTA FAMILIAS TAM VIRILIVM QVAM MVLIEBRIVM

LATINVS ET GRAECVS.

CAPVT XV.

C. An-

Ata-

Au-

Cal-

C. Ce-

Q. Co-

Fa-

L. Ga-

M. Her-

Sex. Iu-

Lu-

Mar-

Mil.

No-

Po-

Ro-

L. Sa-

P. Ser-

Suf-

Ti-

NOMINA GRAECA.

Μαρ-

VETERVM CHRISTIANORVM NOMINA.

CAP. XVI.

IN-

INDEX RERVM

QVAE IN HOC OPERE ADNOTANTVR ET ILLVSTRANTVR.

relia

Au-

cen-

Et

Fae-

Flo-

Ha-

Lu-


S. Mar-

II.

Sa-

Tro-

Fa-



INDEX RERVM

QVAE

IN OBSERVATIONIBVS IN TABVLAS L.

HVIC VOLVMINI III. ADIVNCTAS

ADNOTANTVR.

Ar-

Car-

De-

Ma-

Pie-

cia,

Tur-

Vr-

FINIS.



ERRATA CORRIGE.

Pag.	Errata		Corrige
LXVII.	Manus Panteas.	*lege*	Pantheas.
C.	Perinsigna		perinsignia.
CII.	Phisici		Physici.
CXVIII.	Ioannis Antinorii.		Ioannis Altovitae.
7.	pondit libras.		ponderat libras. 7.
11.	SIC CRECVLA.		Dele τὸ SIC, & pone extra lapidem.
22.	redimere		redimire.
30.	M. VISPANIVS.		M. VIPSANIVS.
97.	Phasellum		Phaselum.
99.	explicaris		explicatis.
112.	in altero n. 101.		in altero n. 103.
123.	M. AVRELLIVS		M. AVRELIVS.
124.	MINISTATIONE		MINISTRATIONE.
137.	Oraciliae		Otaciliae.
204.	in Aegipto		in Aegypto.
208.	*Cecilianae*		*Caecilianae*.
262.	n. 363. ROCCHI		ROCHI.
286.	Triumiviro		Triumviro.
346.	Polhystor		Polyhistor.


Si quae alia menda cum mea, tum etiam typothetarum culpa commissa legendo tibi occurrent, Lector humanissime, ea ipse deleto, & veniam benevolo animo indulge mihi praesertim, dum haec scriberem, multis aliis curis distento.

REGESTVM.

✠. ✠†. ✠††. ✠†††. ✠††††. ✠†††††. a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. A. B. C. D. E. F. G H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo Pp. Qq. Rr. Ss. Tt. Vv. Xx. Yy. Zz. a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p.


Omnes sunt duerniones, praeter n. p.

FLORENTIAE.
Excusum in Typographio Vivianio, cum Praesidum adprobatione, absolutum in fine anni CIↃ. IↃ. CCXXXXIV.



…rent. [ni]

…d. et sculp.



Auspiciis D. Francisci M.ae Equitis Bondelmontis Patricii Florent.ni

P. Franceschini del. et sculp.


T. XI.



Auspicijs D. Leonardi C.F. Bonarotæ Patricij Flor.
In parietibus exterioribus Canonicæ Metropolitanæ Florentinæ

T. XII.

rope Florentiam



thecae Ron:

T. XII.

Sarcophagus in pariete exteriori Ecclesiae Pleb. Septimi prope Florentiam.



Auspiciis D.D. Praepositorum Bibliothecae Ron-cioniae Pratensi.

Vinc. Franceschini del. et sculp.



Bononiensis.



Auspiciis D. Camilli Antonii Comitis Buccaferrei Patricii Bononiensis.


.VIII
T. XIV.
S.BENE.MERENTI FECER
P. Franceschini sculp.

In Regio Museo Mediceo Sarcophagus Long. P. V. Unc. III. alt. P. I. Unc. IIII. Lat. P. I. Unc. VIII. T. XIV.




Ioh. Dom. Ferretti del. *Auspiciis D. Pauli Equitis Victorii Patricii Florentini* *F. Franceschini Sculp.*






E MARM. IN MVSEO MAG. DVCIS ETR

T. XVI.



T. XVII.





T. XVI.




T. XVII.

E MARM. IN MVSEO MAG. DVCIS ETR.



P. 1 Vnc. X.


rentini P. Franzchini del. et sc.



In Regiis Aed. Mediceis Sarcophagus Long. P. VII Un. VI alt. P. I Un. VIII Lat. P. I Un. I


e Auspiciis D. Caroli Thomae Strozza Patricii Florentini

T. XIX.



ricii Veneti

In Regio Museo Mediceo Sarcophagus Long. Ped. VI. Unc XI. alt. Ped. I. Unc XIII. Lat P. I. Vn



V. Fran.ti del. et S. Auspiciis D. Johannis Baptistae Recanati Abbatis Patricii Veneti

T. XX.



T. XX.




In Regio Museo Mediceo

Auspicus D Conyers Middleton S.T.P. Academiae

Cantabrigiensis Proto bibliothecary.


T. XXII.



In Regio Museo M[illegible]

Auspicys D. Domini Fr[illegible] Head Ang[illegible] Ba[illegible]


I XXII




I MARM. IN MVSEO MAG DVCIS ETR.


T. XXIII.




E MARM. IN HORTIS REGII PALATII AD D. MARCVM.











Latera Sarcophagi marm. in Aedibus D. March. Rinuccini.








Lat. Ped. II. unc. IX.

nniae Baronetti.

Vin. Franc.^ni^ sculp.

T.XXV.





Latera Sarcophagi.



In Aedibus Nobb. Michelotiorum Long. P. VII. unc. IV. alt. P. II. unc. II. Lat. Ped. II. unc. IX.


Auspiciis D. Edwardi Gascoigni Magnae Britanniae Baronetti.

Ioh. Dom. Ferretti del. *Vin. Franceschini scul.*

VI.



I.



E MARM APVD NOBB. ORICELLARIOS AD PONTEM

T. XXVII.





E MARM. IN MVSEO GORIO.

T. XXVIII.









IN MVSEO CERRETANIO.






...uIII.

Aui Sac. Relig. D. Stephani.

...ucem Etruriae

And. *Vin. Franceschini Scul*

T.XXIX



In Aedibus D. Iulii M.[e] Eq. de Morellis long. P. VI. u. XII. alt. P. III. u. III.

Auspiciis D. Francisci Lorenzi Comitis Lorenzani, Tremoleti &c. Baiulivi Sac. Relig. D. Stephani.

A Negociis Christianissimi Galliarum Regis apud Magnum Ducem Etruriae

And. Ristorini del. Vin. Franceschini sculp.



nis Filii. Patricii Flor.

Franceschinus del. et scul.



Sarcophagus in Palatio D. March. Riccardii Alt. Ped. I. Vnc. VIII. Long. Ped. II. Vnc. VIII. Lat. Ped. I. Vnc. VIII.

Auspiciis D. Marchionis Fulci de Rinuccinis Caroli Marchionis Filii. Patricii Flor.

Franceschinus del. et sculp.

T. XXXI.






VII. Lat. Ped II.

nii Magni

Franceschinius sc.




In Museo D. Ducis Salviati alt Ped I Unc I Long Ped III Unc V




In Aedibus Nob. Viri Joh Gualberti Guicciardinii alt Ped I Unc X Long Ped VII Lat Ped II

Auspiciis D. Bartholomaei Marchionis Corsinii Magni Praefecti Stabulis R. C. Mag. Ducis Etruriae

Ferrettius del. *Franceschinius sc.*






Vero.

P. Franceschini del. et sculp.

T.XXXII.



Latera Sarcophagi




Sarcophagus Florentiae in Aedibus D. Cerbonis Baronis Del Nero.

Long. P.VI. lat. P.I. Vnc. XI. alt. Ped. I. Vnc. XI.

Auspiciis D. Thomae Mostyn Nobilis Angli


S. Franceschini del. et sculp.



I. Vne. XIII.

Aue. et ab. Aulae Consi-
l.

T. Franchini del. et sculp.




Sarcoph in Aed D Cerbonis Bar del Nero long P.VI Vnc IX alt P.I.Vnc XIII. Lat P.I Vnc XIII.

*Auspiciis D. Henrici Comitis Vatzdorfii Equit. Cl. aureae et ab Aulae Consi-
liis Ministri Regii Pol. Aug. apud Principes Ital.*

F. Franceschini del et sculp






Partes Laterales




Sarcophagum in Hortis Regiae Villae ad Caianum long. Ped VIII et Vnc. VII. alt Ped II Vnc VIII Lat. Ped III.

Regiae Celsitudini Serenissimae Violantis Beatricis Principis a Bavaria. Etruriae Magnae Principis. Senensis Ditionis Gubernatricis. Patronae Optimae bonarumque Artium Fautrici munificentissimae


Antonius Franciscus Gorius D. D.




7 M.



E MARM [illegible] REGIAE [illegible] AD CA[illegible]










LATERA SARCOPHAGI



E MARM. IN HORTIS REGIAE VILLAE AD PRATOLINVM.











E MARM. IN HORTIS REGIAE VILLAE AD PRATOLINVM.


CXXXVIII


CXXXVIII



. Lat. Ped. II. Vnc. X.

J. [illegible] D. Franceschini sculp.

T. XXXIX.





Latera Sarcophagi




In Hortis Regiae Villae u. (Lappeggi) Long. P. VII. Unc. XII. alt. P. I. Unc. XII. Lat. Ped. II. Unc. X.

J. D. Ferretti del. *Auspiciis D. Joseph Smith Angli Venetiis* V. Franceschini sculp.


T. XL.







I AGRO SIGNANO.

T. XL.






E MARM IN VILLA D MARCH. HVGONIS DELLA STVFA IN AGRO SIGNANO



rchiis.




In Museo Suburbano Villae Strozziae ad Montem Hugonis.

Auspiciis D. Senatoris Equitis Cerchii Dominici de Cerchiis.

Io. Franzchini del. et sculp.


T. XLII







Latera
Sarcophagi



In pariete exteriori Basilicae Pisanae Long. P. VIII. Unc. XII. alt. P. III. Unc. V Lat. P. IIII. Unc. XII.


Auspiciis D. Scipionis Marchionis Maffeii a Cubiculo Regis Sardiniae. et ab aurea Claue Electoris Bauarici

V Franceschini del. et Sculp.


T. XLIII.



T. XLIII.




E MARM. SENIS EXSTAT



Gradibus. Alt. Vnc. XV. Long. Ped. II. Vnc. V.

Aretini *I. Dom. Ferretti del.*




Arretii In Dormitorio Monasterii Monachorum Camaldulensium S. Mariae in Gradibus Alt. Vn. XV Long Ped II Vnc V.

Auspiciis D. Gregorii Baiulivi Redii Patricii Aretini


S. Dom. Ferretti del.

T. XIV.





T. XIV.





MARM. CLVSII IN HORT. NOB. V. R. PAOLOTTI.

T. XLVI.










CORTONAE . IN CATHEDR . ECCLESIA .

VII.



T. XLVII



Mensura Brach V Florent

RELIQVIAE ARCVVM AQVAEDVCTVS
COLONIAE FLORENTINAE.